APPARATUS
ERUDITIONIS
PRÆSERTIM
AD
JURISPRUDENTIAM,

In quo
Præter Juris Universalis Principia
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM, APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Ecclesiastico & Politico Statu, Disciplina Ecclesiæ, Hæresibus exortis &c. continua sæculorum serie ad præsens usque tempus deductum, insertisque pro re nata multis observationibus criticis, ac controversiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis,
METHODO HISTORICO-DOGMATICA COLLIGUNTUR, ET BREVI AC CLARA IDEA DELINEANTUR
In utilitatem eruditionis amantium, quibus vasta Conciliorum, Decretorum, Historiarum &c. volumina perlegendi aut occasio aut tempus deficit.

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER S. J.

PARS XI,
Complectens
SYNOPSIN BULLARII ROMANI, ET VITÆ PONTIFICUM CUM VARIIS OBSERVATIONIBUS.
CUM APPROBATIONE.

Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLXVI.

PRÆFATIO.

Habes, amice Lector, Partem XI apparatus mei, nec, uti spero, ingratum, quia materiam continet utilissimam, atque Jurisprudentiæ, præsertim Ecclesiasticæ, Candidato necessariam, Constitutiones videlicet Romanorum Pontificum selectas, quæ plus eruditionis & utilitatis in publicum habere videbantur.

Habemus equidem *Bullarium Magnum*; sed quot sunt, quibus ad tot tamque grandes Tomos evolvendos aut tempus aut occasio deficit! quare de re litteraria & eruditione sacra non male meriturum credidi, qui Constitutiones istas sanctissimas, quæ in Bullario in *extenso*, ut loquimur, extant, brevi compendio, quantum ad substantiam pertinet, Juris Ecclesiastici Candidato offerret. Ne autem synoptica hæc compilatio nimium excresceret, multas, quibus Monasteriis, Regularibus, aut particularibus Ecclesiis, vel Conclavistis, Privilegia, Indulgentiæ, aliive favores conceduntur, aut confirmantur, aut quibus Romana curia ejus-

que tribunalia prolixe ordinantur, ferme præterii. Et hinc extractus meos non nisi *Excerptorum* nomine compellavi.

Ordinem quod spectat, retinui eundem, quem Carolus Cocquelines, Bullarii Romani novissimus Collector, servavit, ut, si quis totam Constitutionem velit legere, hoc indice facile illam inveniat, Tomis, Tomorum Partibus, & Constitutionum numeris ubique annotatis.

Quia autem Bullarii Constitutiones primum inchoantur circa medium Sæculi V, a Leone nempe Magno, ne manca sit tractatio, a S. Petro orsus brevissimam vitæ Pontificum synopsin cum nonnullis eorum elogiis adjeci, conatus etiam ab erroribus, qui a quibusdam eisdem objiciuntur, illos vindicare.

Cum vero de plurium Pontificum primorum præsertim sæculorum vita rebusque gestis authentica notitia ad nos non pervenerit, solumque prope Pontificatus tempus sit consignatum, ne jejuna esset Historia, in gesta Imperatorum, Ecclesiæ, & Imperii statum, Disciplinam, persecutiones Tyrannorum, Defensores Ecclesiæ, Doctorumque virorum monumenta recensenda aliquantum excurri, suppleturus ea, quæ in prioribus Partibus fuerant prætermissa.

Cæterum, si Constitutiones Apostolicas, quas summa veneratione prosequor, non recte concepissem, aut earum summam non bene extraxissem, correctioni comprimis sanctæ Matris Ecclesiæ, tum etiam tuæ, amice Lector, subjicio.

Pars XI.

CAPUT I.

SÆCULUM I.

Articulus I.

S. Petrus Romanus Pontifex, ab anno Chriſti 40.

Voce Domini conſecratus ſummus Eccleſiæ Antiſtes, & univerſalis ovium Chriſti Paſtor, mox poſt aſcenſionem Magiſtri ſui diviniſſimi poteſtatem ſuam, in terris ſupremam, exercuit, dum Conciliis, Hieroſolymæ celebratis, præſedit, primumque Hæreſiarcham Simonem Magnum Romæ, quo ſedem ſuam Pontificiam Antiochia poſt 7 annos tranſtulerat, debellavit. Gubernavit Eccleſiam annis 25, ac duobus menſibus. Scripſit Epiſtolas duas Canonicas; & poſtquam Linum & Clementem conſecraverat Epiſcopos, in Neroniana perſecutione cruci affixus eſt, S. Paulo eadem die capite plexo, anno æræ Chriſtianæ 65, poſt Chriſti paſſionem 37. 1.

Objicitur ei, quod Chriſtum negaverit, & gentes coegerit judaizare. *Reſp. ad* 1. dum Chriſtum negavit, necdum erat Pontifex; dein non negavit corde, ſed ore tantum & facto externo, quod non eſt hæreſis, cum hæc ſit error intellectus. Idem *Reſp. ad* 2; nam propter actum externum erat reprehenſibilis, dum Antiochiæ, ne converſos Judæos offenderet, converſatione cum gentibus abſtinuit.

Articulus II.

Observatio in hæc tempora de Imperatoribus aliisque.

Jul. Cæsar. Postquam *Julius Cæsar*, victo in Pharsalicis campis Cneo Pompejo, 4 annis summa cum potestate, ceu Dictator perpetuus, Rempublicam Romanam moderatus est, in publico Senatu, auctoribus Bruto & Cassio, 23 vulneribus a conjuratis est confossus, ante Christum natum 46 annis, ætatis suæ 56.

Augustus. Successit *Octavius*, post pugnam Actiacam, cum Antonio & Cleopatra commissam, Imperator Augustus, Julii Cæsaris ex Julia sorore pronepos, atque ab eo adoptatus. Anno 40 ejusdem Imperii natus est Christus. Imperavit 57 annis, bellicis & politicis artibus multo clarissimus. Obiit anno Christi 14, æt. 77. Conjugem habuit Liviam Drusillam, quæ duos ei privignos attulit, Tiberium & Drusum, ex Claudio Nerone susceptos. Hos Augustus (cum filiam haberet unicam, Juliam) adoptavit.

Tiberius. *Tiberius* anno 14 Imperium affecutus a vitrico, non eadem ac ille laude administravit, callidus, tectus, suspiciosus, sævus, a vitiis, & caprea sua notior mundo, quam virtutibus. Per Sejanum orbem regebat, a summo dignitatum apice repente dejectum in carceres & extremas calamitates. Obiit Tiberius anno 37, æt. 77, Imp. 23. Anno ejusdem Imperii 19 Christus in crucem actus. Caiphas Pontificatu depositus, Pilatus in exilium ejectus.

Caligula. Mortuo Tiberio Imperium invasit *Cajus Caligula*, Germanici, optimi patris, filius pessimus, Tiberii ex Druso fratre pronepos; cui non ultra quadriennium insanire & furere licuit; quippe a Cassio Cherea Prætorianorum Præfecto, dum spectaculum ederet, confossus interiit, qui DEUS haberi voluerat. Scelera ejus & deliramenta narrant Suetonius & Dion Cassius. Dicere solebat de populo Romano: *oderint, dum metuant*, &: *utinam una cervix!* periit anno 41, ætatis 29. Sub eo S. Petrus Romam venit, vel, ut alii volunt, anno 2 Claudii. Matthæus Evangelium scripsit hebraice, quem postea secuti sunt Marcus & Lucas, ille Petri, hic Pauli arcanorum conscius.

Claudius. Senatus Rempublicam restitui voluit, expertus sub Tiberio & Cajo servitutis incommoda. At miles ex angulo protraxit *Claudium*, & Imperatorem proclamavit. Fuit is Drusi filius, frater Germanici, quorum apud exercitum, ob res in Germania præclare gestas, & amorem militum, grata erat memoria. Sed debili erat ingenio, patre & fratre

fratre multo inferiori, alieno imperio, & præsertim fœminarum Messalinæ primum, dein Agrippinæ uxorum, obnoxius, semper timidus; unde Duces præcipuos habens suspectos, a militia revocabat, atque noxa propemodum habebatur, victoriam reportasse. Messalina, turpi muliercula, repudiata (quod Romani permissum sibi crediderant) Agrippinam juniorem duxit, Germanici fratris filium, Neronis matrem, quem licet proprios haberet liberos, adoptare debuit. Tandem vero ab hac uxore sua veneno pisci indito sublatum, scribit Dion, quod timeret, ne, rejecto Nerone, Britannicum filium suum, ex Plautia susceptum, ad Imperium eveheret. Mors ejus celata, donec Neronis res per artes matris essent firmatæ. Tum vero mater & filius altis singultibus deflebant, quem occiderant, anno Christi 54, Imp. 13, æt. 63.

His temporibus, condito Symbolo, facta est divisio Apostolorum, distributæque, ad orbem terrarum convertendum, provinciæ. Apost. divisio.
Et Petrus quidem Romæ erexit Cathedram, Antiochena cesso Evodio. Joannes in Asiam Minorem cum B. V. ut traditur, abiit. Andreas ad Scythas, Sogdianos, Æthyopes. Philippus in Asiam Majorem &c. Thomas ad Parthos, Persas, Indos. Bartholomæus in Armeniam, & Indiam. Matthæus in Æthyopiam &c. Jacobus Major in Hispaniam &c. Jacobus Minor Jerosolymis mansit. Simoni Messopotamia, Ægyptus, Africa obvenit. Judæ Thaddæo Arabia & Idumæa. Mathiæ Judæa & Æthyopia.

S. Marcus, postquam scripsit Evangelium, a S. Petro in Ægyptum missus, Alexandrinam fundavit Ecclesiam, S. Barnabas Mediolanensem, S. Paulus omnibus omnia factus, ut adeo Apostoli impleverint præceptum Domini, eundi in mundum universum, & prædicandi Evangelium omni creaturæ; quod & sanguine consignarunt.

Et quidem Petrus, Apostolorum Princeps, & sublimi velut prospectans specula, exporrecta in omnem partem pastorali sollicitudine, missisque quaqua versum Apostolicis viris, fundavit propagavitque Ecclesias. Quod eo facilius fieri poterat, quo majori sub primis quatuor Imperatoribus pace, & quiete Christiani fruebantur.

At vero *Nerone* ad Imperium evecto erupit *prima* sævissima Christianorum persecutio. Trojanum incendium ut sibi repræsentaret, Romam pluribus locis incendit, suumque flagitium Christianis affricuit; felicem Priamum auditus dicere, quod patriam ardentem vidisset. Infandas ejus libidines, propudiosas scurrilitates, & immanes crudelitates, describunt Suetonius, Dion Cassius, Tacitus. Nero.

Non autem in Christianos duntaxat sæviit, sed eos etiam, quibus debuit, quod primo quinquennio furores suos & lascivias utcunque contineret, Senecam, inquam, Magistrum suum ac Moderatorem, Burrum, Lucanum, Pharsalica tuba clarum, Senecæ nepotem. Quin in sanguinem proprium exerta feralis rabies. Britannicum, cui sceptrum debebatur, Octaviam uxorem, & Poppæam, impacto in uterum gravidum calce, ac denique, præter alios plurimos, etiam scelerum complices, matrem ipsam Agrippinam, crudelissime trucidavit.

3. 1 Persecutio. In Christianos vero universim per orbis Romani provincias feralia edicta pendebant, nihilque sævæ tyrannidis concipi poterat, quod non fuisset exprompitum. Eadem persecutio Petrum etiam, quod dictum, & Paulum Apostolos sustulit.

Tandem Nero, post innumeros mortales interemptos, se ipsum quoque occidit, anno 68, tyrannidis 12, æt. 32, extinctaque in eo est Augusti familia, in solo Augusto florens. Quod autem Nero eo desperationis devenerit, ut sui ipsius esset carnifex, inde est, quod Rufus Germaniæ, Vindex Galliæ, & Galba Hispaniæ Præses, exorbitantis adeo vitæ Neronianæ pertæsi, exercitus suos Romam adducerent, Imperio de meliori & sano capite prospecturi. Nero ab omnibus desertus, & a Senatu hostis Reipublicæ declaratus, Roma profugit, & in fovea quadam delitescens se ipsum confodit.

S. Lucas Neronis tempore Evangelium scripsit in Græcia, propter Pseudo-Apostolos quosdam, qui vitam & passionem Christi variis fabulis obscuraverant, dein etiam actus Apostolorum, Pauli præcipue, cujus perpetuus erat comes & discipulus. Lapidibus obrutus Jacobus Minor, qui 30 annis Jerosolymæ fuerat Episcopus. S. Marcus Alexandriæ martyrium subiit. Corpus ejus Venetias translatum, atque inde in Augiam Divitem, uti prætenditur. Nicolaitarum errores in hæreses Gnosticorum degenerarunt. Multum Ecclesiæ negotium facessivit *Apollonius Thyæneus* Philosophus Pythagoricus, qui Romam profectus præstigiis suis multos dementavit, ita, ut pro DEO quodam haberetur. (Apoll. Thyæn.)

Articulus III.

S. Linus, *ab anno* 65. *S. Clemens*, *ab anno* 67.

4. S. Petrus equidem Clementem successorem optaverat, sed a Clero Prælatus est *Linus*, Volaterris in Hetruria natus, duobus tantum an-

annis & mensibus totidem praefuit Ecclesiae, anno 67 in persecutione Neroniana martyrio coronatus, sepultusque in Vaticano juxta S. Petrum.

Lino subrogatus est *Clemens* Romanus. Sed post 9 annos Pontificatu se abdicavit. Cum Diis thus adolere nollet, in Chersonesum ultra Pontum Euxinum abductus, ubi Christianos limpida aqua producta solatus est, ibidemque martyrio coronatus. Constituit septem Notarios, qui Acta Martyrum conscriberent. Attribuuntur ei plures Epistolae, & Canones ac Constitutiones Apostolorum, qui tamen recentioris videntur esse aetatis, ut alias dixi. Epistolam primam ad Corinthios pro genuino ejus partu habent critici.

Articulus IV.

Observatio in haec tempora de Imp. &c.

Post Neronem ab exercitu salutatus est Imperator *Sergius Galba*, anno aetatis 72, magnae vir authoritatis. Sed post 6 mensium Imperium, cum ascenderet Capitolium, occisus est jussu *Ottonis Sylvii*; cujus flagitii merces corona fuit, a militia imposita. At cum *Vitellius* a copiis in Germania Imperator proclamatus eum praelio superasset, violentas sibi manus intulit. Nec Vitellio ultra octo menses bachari & helluari licuit, deficientibus Judaicis & Syriacis copiis, a Vespasiani Ducibus Romae victus, atque dilaniatus est. S. Galba. Sylvius. Vitellius.

Nutabat jam undique Romanum Imperium, ab Augusti successoribus luxu, mollitie, & crudelitate enervatum. Apud militiam erat summa potestas, Imperatores pro libidine versantem, ut adeo solus annus 69 quatuor Imperatores videret. Necessarius proin erat *Vespasianus*, ex gente Flavia, qui primus ab Augusto Romani nominis majestatem ab interitu vindicavit, & obscuros natales meritorum gloria illustravit, in sola Britannia tricies cum hoste congressus; inde in Africam atque Palestinam translatus, dignum se Imperio probavit. Urbe instaurata, disciplinam militarem restituit, Senatui populoque Romano, quin & militi gratissimus. Achaja, Cilicia, Lycia, Thracia in formam provinciarum redactae. Muciani consilio, per quem Vitellium dejecerat, Imperium diu administraverat, donec is, insolentius se gerens, gratia excideret. Parta per orbem pace, templum Pacis condidit, & amphitheatrum, jam ab Augusto coeptum, absolvit. Obiit anno 79, Imperii 10, postquam filios, Titum & Domitianum, Caesares dixerat. Vespas.

Tiius. Successit *Titus*, in eo uno vituperandus, quod non diutius imperaverit, *delicium humani generis* appellatus. Perditam censebat diem, quam sine beneficio transmisisset, illudque auditus dicere, non oportere, quemquam a Principe tristem discedere. Duobus tantum annis imperavit, mille imperare dignus. Est hæc inscrutabilis Divinorum judiciorum abyssus, quod permittat quandoque multos annos grassari impios, pios autem cito demetat. Laudavit eum successor, ut Tiberius Augustum: totusque mundus plures Titos optavit. A fratre veneno sublatus creditur anno vitæ 40.

Domitianus. Nec id alienum a moribus *Domitiani*, Imperio inhiantis, ut quamprimum dirueret, quod frater paterque proh quam dissimiles! ædificaverant. Libidine, crudelitate, superbia, insanis nugis Neroni suppar. Pro DEO haberi voluit, aureamque sibi in Capitolio statuam poni; muscas consectari & stylo configere solitus. Gloriosam adversus Decebalum Dacorum Regem expeditionem suscepit, a quo victus Romam triumphans est ingressus. Agricolam, præstantem bello Ducem, neci dedit, quod rem fortiter in Britannia gessisset, & Orcades subegisset; videbat enim, alienas virtutes suam sibi exprobrare ignaviam. Nemo ab eo securus. Cum vivo adhuc patre electus consul plures gradu dejecisset, ajebat ille: mirum, quod non & mihi successorem mittat.

2 Persecut. Cum sub 5 Imperatoribus Ecclesiæ quies esset relicta, Domitianus, edictis, ferro, rota, ignibus furens, *alteram* in Christianos dirissimam persecutionem est molitus. S. Joannes e dolio ferventis olei egressus illæsus, & in Pathmum relegatus, Apocalypsin scripsit, hoc est, Ecclesiæ pugnas & triumphos. Sub Nerva redit Ephesum; cumque hæretici, Cerinthus & Ebion Divinitatem Christo detraherent, circa annum 96 scripsit Evangelium, sub Trajano dein anno 99 postremus Apostolorum, solusque sicca morte defunctus est.

Flavium Clementem patruelem suum cum aliis infinitis occidit tyrannus Domitianus, quod Christianus esset; Flavia Domitilla eandem ob causam in exilium relegata. Tandem post 15 annorum cruentum Imperium & exercitam lanienam a domesticis confossus periit teste Suetonio, qui hic suos 12 Cæsares absolvit.

Id unum Domitiano laudi dari potest, quod amarit Poetas sui temporis, *Statium*, entheum & furente velut œstro percitum: *Martialem* adulatorem, cujus epigrammatis delectabatur. *Juvenali* autem satyræ suæ exilio stetere. *Quintillianus* Hispanus ob eloquentiam Romam vocatus, Ciceronis facundiam, quæ defluere cœperat, restituere conatus

natus eſt. *Joſephus Judæus*, Veſpaſiano & Tito pergratus, gentis ſuæ Hiſtoriam ſcripſit famoſam. Juvat hic aliqua hac de re interſerere.

Articulus V.

De rebus Judaicis & excidio Jeroſolymitano.

Certarunt veluti inter ſe DEUS & gens Hebræa: ille beneficiis, hæc ingratitudine. DEUS O. M. elegit ſibi Iſraelitas in populum peculiarem; prodigiis multis eduxit eos ex ſervitute Ægyptiaca: promiſit terram optimam, omni ubertate plenam: miſit de cælo Manna, vel ex petris prolicuit aquas, fovit, nutrivit, protexit, ex hoſtium manibus toties eripuit, tot victorias, grandi ſupra naturæ vires prodigio partas, largitus eſt. At rebellis illa & cervicoſa turba, frontem obduratam renitentemque oſtentans, auſu refractario atque temerario prorſus caſtra murmurationibus, querimoniis, ad ollas Ægypti ſuſpirans, implevit, ad idola in deſpectum Numinis dilapſa. 6.

Per Moyſen, Joſue alioſque Duces Dominus illos gubernavit. Petierunt Regem: conceſſit. Reprobato Saule, Davidem elegit, ſanctum Regem. Salomonem, DEI viſione beatum, ſapientiſſimum, in reprobum ſenſum datum, ſtultiſſimumque mortalium, regni diviſione in filio caſtigavit. Decem tribus Jeroboamo dedit. Quam gratitudinem rependit? idola propoſuit. Ex ejus ſucceſſoribus, Iſraelis 19 Regibus ne unus quidem probus, ſcelerati omnes, malum pro bono reddentes. Quapropter, ut gens rebellis, vel flagellis caſtigata, emendaretur, a Salmanaſare Aſſyriorum Imperatore, exciſa Samaria, cum Oſea Rege ultimo Niniven in captivitatem fuit abſtracta.

Ex viginti Regibus Judæ quatuor duntaxat leguntur pii, Joſaphat, Joatham, Ezechias, & Joſias; reliqui omnes a lege Domini declinarunt. Quare impleta peccatorum menſura, Joackimus primum ac Jechonias filius, ac demum etiam Sedecias, hujus patruus, a Nabuchodonoſore Chaldæorum Rege, cum tota gente Babyloniam ſunt abſtracti, totaque cum magnifico Salomonis Templo exciſa Jeroſolyma. Malitia Judæorum.

Miſerat DEUS Prophetas & Doctores, velut Feciales pacis. Non ſunt auditi, imo lapidati ſunt, ſecti ſunt, interempti ſunt. Succeſſit 70 annorum captivitas, non tamen admodum acerba, cum Daniel eſſet ſecundus a Rege, Ananias vero, Azarias, & Miſael, viri integerrimi, eſſent provinciarum Præſides & tribunalium. Premi nempe

DEUS

DEUS volebat contumacem populum, non opprimi, ut inter rerum aspera corrigatur, qui clementia nolebat flecti.

Quare movit cor Cyri Persarum Regis, qui, extincta Babylonica Monarchia, Persicam fundaverat, ut copiam Hebræis restaurandi Templi Solymitani, & redeundi duce Zorobabel in avitam patriam concederet, postquam ex Daniele vaticinium Isaiæ de regno suo & reditu Judæorum intellexerat.

Ne autem Judæi plenam libertatem adepti lascivientes, Divinum quoque jugum rursus excuterent, quamvis Duces suos haberent Zorobabel, Joacim, Nehemiam, Esdram, Jojadam &c., attamen subjecti manebant Persarum Regibus. Dario vero Codomanno ab Alexandro M. subacto, atque Persica Monarchia ad Græcos translata, Judæa quoque modo Ægypti, modo Syriæ Regibus parere coacta est.

Cum vero Syriæ Reges, & Antiochus maxime Epiphanes, Judæos opprimerent, & cogerent, desertis patriis ritibus, DEOS gentium colere, DEUS rursus eorum misertus, excitavit Assamonæos seu Machabæos, ex tribu Levi quidem oriundos, sed tribui Judæ immixtos, ac præcipue Mathathiam, ejusque filios, Judam, Jonatham, & Simonem, eisque, paucis copiis pugnantibus, stupendas sane victorias contulit, quibus, excusso Syriæ jugo, in libertatem sese assererent, ita quidem, ut Aristobulus Joannis Hyrcani filius, Simonis nepos, regium nomen assumeret.

Sed ultra Mathathiam ejusque filios non est propagata heroica probitas; nam jam Joannes Hyrcanus, Simonis filius, ad sectam Sadducæorum hæreticam descivit, quæ negavit Angelos, & resurrectionem corporum. Aristobulus filius, ut solus regnaret (nam Regem se primus dixit) Antigonum fratrem cum matre interemit, Alexandro Jannæo fratre altero ad perpetuos damnato carceres.

Machabæi.

Sed non ultra annum furere licuit parricidæ. Jannæus ex carcere protractus ad solium, crudelitate barbara in Judæos, & vitiis omnibus fratrem superavit. Filios reliquit duos, Hyrcanum & Aristobulum. Hic illi regnum eripuit, junior frater seniori, æstuantium spirituum juvenis tardo & ignavo Principi. Bella inde intestina, odia, parricidales insidiæ, fœminarum etiam factionibus nutritæ.

Quapropter DEUS, scelerum vindex, idemque pater, ut per adversa duceret animas in semitam, Machabæorum regnum ad exteros transtulit. Cum enim Pompejus, devicto Mythridate & Tygrane, Ponti & Syriæ regna Romanis subjecisset, imploratus ab Hyrcano, expugnata Jerosolyma, cæsisque 12000 Judæorum, Aristobulum comprehensum cum filiis Romam abduxit; Hyrcano vero summum sacer-

dotium

otium regnumque restituit, sed umbratile duntaxat, & Romanis deinceps subjectum.

Jam a tempore Judæ Machabæi, Jonathæ, & Simonis, Romani erant Judæorum ex fœdere socii. Sed non legimus, quid Judæis profuerit hoc fœdus, nisi (quod solenne erat genti Romanæ) ut ex sociis facti sint Domini, & amicos cum inimicis degluberent.

Porro Aristobulus Rex, qui vinctus cum filiis, Alexandro & Antigono, ante currum Pompeji triumphalem pedes incesserat, Roma dilapsus in Judæam, interceptus a Gabinio, Romamque reductus, occisus est.

Idem fatum subiit ejus filius *Alexander*, nam & is e Romana captivitate elapsus, Judææ sceptrum arripuit; sed a Gabinio Duce Romano cæsus vitam cum regno amisit. Succedere quidem fratri conatus est *Antigonus*, alter Aristobuli filius, sed a Romanis victus captusque, Antiochiæ publico in foro securi percussus est, Rex ultimus ex Machabæis.

Acta hæc sunt tum Romanorum ambitione, tum etiam Antipatri & Herodis artibus, qui tandem regnum est consecutus. Erat autem *Antipater* homo exterus, gente Idumæus, qui ita insinuare se noverat in Romanorum animos, ut Judææ Gubernator a Julio Cæsare renuntiaretur; sed fallendi, simulandi, adulandique artibus multo major *Herodes* filius, qui ab Ascalone patria sua *Ascalonita* dicitur. Herodes.

Adhæsit is primo, post trucidatum Julium Cæsarem, Cassio, Orientem pervaganti, & eo pugna Philippica profligato, Antonio triumviro, qui eum Regem Judææ contra Antigonum renuntiavit. Verum Antonio prælio Actiaco debellato, sibi timens ac regno suo ob amicitiam Antonii, quidquid supererat de stirpe Machabæa, atroci facinore interemit, Hyrcanum videlicet jam octogenarium, Aristobulum juniorem, Hyrcani ex filia nepotem, Alexandri Regis filium, spem unicam Hebrææ gentis, unaque Alexandram, Aristobuli matrem, Hyrcani filiam, Alexandri conjugem, ac demum etiam Mariamnem propriam uxorem, Alexandri filiam, Aristobuli junioris sororem.

Tot parricidiis patratis profectus ad Octavium Cæsarem, se ac omnia sua eidem subjecit, atque vulpina sua calliditate, astutia, blanditiis, oblataque magna pecuniæ vi (quibus jam ante Ventidium, Cassium, Antonium sibi conciliaverat) Augustum permovit, ut non tantum veniam eidem concederet, sed regnum etiam confirmaret. Herodes vero quinquennes in honorem Cæsaris ludos instituit, & urbem Cæsaream condidit.

Ex Mariamne Machabæa duos susceperat filios, Alexandrum, & Aristobulum, acceptissimos, quod ex matre Hebræa descenderent, populo Principes; at Herodes ob interemptam Mariamnem amoris & furoris intemperiis agitatus, ne aliquando matris necem essent ulturi, reformidans, falsisque delationibus Salomes sororis suæ circumventus, primum coram Augusto Romæ eos de structis sibi insidiis accusavit, postea vero in carceres conjici ac trucidari jussit.

Crudelitatem quoque, sane barbaram, palam demonstravit, cum nuntiata per tres magos novi Regis nativitate, omnes circum Bethlehem pueros occidi jussit. Tandem vero dierum malorum veterator, cum gravissimis corporis putrescentis doloribus diu conflictatus, morbo pediculari intolerabiles inter fœtores disperiit, 40. regni anno, ætatis 70. Postquam paulo ante Antipatrum quoque filium natu maximum iræ suæ immolaverat.

Tres reliquit filios, Archelaum, Herodem Antipam, & Philippum: inter quos Augustus regnum ita divisit, ut Archelaus partem haberet mediam, Antipas & Philippus alteram. *Archelaus* ne a patre videretur degener, Principatum suum 3000 Judæorum sanguine, quod ad libertatem adspirarent, initiavit. Missus ab Augusto ob tyrannidem Viennam Galliæ in exilium, ditione ejus Syriæ attributa, missoque in Judæam procuratore Quirino.

Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha ob raptam fratri suo Philippo uxorem Herodiadem a S. Joanne Bapt. reprehensus, Christum Dominum, veste alba indutum, ludibrio habuit, ad exilium postea damnatus in Gallia, conspirationis cum Parthis accusatus. Fuit autem Herodias Herodis Ascalonitæ ex Aristobulo filio, quem occiderat, neptis, Salome autem saltatrix ejus filia ex Philippo.

Aristobulus, Herodis Ascalonitæ ex Mariamne filius Antipæ frater, tres liberos reliquit Herodem Agrippam, Herodem Regem Chalcidis, & famosam Herodiadem. *Agrippa* senior pauper omniumque rerum inops Romam profugit, ibique in familiaritatem Caji Caligulæ se insinuans, accusatus fuit, quod mortem Tiberio, Imperium Cajo fuerit precatus; detrusus propterea in carcerem, cujus squalores per 6 menses tulit. At Cajus, post mortem Tiberii ad Imperium evectus, eum illico liberavit, torquemque aureum, ejusdem cum catena, qua vinctus fuerat, ponderis, illi donavit, traditaque patrui sui Philippi Tetrarchia Itureæ & Trachonitidis Regem pronuntiat; Antipa vero ob conspirationem cum Artabano Parthorum Rege, exilio multato, Galilææ quoque Tetrarchia Agrippam auxit. Addidit Claudius Imp. Judææ quoque, Samariæ & Idumeæ Tetrarchias, ut adeo ex mendico poten-

potentissimus evaderet, recuperatis omnibus provinciis, quas Herodes M. ipsius avus possederat. Sed a se ipso degener, cum pro DEO se coli permitteret, incredibiles inter dolores, avi impii exemplo, a vermibus consumptus est anno Christi 44, Regni 7. Ecclesiam persecutus Jacobum Joannis fratrem in gratiam Judæorum capite jussit plecti, Petrumque carceri mancipavit, ex quo per Angelum fuit liberatus.

Filium reliquit 17 annorum, qui dictus est *Agrippa junior*, quem regno imparem judicans Claudius Imperator, privatum Romæ educari voluit, in Judæam vero misit Fadium Præsidem. Postea vero Agrippam Chalcidis Regem dixit; Nero partem Galileæ & Tiberiadem addidit. Sed hæc omnia brevi postea amissa sunt, extincto penitus regno Judaico, & excisa funditus Jerosolyma.

Provocavit nempe vindicem DEI manum gens rebellis, tot beneficiis ingrata, perfida, sceleribus a capite ad calcem contaminata, sicut populus sic & sacerdos, sicut Rex ita grex: populus duræ cervicis, adversus omnes DEI ipsius, in carne præsentis, monitiones pervicax & refractarius, qui ipsum Dominum JESUM Christum, qui ad salvandum venerat, impie in crucem egit.

Justo igitur DEI judicio impositum Judæis gravissimum a Romanis jugum, Præfectorum ac militum avaritia & effusa licentia; accedebant factiones internæ ac bella domestica, cædes, latrocinia, libidines. Imperante Claudio, sub Ventidio Prælide, probrosa militis Romani, ante fores templi excubantis, impudentia bellum excitavit, quo viginti tria Judæorum millia perierunt. Ventidius a Quadrato Syriæ Præside Romam missus ad exilium condemnatus est. Successit Felix Judææ procurator, qui Jonathan summum sacerdotem interfici jussit. Sub Floro præfecto palam erupit Judæorum defectio occiso Floro.

Cestius, Syriæ Præses, ut Judæos compesceret, cum exercitu in Judæam venit; sed amissis ultra sex Romanorum millibus repulsus est. Igitur Nero Imp. videns majori opus esse ad Judæos in ordinem redigendos molimine, Vespasianum, triumphis Britannicis clarum, bello Judaico præfecit, qui rem fortius & felicius gessit, expugnata Joppen, & Jocapata, in qua Josephum Judæum cepit, qui libris septem de *Bello Judaico* Jerosolymæ excidium accurate descripsit, additis 20 libris de *antiquitatibus Judaicis*, quibus universalem gentis suæ Historiam a mundo condito est complexus.

Vespasianus ad ipsam Jerosolymam expugnandam exercitum admovit, in quam ingens Judæorum multitudo confluxerat. Sed dum mortuo Nerone Galbam inter, Ottonem, & Vitellium distraheretur

Imperium, Vespasianus ab exercitu acclamatus Imperator, Romam concessit, relicto ad oppugnationem Solymæ Tito filio, qui, castris in monte Oliveti positis, arctius urbem semper arctiusque constringebat. Accessit, propter infinitam hominum multitudinem, ab exteris etiam provinciis ad festum paschæ confluentium, tam rabiosa fames, ut ad nefandos quosque cibos miseros compelleret.

7. Excidium Solymæ.

Titus, ubi tantas eorum miserias calamitatesque conspexit, ad deditionem, ut extremam urbis ruinam suamque averterent, est cohortatus. At cæcus illis furor & insana pertinacia omnem mentem eripuit, atque ultimam cladem attraxit. Capta Jerosolyma, prævaricatrix civitas, super quam flevit olim Dominus, ejusque interitum prædixit, cum augustissimo templo excisa & eversa funditus, abiitque domina gentium in bustum flebile.

Ultra millionem Judæorum ea in obsidione aut cæsi aut fame consumpti memorantur, capta centum prope millia, multa insuper millia, dum effugere conabantur, a Syris & Arabibus intercepta, refecto ventre, quia aurum deglutiisse credebantur, miserrime perierunt.

Qui ab exitio residui erant Judæi, per orbem dispersi, variis in locis postmodum, variisque temporibus jugum, in rebellionem versi, excutere moliebantur, prout sub Trajano, Hadriano, Severo, Constantino, Constantio, aliisque Imperatoribus, sed ita contriti sunt dissipatique per diversas mundi partes, ut in nullam amplius Rempublicam coire potuerint, fœtidi, contempti, omnibus exosi vagantes, sine Rege, sine Duce, sine sacerdote, sine templo, sine Messia, quem cæci homunciones frustra exspectant, ut e captivitate sua altera liberentur.

Articulus VI.

S. Cletus, ab an. 77. S. Anacletus, 83. S. Evaristus, 96.

8. *S. Cletus* Romanus electus anno 77, Romæ 25 Presbyteros instituit, quibus postea Evaristus certos Ecclesiarum titulos attribuit. Hi successu temporum dicti sunt Cardinales. Sedit annos 6, Martyrio coronatus in persecutione Domitiani anno 83.

S. Anacletus Atheniensis Græcus eodem anno electus, duabus Ordinationibus initiavit Diaconos tres, Presbyteros quinque, Episcopos sex. Hæ Ordinationes usque ad Sæculum V. tantum fiebant

bant menſe Decembri. Martyr obiit in perſecutione Domitiana anno 95, ſedis 9. Hæretici ei objiciunt, quod in memoriam S. Petri monumentum conſtruxerit. Verum hic non eſt error, ſed antiquiſſimum morem colendi ſanctos demonſtrat.

S. Evariſtus Bethlehemita, ob Anteceſſore Epiſcopus conſecratus & Vicarius conſtitutus, ſucceſſit an. 96, Presbyteris 25 titulos diviſit, & Diaconis 7, ut ſacerdoti, prædicanti & ſacris operanti adeſſent. Subiit martyrium in perſecutione Trajana an. 108, ſedis 14.

Articulus VII.

Obſervatio in hæc tempora, de Imperat.

Domitiano Tyranno anno Chriſti 96, Imperii 15, veneno a propria uxore Domitia ſublato, *Nerva* ſalutatus Imperator, qui data Chriſtianis pace, omnes præclari Principis partes implevit, in eoque ſolo defeciſſe viſus, quod non diutius imperarit; nam ſenio & viribus confectus, altero Imperii anno deceſſit, anno Chriſti 98, eo vel maxime laudes ſuas coronans, quod Trajanum adoptarit, gente Hiſpanum, in quo virtutes, militares & politicæ, inter ſe concertarent de palma, prout inter ſe certant in iis laudandis ſumma ſcriptorum ingenia. Sed cum potiſſima geſtorum ejus materia ad Sæculum ſecundum pertineat, ea hic prætereunda duximus.

Quantum ad diſciplinam Sæculi primi ſpectat, plurima jam in uſu erant, quæ ab hæreticis hodiernis rejiciuntur, uti 40 dierum & 4 temporum jejunium, ſignum S. Crucis, aqua benedicta, comprecationes ad ſanctorum Martyrum ſepulchra; preces & ſacrificia pro vivis & mortuis oblata; vitæ monaſticæ, cujus S. Joannes Bapt. ſpecimen præbuit, mentionem facit S. Dionyſius Areopagita.

Magna lis eſt inter Criticos, an libri, qui huic S. Martyri & Epiſcopo Dionyſio attribuuntur, ſint genuini ejuſdem partus, an vero ſuppoſiti, quales 1 liber de *Cœleſti Hierarchia.* 2 *De Eccleſiaſtica Hierarchia.* 3 *De Divinis Nominibus.* 4 *De Myſtica Theologia.* 5 *Decem Epiſtolæ ad diverſos ſcriptæ.* Quidam illas lucubrationes tanquam venerandas antiquitatis reliquias, & proprias S. Dionyſii proles cum Franciſco Turriano agnoſcunt, propugnantque, alii vero, recentiores præſertim Critici, poſteriori primum ævo editas contendunt, eo quidem præcipuo argumento, quod nulla in Patrum primorum ſæculorum ſcriptis de illis fiat mentio, & in Catalogis veterum ſcriptorum, uti Dionyſii Corinthii, Euſebii, Hieronymi &c. nec veſtigium extet,

 neque

neque apud S. Athanasium, aut Cyrillum, qui tantæ authoritatis Doctorem non fuissent omissuri allegare. Imo non desunt, qui hos libros Eutychiano alicui hæretico tribuunt. Verum id genus argumenta, Criticis familiaria, non videntur rem penitus conficere, cum privati auctoris scripta, in illis gentilitatis tenebris, & Christianorum persecutionibus, potuerint latere, & postea primum detegi, præsertim cum nulla adhuc inventa fuisset typographia.

S. Clementis epistolam primam ad Corinthios, & secundæ, quæ supersunt, fragmenta; epistolam S. Polycarpi ad Philippenses; acta passionis S. Andreæ, a Presbyteris Achajæ conscripta, in quibus luculentum extat testimonium de reali præsentia Christi in sanctissimo Altaris Sacramento: septem item S. Ignatii Martyris Epistolas, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philodelphienses, ad Smyrnenses, ad Polycarpum scriptas, acerrimi etiam Critici genuinas agnoscunt.

Ex his fontibus sacraque Ecclesiæ traditione constat, primo jam æræ Christianæ Sæculo credita a Fidelibus fuisse multa, quæ hodierni Protestantes inficiantur, uti septem Sacramenta, potestatem sacerdotum absolvendi pœnitentes a peccatis, realem præsentiam Christi in Augustissimo Sacramento. B. V. Mariam sanctosque Martyres singulari veneratione sunt prosecuti. Contra Simonem Magum, Cerinthum, & Ebionem libertatem arbitrii, meritumque bonorum operum defendebant, prout etiam integritatem sacrarum scripturarum, quas hæretici isti mutilabant, traditiones item Divinas & Apostolicas, in Ecclesia conservatas.

Notandum tamen, Patres & Scriptores Ecclesiasticos primorum temporum rarius & cautius de quibusdam mysteriis publice scripsisse, uti de SS. Trinitate, Eucharistiæ Sacramento &c., ne Infidelium ludibrio illa exponerent. Clarius vero illa in Catechesibus suis explicarunt Neophytis, prout fecit S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus suis.

CAPUT II.

SÆCULUM II.

10. Quo magis ager Dominicus irrigatus est Martyrum sanguine, hoc pulchrius effloruit. Decem habuit hoc Sæculum Pontifices, omnes Martyres. Ecclesia per Syriam, Rhœtiam, Gallias, Angliam, Scotiam per viros Apostolicos propagata. Quartodecimani, Montani-

stæ,

ſtæ, Marcionitæ damnati per Concilia & Pontifices. Plures ritus ſacri introducti, quos hodierni Proteſtantes derident.

Articulus I.

S. *Alexander*, 108. *S. Sixtus*, 117. *S. Teleſphorus*, 126.

S. Alexander Romanus electus anno 108, in perſecutione *Trajana*, quæ fuit *tertia*, Martyrii palmam adeptus eſt anno 117, Pontificatus 9. Aquam benedictam, ſale conſperſam, conſtanter in templis aſſervari & in cubiculis voluit. Miſſæ ſacrificio addidit Epiſtolam & Evangelium, pluraque Canoni verba.

S. Sixtus ſive *Xyſtus*, Romanus electus pro more a Clero Romano, conſentiente populo anno 117, obiit Martyr an. 126, ſedis 9, morem in Miſſa legendi vel cantandi triſagion *ſanctus* novo Decreto confirmavit, vetuitque, a laicis vaſa ſacra tangi.

S. Teleſphorus Græcus, ex Anachoreta creatus Pontifex anno 126, obiit Martyr in perſecutione Hadriani anno 137, ſedis 11. In Miſſa hymnum Angelicum *Gloria in excelſis* cantari voluit, & quadrageſimæ jejunium, ab Apoſtolis jam introductum, ſtabilivit. Cavillantur hæc Novatores, ſed credo, S. Martyri Teleſphoro melius perſpectam fuiſſe Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, quorum aliquibus ſuppar erat tempore, quam hominibus novis, heri natis.

Articulus II.

Obſervatio in hæc tempora de Imperat.

Imperium 19 annis moderatus eſt Nerva Ulpius *Trajanus*, ſummus Princeps, nullus illo ſive domi ſive militiæ clarior. Majeſtatem certe Romani Imperii ad ſummum faſtigium evexit, in eamque amplitudinem ab extrema Britannia in Indias uſque extendit, ad quam neque ſub Auguſto pervenerat. *Decebalum* quippe Dacorum Regem primum vectigalem fecit, tum vero, jugum rurſus excutientem regno exuit, caputque illius, cum ſe ipſum confodiſſet, Romæ in triumphum duxit; Dacia vero, Tranſylvaniam, Moldaviam, Valachiamque complexa, in provinciæ formam redacta eſt: quod idem Arabiæ Petreæ contigit. 11. Trajanus.

Bellum

Bellum Dacicum excepit Armenum & Parthicum, ut a Septentrione in Orientem verteret victorias. Causa cupiditas gloriæ, prætextus, quod Armeni non a se, sed a Parthis Regem petiissent. Iterum subacta Armenia, & provincia Romana effecta. Parthi ultra Euphratem Tygrimque submoti. Cosroes ad tributi necessitatem compulsus. Erythræo mari immissa classis. Spolia ex Indis lecta. Trajanus *Alexander Romanus* dictus.

Sed qui tot hostium cuneos perfregit, atque adversus tot armatas phalanges invictus stetit, inermium Christianorum virtute victus est. Quamvis enim nullum novum contra eos edictum publicarit,
3 Persecutio. Neroniana tamen & Domitiana rata esse voluit. Unde *tertia* in eos persecutio recruduit, Præfectis provinciarum non segniter passim sævientibus.

Causæ tyrannidis variæ: odium Judæorum, a quibus Gentiles Christianos non secernebant: Gnosticorum aliorumque hæreticorum, qui Christianos se dicebant, nefanda scelera: Trajani in Deos suos studium, quorum cultor eximius videri voluit: Præsidum truculenta crudelitas. Sed intrepido animo coram iis steterunt Clementes, Dionysii, Ignatii, Simeones, Eustachii, quin & tenerior ætas, sexusque debilior, non timentes eos, qui corpus, non animam possunt occidere.

Postquam autem Plinius II Proconsul Bithyniæ apologiam pro Christianis scripsit, eosque tanquam viros bonos laudavit, Trajanus clementius sæviit. Denique ab Oriente spoliis in trophæum erigendis onustus in Italiam redux, communi heroibus etiam summis fato expeditionem in alterum orbem suscipere coactus est, Selinunte in Cilicia extinctus, triumphi loco reus tribunali sistendus. Fabula autem est, ejus animam precibus S. Gregorii ex inferno redemptam. Obiit anno 117, Imperii 20, æt. 64.

Successit *Ælius Hadrianus*, oriundus quidem ex Hispania, sed na-
118 tus Romæ, a Trajano adoptatus, cui bellandi studio impar, gentes ab eo ultra Euphratem subactas, liberas pronunciavit, pacis artibus conatus excellere. Provincias pedes obibat, reparandis ruinis intentus. In Britannia murum erexit ad 80 passuum millia. Super ruderibus Jerosolymæ urbem construxit, quam a nomine suo *Æliam Capitolinam* appellari voluit. Cum antrum Bethlehemiticum, in quo Christus natus fuerat, magno apud Christianos in honore esse intelligeret, Veneris desuper Adonidisque templum exstruxit. Calvariæ vero montem muris cinxit.

Bellum

Bellum gessit cum Judæis, qui rebellionem rursus moverant. Plura centena eorum millia deleta: Judæa in solitudinem versa. Christiani quoque innocui involuti, & gravi persecutione pressi, donec Hadrianus legeret apologias Quadrati Episcopi & Aristidis Philosophi, pro Christianis scriptas. Obiit anno 138, Imperii 21, ætatis 62.

Articulus III.

S. Hyginus, 138. *S. Pius*, 142. *S. Anicetus*, 150.

S. Hyginus Græcus, ex Atheniensi Philosopho creatus Pontifex institutos a Christo Sub-Diaconatus & Minorum Ordinum gradus distinctius secrevit ac declaravit. Martyrii palmam retulit anno 42, sedis 4 completo, sub Antonino Pio. 12

S. Pius I Italus, Aquilejæ natus, martyrio vitam consummavit anno 150, sedis 9, sub Ant. Pio; quamvis enim hic Imperator per se ipsum Ecclesiam non sit persecutus, nolueritque, ut Christiana professio habeatur pro crimine, Gubernatores nihilominus & Judices, acclamante & applaudente Infideli populo, in Christianos grassabantur, maxime in summos sacrorum nostrorum Antistites, ut percusso pastore dispergantur oves.

Decretum edidit S. Pius, quod extat apud Gratianum *Dist.* 2 *de consecrat.* quo gravis pœnitentia injungitur illi, cujus culpa ex calice consecrato aliquid stillaverit seu effusum fuerit de sanguine Domini, manifesto argumento præsentiæ realis sanguinis Domini in Eucharistia: cur enim tanta veneratio, tanta cautela, tanta pœnitentia exigeretur, si præter panem & vinum, aut meram figuram nihil agnovissent primi Christiani? Videri possunt hac de re Tertullianus libro de *corona militis cap.* 3, & *Origenes Homilia* 13 *in Exodum.*

S. Anicetus, natione Syrus, electus anno 150 vetuit, ne Clericus comam nutriat, ut habetur in libro Pontificali. Ejus tempore S. Polycarpus Romam venit ob controversiam de tempore, quo celebrandum esset Pascha. Contendebat nempe Anicetus cum Concilio Romæ congregato, celebrandum esse Pascha Dominica proxima post lunam decimam quartam mensis Nisan, post æquinoctium vernum, secundum traditionem & morem SS. Apostolorum Petri & Pauli in Occidente observatum. Polycarpus autem cum Orientalibus ad exemplum S. Joannis se referebat. Uterque tamen retinens sui ritus in osculo pacis alter alteri valedixit. Epistolam Aniceti ad Galliæ Episcopos tanquam suppofititiam rejiciunt communiter hodierni Critici. Obiit

anno 161, fedis 11, in perfecutione Marci Aurelii & Lucii veri, quæ fuit quarta, martyrio coronatus.

Articulus IV.

Obfervatio in hæc tempora de Imperat. &c.

13. Ant. Pius. Hadriano in Imperio anno 138 fucceffit *Antoninus*, a probis moribus & fuavi in omnes facilitate *Pius* cognominatus, ab Adriano jam antea adoptatus, a quo diverfam vitæ rationem iniit, ex Italia nunquam, Roma vix unquam egreffus. Vologefus Parthorum Rex, lectis ejus litteris, Armeniam, quam occupaverat, ultro dimifit. Omnia fua vafa pretiofa vendidit, ut militi ftipendia folveret, ne fubditos tributis oneraret; vetuitque, ne quis in jus vocaretur, eo folum nomine, quod Chriftianus effet. Seditiones non armis, fed virtutum majeftate compefcere folitus: alter Numa dictus ob pacis ftudium; quapropter barbari quoque controverfiarum fuarum eundem arbitrum elegerunt, ubique gentium cultus ut pater: dicere auditus, malle fe unum civem fervare, quam mille hoftes perdere, boni que Principis effe, non femper bellis fremere, & flammas circumferre. Obiit anno 161, Imperii 23, nihilque illi, nifi religio defuit.

Hærefes. Chriftiana fub eo Ecclefia in lætas fegetes excrevit. Inimicus tamen homo fuperfeminavit zizania, hærefes inquam, exitiale malum, & plus omnibus perfecutionibus formidandum. *Valentinus*, monftrum, ex omni turpitudinis fæce concretum, docuit, 30 effe Deos, aliasque fabulas inficetas, & Gnofticorum fpurcitias. *Ophitæ* ferpentem adorarunt, aut potius dæmonem, fe rurfus transformantem. *Adamitæ*, fpurci prorfus homines nudi, nuptias damnabant, ut vagæ libidini indulgere poffent. *Cajani* malum dicebant bonum. *Cerdon* duos Deos fingebat, bonum & malum. Secutus exemplum magiftri Difcipulus *Marcion*, pluraque alia figmenta addidit, eo a fpurcis iftis hæreticis intenta, ut folutis habenis in fordibus volutari poffint, cum deplorando nominis Chriftiani probro, & Gentilium fcandalo. Per infames autem mulierculas luem fœtentem diffuderunt, ut *Carpocras* per *Marcellinam*, & *Apelles* per *Philumenem*, quas prophetiffas dicebant.

Articulus V.

S. Soter, 161. *S. Eleutherius*, 172.

S. Soter, patria Campanus, vetuit, ne Monacha pallam facram 14.
tangat. Romæ collectas indixit, iisque aliarum Ecclesiarum, damnatorum ad metalla, exulumque inopiam sublevabat. In nuptiis solennes a sacerdote precationes peragi jussit. Duæ Epistolæ Decretales, quæ ejus nomine prodierunt, altera ad Campaniæ Episcopos, altera ad Italos, apogryphæ censentur. Obiit anno 171, sedis 8, passus sub Marco Aurelio & Lucio Vero.

S. Eleutherius, natione Græcus, S. Aniceti quondam Diaconus, rogatus per epistolam a Lucio Britanniæ Rege, teste Beda, Fugatium & Damianum viros Apostolicos misit, a quibus Rex edoctus Christianæ religionis mysteria, baptizatusque in sanctum Principem, imo Apostolum evasit.

Horum Pontificum tempore *quarta* Christianorum *persecutio* sæviit, a Marco Aurelio & Lucio Vero accensa. Occubuere in illa, præter 4 Persecut.
Soterem & Eleutherium Pontifices, illustres pro fide pugiles, Polycarpus, Smyrnensis Episcopus, S. Joannis Discipulus, totius Asiæ Primas; S. Justinus Philosophus, natione Syrus, qui duas pro fide Christiana Apologias Imperatoribus obtulit; Lugdunenses item Martyres multi cum Pontico, 15 annorum adolescente.

Articulus VI.

Observatio in hæc tempora de Imperat. &c.

Persecutionem, quod dixi, quartam excitarunt *Marcus Aurelius* 15.
Antoninus Philosophus, & *Lucius Antoninus Verus*, Imperatores, quos, nulla Marcus Aurel.
cognatione inter se connexos, Antoninus Pius in filios adoptaverat. Gesserunt Imperium animo concordi, moribus licet inter se dissimillimi. Marcus sectam vitamque Stoicam professus, Philosophi nomen integritate & severitate morum implevit. Vix ullum certe plus laudarunt Gentiles Historici. Virtutum omnium cælestisque ingenii virum dicunt, calamitatibus, quæ post Pii mortem Romanum orbem invaserant, provisum divinitus.

Hinc quippe Marcomanni, Quadi, Chatti, pugnacissimæ gentes, quas Pii auctoritas continuerat, totusque Septentrio in arma ruit: inde Parthi Oriensque incumbebant. Alibi sæva pestis famesque de-

pascebantur Provincias. Christiani ultorem persecutionis DEUM agnoscebant; Gentiles Deos iratos dicebant, quod Imperatores mitius in Christianos sævirent.

Lenivit aliquantum Præsidum persecutiones Marcus post bellum Marcomannicum, perspecto oculis propriis insigni prodigio. Dum enim in Quados movit, ab iis interclusus, prope erat, ut siti & æstu cum toto exercitu conficeretur. Sed vexatio dedit intellectum; Christianam legionem, ut DEUM suum invocaret, interpellavit. Quod ubi hæc flexis genibus fecerat, cælum repente diffluens imbribus, & coruscans tonansque fulminibus in castris hostium, istos perculsos in fugam conjecit, Romanis, potu recreatis, plenam asseruit victoriam. Imperator hoc miraculum Romam ad Senatum scripsit, mitiusque cum Christianis agi præcepit. Mirum foret, quod ad tantam lucem non viderit veritatem, nisi & hodie superessent, quorum pervicaciam Divina non movent prodigia. Legio autem illa *Fulminatrix* fuit appellata.

Legio Fulminatrix.

Lucius Verus, Collega Marci, luxu & libidine diffluens, mancipium erat spurcæ voluptatis, ut in uno palatio virtus & vitium hospitarentur. Cum Vologesus, post obitum Pii in Armeniam irrumpens, Romanas legiones, per insidias oppressas, prope delevisset, bello Partico suscepto, in Syria confidens, palam ausus est, quæ Romæ clanculum; bellumque quinquennale per Cassium Legatum gessit ea felicitate, ut Parthus Armenia submotus, captisque ad Tygrim usque urbibus, ad pacem petendam sit adactus. Lucius vero, qui hostem non viderat, dum Romam ad triumphum properat, in Pannonia apoplexia tactus, interiit, anno Imperii nono. Ad decem deinceps adhuc annos solus imperavit Marcus Aurelius. Germanos ad Italiæ usque fines progressos, a Pertinace devictos, repulit, Ægyptum jugum excutere molitam per Cassium Syriæ Præsidem domuit. At hic Parthis & Ægyptiis devictis ferox, a milite acclamatus Imperator, dum adversus Marcum procedit cum exercitu, morbo periit. Tandem ipse Imperator Aurelius fato concessit Vindobonæ, quæ Vienna hodie dicitur, anno 180, Imperii 19, ætatis 59, in adversis æque ac prosperis sibi constans, dicere solitus, beatum esse regnum, in quo Philosophi regnent, aut Reges philosophentur.

Lucius Verus.

At veterum Philosophorum doctrina non semper optimos formavit homines; nam *Hermogenes* Philosophus Stoicus, *Bardesanes*, ejusque filius *Harmonius*, *Saturninus*, *Basilides*, Philosophi, ut liberius litarent Veneri, deserta vera Religione, in varias hæreses prolapsi sunt.

Hæreses.

Verum

Verum non tantum per laxam, sensibus blandientem, doctrinam ortae sunt hoc Saeculo II nefandae haereses, sed etiam per rigores nimios. Argumento sit 1 *Tatianus*, Justini Martyris discipulus, qui praeclarum adversus Gentiles librum ediderat, post mortem magistri sui haeresin *Encratitarum* seu continentium procudit, docuitque, nuptias esse malas, carnium vinique usum prohibitum, solaque aqua sacrificium perficiendum. Quasdam etiam fabulas ex Valentino est mutuatus. In varios ramos, ut fieri consuevit, haec secta se diffudit. Tatianus.

2 *Montanus* Phryx & se Prophetam, & Priscam ac Maximillam, a maritis suis abductas, Prophetissas haberi voluit. Nuptias infames dicebat; nunquam in persecutione fugiendum: tres in anno quadragesimas servandas observari jussit. Novatianorum praecursor propter omne fere delictum fores Ecclesiae praecludi voluit. Vocabantur Montanistae etiam *Cataphryges*, & *Peputiani*, a locis, in quibus viguit haec haeresis, per Asiam etiam & Africam late propagata. Montanus.

3 His erroribus Montani, quod dolendum, irretitus est magnus ille *Tertullianus*, tot praeliorum Victor, qui Apellem, Praxeam, Hermogenem, Gnosticos, Judaeos, Gentiles tam gloriose profligaverat. Qui omnes antea ingenii nervos ad defensionem Christianitatis, ad extirpandas haereses, intenderat, immensis eruditionis & eloquentiae vehementis fluminibus effusis, fulgura inter & tonitrua, sonoros inter fragores reboantia. Tertullianus.

Articulus VII.

S. Victor.

Natione Afer in locum Eleutherii suffectus anno 185, Theophilo Caesareae Episcopo Romam veniente, Concilio convocato, decidit, Pascha non ipsa decima quarta lunae die primi mensis more Judaeorum esse celebrandum, sed Dominica proxime sequente, juxta Apostolorum traditionem. Argumenta Papae Victoris erant 1 ne communicemus cum Judaeis. 2 Ut in tota Ecclesia sit uniformitas, cedendum judaizantibus paucis Orientalibus, moremque Occidentalium omnium, & plurium Orientalium servandum. 3 Ut honos habeatur Resurrectioni Christi ac diei Dominicae. Quae rationes postea a Concilio Nicaeno & Constantino M. sunt confirmatae. 16. De paschate.

Theodotum Coriarium haeresiarcham Byzantinum, Divinitatem Christi negantem, damnavit, & Ecclesia ejecit S. Victor. Quatuor epistolas, quae ei tribuuntur, suspectas aut apocryphas habent multi.

Hoc unum adverto, argumentum, quo varias primorum Pontificum epistolas cum Pagio rejiciunt Critici, quod scilicet plura verba inveniantur in epistolis aut aliis scriptis S. Leonis, aut alterius Pontificis posterioris, non videri omnino firmum. Cur enim S. Leo usurpare non potuisset aliqua verba priorum Pontificum? Certe, si in duobus Scriptoribus inveniantur eadem verba, judicandum potius, quod posterior ex priore descripserit, aut quod uterque casu in illa inciderit. Obiit S. Martyr Victor anno 197, sedis 11.

Articulus VIII.

Observatio in hæc tempora de Imperat. &c.

17. Historia Romani Imperii ex aurea ætate jam in ferream delabitur, ut inquit Dion. Sub Trajano, Hadriano, Antoninis, magnis Principibus, validum suisque nervis probe compactum stabat. At vero sub *Commodo*, degenere Marci Aurelii filio, compage, qua cohære-

Commodus. bat, labefactata hiare cœpit. Etenim Commodus, non nisi inane Imperatoris nomen gerens, publicarum rerum cura in *Perennem* rejecta, inter nugas & scurrilitates tempus perdidit. Herculis clava armati personam indutus, multos velut Stymphalides mactavit, etiam primarios viros, ipsumque Perennem, per quem Imperium administraverat, suffecto Cleandro Servo, quem populus interemit, ac paulo post Narcisso gladiatore duce ipsum etiam Commodum, anno 193, nominis Imperialis 13, æt. 32.

Christianis ab eo quies, versa in ipsos gentiles crudelitate, plectente Nemesi Christianorum persecutores, magistratus potissimum, ut per talem Imperatorem proprium sanguinem funderent, qui toties sitiverant alienum.

Ad ruinas jam prolabens Imperium in plura dispersum est capita

Helvius. a nece Commodi. *Helvius Pertinax*, e Grammatico miles, e milite ad Præfecturam urbis evectus, atque a Senatu jam sexagenarius dictus est Imperator. Sed post tertium mensem Imperii a militibus, qui severos ejus mores ferre non poterant, est interemptus: dignus Princeps meliore ævo, quod Curios Fabriciosque ferre posset.

Parricidæ vænale Imperium *Didio Juliano*, plus offerenti, detu-

Didius. lere. At Senatus & populus, aversatus turpem nundinatorem, capitis damnatum altero mense, Severo cum copiis ex Pannonia veniente, neci tradiderunt; electusque est Imperator *Septimius Severus*, qui duos potentes æmulos nactus est, copiarum Duces, Albinum in Britan-

Britanniâ, & Nigrum in Syria, quos sui pariter exercitus Imperatores salutarunt.

Severus Nigrum, pluribus præliis fractum capit necatque. Byzantium, Nigro amicum, triennio obsessum expugnatumque, in vicum conversum, humanarum rerum vicissitudine caput futurum orbis. Albinum primo Severus Cæsarem, at Nigro debellato, hostem dixit. Commissum ad Lugdunum ingens prælium, in quo Albinus cecidit, Lugdunumque vastatum est. Septimius Severus.

Sublatis competitoribus ab extremo Occidente in Orientem conversus Parthos Messopotamia, quam civilis belli tempore occupaverant, devictos expulit. Ex æois rursus plagis in occiduas rapto milite, Britanniam composuit, Romanumque Imperium per eam latius protendit; nunquam enim tota fuit subacta.

Articulus IX.

Observatio in Sæculum II Ecclesiæ.

De Disciplina & Viris Illustribus Sæculi II.

Disciplinam Sæculi II descripsit S. Justinus Martyr in suis Apologiis duabus, quarum alteram Antonino Pio, alteram Marco Aurelio obtulit. Secundum has Christiani die solis synaxin sacram celebrant, convenientes ex agris etiam & oppidis. Prælegitur aliquid ex S. Scriptura, quam is, qui præest, explicat, cum adhortatione, ut observetur. Sermone finito surgunt omnes, & comprecantur. Is, qui præest, consecrat panem & vinum, aqua temperatum. Unusquisque ex consecratis participat, atque ad eos, qui absunt, dantur Diacono perferenda. 18.

Hæc sacræ Eucharistiæ participatio singulis ferme diebus fiebat a primis Christianis. Post sumptam Eucharistiam Agapen seu convivium simul agebant. Infantibus etiam ministrabatur Eucharistia. Grassante persecutione in manus laicorum dabatur, domum deferenda, & asservanda: fœminæ illam mundo strophiolo excipiebant. Tempore Paschali preces stando peragebant. Signum crucis frequenter faciebant.

Sacrarum imaginum rarior erat usus ob furorem Gentilium, & quia timendum erat, ne populi, recens conversi, eas tanquam idola adorarent. Pro vivis & defunctis orabant & sacrificium offerebant.

Cate-

Catechumeni seu baptismum petentes, alii dicebantur *Audientes*, necdum satis instructi: alii *Competentes*, satis jam præparati. Baptismus conferebatur trina immersione in aquam, cum invocatione SS Trinitatis, & iisdem ferme ceremoniis Catechismi, exorcismi, insufflationis, unctionis, &c. Has ceremonias exponunt Tertullianus in libro de Bapt. S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus, aliique Patres. Conferebatur autem (extra casus necessitatis) Baptismus in pervigiliis Paschæ & Pentecostes.

Qui post Baptismum in grave ac publicum delictum erant prolapsi, gravi pœnitentia plectebantur. Clerici in communi vivebant de oblationibus fidelium, quarum administratio erat penes Episcopum. Ordinationes & electiones Ecclesiarum Præsulum fiebant cum consensu populi, vel antecedente, vel concomitante, vel consequente.

Hæreses variæ grassabantur, de quibus jam aliquid memoravi. Sed habuit Ecclesia strenuos adversus eas defensores; dolendumque, quod aliquorum opera vel ex integro vel ex parte interierint. Tales sunt Apologiæ Quadrati & Aristidis Atheniensis Philosophi: Historia Ecclesiastica Egesippi. Extant autem adhuc genuina

S. Justinus. opera 1 *S. Justini M.* præter geminam Apologiam pro Christianis, Dialogus cum Tryphone Judæo, Parænesis ad Græcos. Alia multa ejus opera injuria temporis interierunt.

Clemens Alexand. 2. Floruit eodem hoc Sæculo II. *Clemens Alexandrinus* Pantæni Stoici Discipulus, Origenis Præceptor, patria Atheniensis, Presbyter Alexandriæ & in schola ibidem Magister, sacra & profana eruditione clarus, scripsit octo libros *Stromatum*: adhortationem ad gentes; aliaque plura, quæ non amplius extant.

S. Irenæus. 3. *S. Irenæus*, natione Græcus, Lugdunensis in Gallia Episcopus, S. Polycarpi Discipulus, anno 202 martyrio coronatus. Ex ejus operibus supersunt quinque libri adversus hæreses, Valentini potissimum; reliqua perierunt.

Tertullian. 4. *Tertullianus*, natione Afer, patria Carthaginensis, Presbyter, multa scripsit, dum adhuc esset Catholicus, uti Apologiam, libros ad Nationes, de præscriptione contra hæreticos, de Baptismo, de patientia, de testimonio animæ, de virginibus velandis, de pœnitentia, de Idololatria, de spectaculis, de carne Christi, de resurrectione carnis, de corona militis, de oratione, ad Scapulam Africæ Præfectum, ad Martyres, ad uxorem, adversus Judæos, Gnosticos, Valentinum, Marcionem, Hermogenem, Praxeam &c. postquam vero infelix Zelator ad Montanistas defecit, & Ecclesiam impugnare cœpit, ex livore, ut putat Baronius, quod Victor, gentilis suus, in

Pon-

Pontificatu sibi fuisset prælatus, scribere perrexit de Monogomia, de fuga in persecutione, de jejuniis, de pudicitia & castitate. Alia non amplius extant. Præter Montani autem hæresin docuit, animam esse corpoream, eamque ex traduce propagari, animas justorum ante Judicii diem non recipi in cœlum, atque regnum Christi per mille annos in terris futurum: hæreticos rebaptizandos: secundas nuptias tanquam stupra damnandas: fugam in persecutione esse illicitam. Unde Gelasius Papa in Concilio 70 Episcoporum scripta Tertulliani apogrypha declaravit.

Apologias pro Christianis scripserunt *Melito* Sardicensis Episcopus, *Athenogoras*, *Miltiades*, *Tatianus*, post mortem S. Justini Encratitarum auctor.

Ex profanis Scriptoribus hoc Sæculo floruerunt, sub Trajano *Plutarchus*, qui Græcos & Romanos Heroes inter se comparat: *Plinius junior*, cui nihil nisi vera Religio defuit: *Svetonius*, qui 12 primorum Imperatorum vitia potius quam vitam scripsit: *Florus*, qui Livii Decades in synopsin contraxit. *Cornelius Tacitus*, acumine & sententiarum pondere celebris, stylo confragoso, & sublimiore, quam Historia exigat, Cæsarum vitas multaque de veteri Germania scripsit, incipiens a Tiberio, desinens in Vespasiano. Plutarchus. Plinius jun. Sveton. Tacitus.

Sub Hadriano inclaruerunt *Ptolomæus* Alexandrinus, Astronomiæ decus, & *Gellius*, in Noctibus Atticis lucem quærens. Sub Antonino Pio *Galenus* Pergamenus, Medicus alter ab Hypocrate; *Justinus* Historicus, Trogi Pompeii compilator; *Diogenes Laertius*, qui non tam dogmata, quam exempla Philosophiæ scripsit. Sub M. Aurelio *Hermogenes* Rhetor, *Philostratus* Sophista, *Apulejus* Afer Magus, *Lucianus* ex Christiano Atheus, impuris Dialogis & Satyris præclarum ingenium fœdavit. *Appianus* Alexandrinus Historicus, apprime eruditus & utilis; *Aphtonius*, cujus extant apophtegmata Rhetorica: sub Commodo *Pausanias* Historicus Græcus. Ptol. Gellius. Galenus. Laertius. Lucianus. Pausanias.

CAPUT III.

SÆCULUM III.

Orcus ultimas suas vires exerere visus est, per tyrannidem & hæresin, ad extirpandam funditus Christi in terris Ecclesiam. Decianis illis, Valerianis, atque Diocletianis procellis proh quantum sanguinis fu- 19.

fusum est. Novatiani, Sabelliani, Manichæi vi tota incubuerunt, ut eandem in exitium darent.

At stetit illa cedri instar turbinibus impulsa fortior, & velut aqua agitata purior; dum enim utraque illa Erynnis rabiem suam æstusque despumat, Religio tantopere est propagata, ut dimidia minimum Romani Imperii pars Christiana evaderet, & eventus comprobaret, quod Tertullianus de gentibus scripsit: *dum metimur a vobis, augemur, Sanguis Martyrum est semen Christianorum.*

Præibant exemplo summi Pontifices, 14 omnino, sancti omnes, gloriosis callem signantes victoriis. Prostrata hæresum monstra per sacra Concilia. A Patribus per doctissima scripta defensa Ecclesia, vitæ sanctimonia & miraculis illustrata.

Articulus I.

S. Zephyrinus, ab anno 197. *S. Callistus,* 217. *S. Urbanus,* 222.

S. Zephyrinus, Romanus, statuit, ut ordinationes publice in Ecclesia peragerentur, atque ut Episcopo celebranti assisterent omnes sacerdotes illius Ecclesiæ. Montanistas, & ipsum etiam Tertullianum & Proclum anathemate perculit. Ex quo patet, quam falso ei objiciatur, quod Montanistis faverit. Pacem quidem eis dederat, quia Catholicos se simulabant, sed melius informatus eos damnavit. Origenem Christi causa profugum cum paterna charitate Romæ suscepit. Falsum est, Marino teste, quod in idololatriam aut homicidium lapsis omnem pœnitentiam & reconciliationem negaverit. Tertulliano Montanistæ in hac re non est credendum.

5 Persecutio. Sub hoc Pontifice erupit *quinta Ecclesiæ persecutio* gravissima anno 202 decimo Severi Imperatoris, occasione militis Christiani, qui in triumpho coronam seu laurum capiti imponere recusavit. Displicuit id Catholicis (cum gestatio talis lauri res esset indifferens, & nullatenus religionis alicujus professiva) placuit tamen Tertulliano, qui in laudem hujus facti librum scripsit de *corona Militis.* Persecutio autem illa erat sævissima, tenuitque per novem annos, usque ad mortem videlicet Severi. Præter innumeros alios occisus est S. Irenæus, Episcopus Lugdunensis. Credebantur adesse Antichristi tempora. Cum Leonides Alexandriæ ad martyrium duceretur, Origenes ejus filius, tunc adolescens, vix domi a matre contineri poterat, quo minus patrem ad mortem sequeretur. Obiit S. Zephyrinus anno 217, sedis 20.

S. Cal-

S. Callistus Romanus, de quo in Pontificali Romano memoratur, quod construxerit cemeterium in via Appia, ubi multi Martyres requiescunt, & hodiedum *Cemeterium Callisti* appellatur; tandemque post diuturnum carcerem, famem & diuturna verbera, e fenestra in puteum præcipitatus Martyrii coronam adeptus est, anno 222, sedis 11. Jejunium quatuor anni temporum novo Decreto firmavit.

S. Urbanus, Romanus, Valerianum, Cæciliæ sponsum, ejusque fratrem Tiburtium, & Maximum, cubiculi Imperatoris Præfectum, baptizavit, & ad martyrii lauream perduxit: ad quam & ipse secutus est anno 230, sedis 8. Vasa sacra, ex argento confecta, ab eo fuisse adhibita, refert Pontificale Romanum, non tamen negat, ea jam antea fuisse in usu, præsertim in Missæ sacrificio. Quod autem Confirmationis Sacramentum instituerit, mendacium est centuriatorum. Christus illud instituit, & jam Apostoli illo usi sunt, *Act.* 8. & 19. Tertullianus, antiquior S. Urbano, sæpius de eo mentionem facit, ut *de Bapt. &c.*

Articulus II.

Observatio in hæc tempora de Imperatoribus aliisque.

Septimius Severus, sublatis æmulis, *Plautiano* genero suo gubernandum se tradidit, ad summam potentiam provecto. Sed quam instabilis rota volvit res humanas! mox alter velut Sejanus, proditionis a Caracalla postulatus, in ipso Imperatoris cubili confoditur. 20. Plautianus.

Obiit Severus anno 211 Imp. 17, æt. 65. Gente fuit Afer, patria Tripolitanus, ac propterea multitudini minus gratus, quamvis defluenti Imperio necessarius, cui suam majestatem & amplitudinem restituit. Præter belli artes eximias, doctorum virorum amator & cultor: quos inter summi Jurisconsulti *Papinianus* & *Ulpianus*, magna pars Romani Juris. Imperium reliquit validum, quod 32 legiones tuebantur: omnibus forte anteponendus Imperatoribus, nisi dotes præcellentes immani in Christianos crudelitate fœdasset, & filium genuisset *Caracallam*. Sept. Severus. Ulpianus. Caracalla.

Nihil is patris præter sævitiem habuit: homo levissimus simul & sanguinarius, *Getam* fratrem & collegam Imperii, a patre destinatum, seque multo meliorem, ad gremium matris fugientem confodit, atque viginti hominum millia, Getæ faventium, & inter eos magnum *Papinianum*, trucidari jussit. Regibus passim fidem fregit & gulam. Armeniæ Regem amice evocatum interemit. Orbem terrarum spoliavit, Geta.

ut milites ditaret, & propudiosis spectaculis indulgeret. Celtis bellum indixit, & pacem emit. Alexandrum M. se dixit & sedecim Macedonum millia in phalangem composuit. Sed nugas ejus narrare piget. Ut tamen magnum quid ausus videretur, in Parthos movit, sed in ipso itinere a suis fuit occisus, anno 218, Imp. 6, æt. 29.

Macrinus. *Macrinus*, natione Maurus, Prætorii Præfectus, cujus insidiis *Caracalla* perierat, Imperator dictus a milite, a Rege Parthorum bis victus pacemque emere coactus, a militibus occisus cum filio, vix alterum Imperii annum auspicatus: postquam fuit venator, pugil, ludimagister, Notarius, miles, Dux, Imperator, nihil.

Heliogabalus. Fœminarum artibus intrusus est *Heliogabalus*, quam ætate juvenis, tam moribus corruptus: novum Imperii portentum, & Sardanapalus sui sæculi. Magnus hic nugator quarto anno nugarum a Prætorianis confossus periit, æt. 18.

Alex. Sever. Suffectus est ab exercitu *Alexander Severus*, Heliogabali consobrinus, sedecim annorum juvenis, at senili prudentia, consilio, morum maturitate ætatem compensans: in palatio justus, in castris severus, in pugna fortis, prioris monstri delevit infamiam. Revocata veteri Quiritum disciplina, victis in Oriente Persis, Mauris in Africa, cum ad Germanicum bellum se accingeret, a militibus cum Mammæa matre ob severitatem est interfectus, anno 236, Imp. 13, æt. 29, dignus, qui semper imperaret, dignus nomine, & Alexandri victoriis. Nullus Ethnicorum Principum propius ad naturæ leges accessit, legum ipse multarum conditor, per Ulpianum maxime, quem objectu propriæ purpuræ protexit.

Ulpianus. Quamvis autem Ulpianus iniquo esset in Christianos animo, Alexander tamen illis favit, plurésque in aula ex iisdem habuit; quin Christum coluisse dicitur, eique templum voluisse construere, persuasum a Mammæa matre, ab Origene imbuta fide Christiana. Hoc certum, plurimum sub hoc Principe auctam Christianam Ecclesiam.

Finis regni Parthici. Defecerat circa hæc tempora in Artabano IV, *Arsacidarum* ultimo, *regnum Parthorum*, quod 400 annos steterat, & unum potissimum obstitit, quo minus Romanorum Monarchia fieret universalis, insignes sæpe clades ab eodem passa: instauratumque iterum *Regnum Persicum* ab *Artaxerxe*, obscuri ante generis homine, qui (ut Miriweis & Kulican nostra ætate) adversus Artabanum, Dominum suum rebellis, trino eundem prælio fusum profligavit, Regnumque ad Persas transtulit. Romanos dein invasit, eosque Armenia, Messopotamia, Syria, & Asia minore ad usque ferme Hellespontum exuit. Verum ab Alexandro

Instauratio Persici.

dro Severo, quod dixi, devictus, in Persiam fuit retrusus. Mansit deinceps regnum Persicum in Artaxercis familia usque ad Sæculum VII.

Floruit hoc tempore *Origenes*, sublimis & incomparabilis ingenii, sui sæculi stupor, sequentium error, cupidus Martyrii, quod senex horruit, notior peccans quam pœnitens, novus Salomon. Quamvis irregularis, quod se ipsum abscidisset, sacerdos tamen ordinatus, multas molestias tulit. Hanc defectionis causam assignant quidam. Crediderim, ubertati ingenii confisum nimium. Docuit autem, Filium Dei minorem esse Patre, & Spiritum S. Filio: circumscriptam esse Dei potentiam: animas creatas ante corpora: Christum passum pro dæmonibus sicut pro hominibus, illosque salvandos; sicut etiam alios damnatos. Ignem inferni allegorice intelligendum: astra esse animata. Liberi arbitrii vires extollendo, gratiæque necessitatem negando, Pelagio prælusit. Origenes.

Floruit quoque *Dion Cassius*, rerum Romanarum scriptor diligens, apud Alexandrum Imperatorem, prout docti omnes, valens gratia. Ex ejus historia multa sunt deperdita, quæ Xiphilinus aliquantum supplevit. Dion.

Articulus III.

S. Pontianus, 230. *S. Antherus*, 235. *S. Fabianus*, 236. *S. Cornelius*, 250.

S. Pontianus, Romanus, calumnia circumventus in Sardiniam relegatus Pontificatu se abdicavit, postquam illum 5 annis gessit, ac paulo post sub Maximino Imp. martyrium subiit. Duæ illi tribuuntur Decretales Epistolæ, quæ suppositæ judicantur. Objiciunt ei hæretici, quod dixerit, per sacerdotes Christi corpus *confici*. Sed hoc ipsum dixerunt summi Ecclesiæ Doctores, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, qui *Epist.* ad *Heliod.* ait de sacerdotibus: *Corpus Christi sacro ore conficiunt*, sacramentaliter videlicet, ponendo illud sub speciebus panis. sf.

S. Antherus, Græcus, mense jam altero sui Pontificatus Martyrii lauream obtinuit, quod gesta Martyrum jussisset conscribi, & in Ecclesia recondi. Epistola una illi assignatur, quam Critici suspectam habent, quod ex posterioribus scriptoribus esset collecta.

S. Fabianus, Romanus, anno 236 subrogatus Anthero, cum in sacro Comitio columba capiti ejus insedisset, teste Eusebio *Hist. Eccles. lib.* 6, *cap.* 29, cum S. Clemens septem Notarios constituisset, qui gesta Martyrum diligenter annotarent, Fabianus septem subdiaconos

nos eis substituit, ut hoc negotium majori cum accuratione executioni daretur. Plura cœmeteria subtus terram fieri jussit pro Martyribus, in quibus Fideles sacram synaxin sumebant, & deinceps orandi causa frequentata sunt. Tandem sub Decio accessit & ipse sanctis martyribus, anno 250, sedis 14, sepultus in cœmeterio Callisti via Appia.

Novatianus. Antip. *S. Cornelius*, Romanus, Cleri & populi suffragio electus est anno 250, insurrexit adversus eundem *Novatianus* Presbyter Romanus, qui ex Philosophiæ peritia nomen sibi comparaverat, primus Antipapa schisma induxit. Quare Cornelius synodum Romæ congregavit 60 Episcoporum, aliorumque sacerdotum multo plurium, a quibus Novatianus cum suis damnatus & anathemate percussus est.

Non stitit Novatianus in solo schismate: addidit hæresin; Ecclesiam lapsis in persecutione aut post baptismum non posse dare veniam, aut quantumcunque pœnitentes recipere: secundas nuptias esse damnandas, Bigamos excommunicandos. Contra Novatianum proin & ejus asseclas, præter Concilium Romanum, duo alia sunt celebrata, alterum Carthagine a S. Cypriano, alterum Antiochiæ a Demetriano Episcopo, in quibus definitum, lapsis post plenam ac diuturnam pœnitentiam dandam esse pacem & absolutionem a peccatis.

Novatus. Novatiano schismatis socius aut omnino auctor fuit *Novatus*, Carthaginensis Presbyter, propter scelera metu pœnarum ex Africa Romam profugus. Quam bene novatoribus istis nomen suum convenit. Per centum prope annos deinceps Romæ, præter Catholicum, Novatianus fuit Episcopus, ad Cœlestini I videlicet usque tempora.

Cornelius Papa martyrium subiit anno 252, sedis 3. Acta ejus & Epistolæ duæ, quæ circumferuntur, censentur suppositæ. Objiciunt ei hæretici, quod solam aquam in Missa offerendam decreverit. Sed falsissimum est, nullo teste idoneo probatum. Genuinæ censentur 4 ejus epistolæ ad Fabianum, & aliæ 4 ad Cyprianum.

Articulus IV.

Observatio in hæc tempora de Imperatoribus & aliis.

22. Maximinus. Post necem prematuram Alexandri, magni Principis, primus absque ullo Senatus Decreto, militari auctoritate purpuram rapuit *Maximinus* Thrax, opilio, vasto corpore, portentosis viribus propter morum cruditatem & immanitatem dictus Cyclops & Busiris, in omne hominum genus grassatus tyrannide, sævitie Imperium stabiliendum ratus, atque accersendam auctoritatem, quam natalium obscuritas & morum

morum barbaries negaverant. Devictis Germanis dum in Sarmatiam legiones ducit, quarto tyrannidis anno prima ab eo defecit Africa, quæ Proconsulem suum *Gordianum*, jam octogenarium cum filio, invitum & reluctantem, intentatis etiam gladiis ad Imperium traxit. Senatus quoque cum universa Roma Augustum salutavit.

Verum Gordianus, dum cum Capelliano, Numidiæ Præside, Maximino adhærente, confligit, victus & interfectus est cum filio. **Gordianus sen.**

Senatus Romanus vel Maximino vel sibi pereundum cernens, *Maximum* & *Balbinum*, viros consulares Imperatores renuntiat, iisque *Gordianum juniorem*, senioris nepotem, adjungit, ut ex his triumviris Imperator conflaretur. Maximinus his intellectis, omisso bello Sarmatico, magnis itineribus Romam contendit, ferro flammisque omnia deleturus. Sed materia cædis erat, non causa. Cum enim in via Aquilejam, sibi inimicam, obsideret, militesque sæpius repulsos haberet crudeliter, ab illis cum filio, ejusdem cum patre ferocis ingenii, est interemptus, anno 237, Imp. 2, æt. 60.

Sextam is *persecutionem* in Christianos concitavit, dum Episcopos & sacerdotes ferali edicto morti addixit, æquatis solo templis, quæ Alexandri conniventia fuerant constructa. Alii cum Gravesando eam persecutionem universalem dicunt, alii cum Francisco Pagio in *Breviario Historico-Chronol. summ. Pontif.* particularem & localem affirmant. **6 Persecutio.**

Trucidato Maximino, rediit pax Ecclesiæ sub *Gordiano juniore*, qui, occisis a militibus Maximo & Balbino triumviris, solus imperavit, & quidem majore prudentia, quam a juvene 16 annorum exspectasses. Sed dirigebatur consiliis Missithei soceri sui; quo Duce expeditionem suscepit in Persas, qui sub Sapore Rege, Artaxercis filio, Italiæ jam imminebant, sed a Gordiano ultra Tygrim sunt repressi. Gothi insuper, Sarmatæ, & Germani victi. Quis non crederet, tantam virtutem diuturno Imperio coronandam? at vita Imperatorum stamen Parcarum esse videbatur. In ipso juventutis flore secundoque victoriarum cursu succisus est a Philippo Arabe, anno 244, Imperii 6, ætatis 22. **Gordianus jun.**

Sceleris præmium *Philippo* Imperium fuit, quod una cum *Philippo filio* administravit, futurus brevi pro scelere victima; nam cum *Decium* legatum in rebelles Pannones misisset, intendit arcum, quo peteretur. Decius etenim a rebellibus dictus Imperator, Philippos acie victos interemit, anno 249, Imperii 5. **Philippi.**

Controversia est inter eruditos, an duo Philippi Imperatores facti fuerint Christiani? Affirmant Eusebius *Hist. Eccles. lib. 6, cap.* 34. Baronius, Daniel Huetius, Cassiodorus, Paulus Orosius, Vincentius **An fuerint Christiani.**

Liri-

Lirinensis, & ipse etiam S. Hieronymus, secuti Eusebium, & acta S. Pontii Martyris, in quibus dicitur, S. Fabianum Papam duos illos Imperatores baptizasse.

Negat Ant. Pagius, Baronii censor, multique alii, eo quod teste Lactantio, Eusebio coævo, & Crispi Principis Præceptore, Constantinus M. primus fuerit Christianus Imperator. Citantur etiam pro hac sententia S. Ambrosius, & Sulpitius Severus, probantque ex silentio scriptorum Gentilium, item ex eo, quod anno 247; urbis Romanæ millesimo, more Ethnico ludos sæculares celebrarint: adduntque, acta S. Pontii esse conficta; Eusebium esse deceptum, aut ejus Historiam in hac parte fuisse interpolatam; idem de aliis auctoribus dicunt. Igitur adhuc sub Judice lis est, cum potuerint post ludos sæculares converti, dum adhuc per biennium fuerint superstites & clam Gentilibus baptizari potuissent. Constantinus autem ideo fortasse primus Imperator Christianus dicitur, quia aperte & cum splendore Christum professus est, Religionemque Christianam, non attento Gentilium murmure, magno cum animo introduxit, & palam protexit atque illustravit. Unde non est improbabile, Philippos, præsertim patrem, calm fuisse baptizatos, & quidem a S. Fabiano Papa.

Decius. Quantum autem Gordianus & Philippi faverunt Christianis, tantum *Decius*, ex Pannonia ortus, eandem *Persecutione* 7 afflixit.

7 Persecutio. Immanis quippe hic tyrannus nihil prius habuit, quam eosdem dira laniena mactare. Sed non diu sævire licuit; altero siquidem anno vix evoluto, iisdem artibus Imperium amisit, quibus adeptus est; nam a Gothis, quorum nomen hoc tempore inclaruit, bello oppressus, filio in conspectu patris perempto, voragine, dum fugeret, haustus periit, anno 251, æt. 50.

Gallus & Volus. Instructor tragœdiæ *Vibius Gallus*, copiarum Præfectus, qui barbaris eum prodidit, atque Imperium, cui dudum inhiaverat, retulit; a quo tamen altero mox anno ab *Æmiliano*, Pannoniæ Præfecto, dejectus, atque, quod Romam Scythis vectigalem fecisset, cum filio *Volusiano*, quem in Imperii consortem assumpserat, a militibus occisus est, anno 253, ætatis 47.

Æmilianus. *Æmilianus* non ultra trimestre gustavit imperandi dulcedinem, cum a militibus pariter fuit trucidatus; suffectus *Valerianus*, qui ultra mortem aliquid invenit, quo miser esset.

Arti-

Articulus V.

S. Lucius, 252 *ad* 253. *S. Stephanus*, 254 *ad* 257.
S. Sixtus II, 257 *ad* 258. *S. Dionysius*, 259 *ad* 269.
S. Felix I, 269 *ad* 274.

S. Lucius Romanus, constituit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi semper comitentur Episcopum, ejus vitæ & actionum testes; a Gallo & Volusiano, qui Decianam persecutionem sunt prosecuti, n issus in exilium, confessor obiit; quamvis aliqui eum Martyrem nominent. Tributitur ei Epistola ad Galliæ & Hispaniæ Episcopos. 23.

S. Stephanus Romanus constituit, ut Ecclesiæ Ministri tantum in Ecclesia sacris vestibus uterentur. Gravissima sub eo orta est controversia de baptismo, ab hæretis collato, de qua alias prolixius differui. S. Cyprianus cum Afris Episcopis in tribus Conciliis Carthaginensibus censuit, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. S. Stephanus cum Synodo Romana illi rescripsit, nihil in hac re esse innovandum, sed, quod traditum est, observandum. Nunquam tamen Afros & Asianos rebaptizantes, communione sua exclusit, cum ea res necdum esset tunc definita. Sed, quamvis acerbiores litteræ ultro citroque sint scriptæ, communionem tamen inter se retinuerunt. Lis de rebaptizandis.

Protestantes hac lite contra Romanos Pontifices abutuntur; sed cogitare deberent, potens inde argumentum pro infallibilitate Pontificia erui. Stabant adversus S. Stephanum, S. Cyprianus, vir doctissimus cum Conciliis suis Africanis, admodum numerosis, S. Firmilianus cum Conciliis suis Asiaticis. Sed stetit veritas pro S. Stephano, prout ipsi Protestantes fateri debent, a Concilio Nicæno Generali edocti, & propria sua praxi; non enim Proselytos suos rebaptizant. Falsum autem omnino est, quod S. Stephanus eum etiam Baptismum approbarit, in quo debita materia & forma non adhibetur.

Martyrium subiit in persecutione Valeriani & Gallieni anno 257, postquam Ecclesiam gubernasset annis 4, mensibus 2, diebus 21, ut refertur in Chronico S. Damasi. Acta S. Stephani apud Surium ad 2 Aug. testantur, eum in cryptis Martyrum assidue Missas celebrasse, eique, dum celebraret, caput fuisse amputatum. Duæ eidem attribuuntur epistolæ, quas serius scriptas multi existimant.

S. Sixtus II, Græcus, SS. Petri & Pauli corpora ad catacumbas transtulit, ut securius laterent. Passus est in eadem persecutione anno sedis necdum exacto. Post triduum eum secutus est S. Laurentius,

primus ejus Diaconus, prout Sixtus ei prædixerat. Vacavit autem tunc Sedes per annum ferme integrum, Presbyteris Romanis Ecclesiam administrantibus. Duæ Epistolæ Decretales, quæ ei attribuuntur, ex recentiorum Pontificum, conciliorumque Decretis compilatæ censentur.

S. Dionysius, cum Ecclesiarum Rectores in persecutione fuissent martyrio sublati, quantum potuit, rursus supplevit. Duas Synodos Romæ celebravit. Primam in causa Dionysii Alexandrini; cum enim is Sabellium, hæreticum in Lybia natum, distinctionem inter Divinas Personas negantem confutasset, accusatus est a Pentapolitanis Romæ apud Dionysium Papam, quod distinctionem in ipsa etiam natura Divina assereret. Citatus itaque Romam ad Papam, promptus paruit, & Apologiam pro se misit per procuratorem: hac aliisque ejus libris in synodo examinatis, erroris expers est declaratus, atque per calumniam accusatus. Ecce! quo Sæculo tertio causæ majores ad Judicium fuerint delatæ, quis Judex agnitus.

Dionysius Alex. accusatus.

Alterum Concilium Dionysius Papa celebravit Romæ in causa Pauli Samosateni Episcopi, Divinitatem Christo detrahere conantis, prout refert Baronius; sed Pagius uterque Concilium istud celebratum negat. Hoc certum, eundem damnatum esse in Concilio Antiocheno, prout alias dixi, scriptamque ea de re a Patribus Antiochenis Synodicam Epistolam ad Dionysium Papam, evidenti rursus argumento, ad quem Asiæ etiam Episcopi causas majores referrent.

Obiit Dionysius anno 269, sedis 10. Duæ ejus Epistolæ Decretales a multis rejiciuntur tanquam apocryphæ. Genuina tamen censetur, quam contra Sabellianos scripsit.

Felix I, Romanus, ritum supra *memorias*, seu super sepulchra Martyrum Missas celebrandi innovavit. Ecce usum celebrandi Missas! ecce cultum sacrarum Reliquarum! inde profluxit consuetudo, consecrandi altaria cum sacris Reliquiis, in altari positis. Obiit anno 274, sedis 5, ante persecutionem Aurelianam. Tres Epistolæ Decretales ei censentur suppositæ.

Articulus VI.

Observatio in hæc tempora de Imperatoribus & aliis.

24. Valerianus.

Valerianus, Censor ante, moribus & vita illustris, occiso Æmiliano, anno 254 admotus Imperio, primo quidem sibi constabat, virtutis prioris tenax. At, quæ est mentium humanarum inconstantia, mox

mox in transversum actus, *persecutione octava* immani crudelitate in Christianos sævivit, Macriano mago furorem ac rabiem inspirante. Cœpit ea persecutio anno 257, & anno 259 deferbuit. Rapuit ea procella Stephanum & Sixtum Pontifices, cum S. Cypriano, & innumeris aliis. 8 Persecutio.

Sed caro tyranno stetit sua crudelitas; nam ingruentibus undique hostibus, Gothis, Scythis, Persis, discerpebatur Romanum Imperium. Valerianus, assumpto in consortem *Gallieno* filio, & Occidenti præfecto, in Orientem adversus Persas duxit exercitum; sed a *Sapore* eorum Rege victus captusque, eidem equum inscendenti pro scabello servire debuit, ferreæ dein caveæ inclusus ad ludibrium bestiæ instar fuit circumductus, tandemque abstracta cute, toto corpore fœde dilaniatus, si quis unquam mortalium, miserrime periit, vindicante Numine lanienas Christianorum. Capti ingenti numero Romani crudelissime pariter sunt habiti. Pœnæ.

Patre capto & in vinculis relicto, solus imperavit *Gallienus* filius, imo triginta Imperatores, vel potius tyranni; cum Provinciarum Præsides & militiæ Duces passim, assumpto Imperatoris titulo intestinis bellis Imperium discerperent. Gallienus.

Domesticis tumultibus ruinisque accessere hostes exteri, usi occasione dissolutæ compagis, in ipsa Imperii viscera perruperunt. Sapor, secundus Persarum Rex, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, omniaque ad Hellespontum & Ægæum usque subegit. Germani per Alpes Rhœtiæ, Pannones, ac Scythæ per Illyricum in Italiam penetraverant, vastatis undique florentissimis provinciis. Franci & Alemanni Galliam, Hispaniamque diripiebant. Dacia in perpetuum amissa. Græcia, Macedonia, Illyricum a Gothis, Dacia & Pannonia a Sarmatis, Africa, Ægyptus, Italia, a Tyrannis occupatæ, convulsæque. Miser status Imperii.

Romani status Imperii nunquam deterior: atque ut ad extremam calamitatem nihil deesset, quod reliquum fecerat gladius, lues corripuit, Gallieno interim torpente, & luxuria marcescente, donec ad Mediolanum, quam obsidere visus est, a Ducibus suis fuit occisus, anno 268, Imperii umbratilis 15, nam 7 annis cum patre, 8 post illum imperavit, si tamen vel momento imperavit: hoc uno laudandus, quod Christianos passus sit frui latronum beneficio, patris credo in eos sævientis sortem veritus. Sed ea erat impiæ Gentilitatis cæcitas, ut calamitates publicas in iram Deorum referret, quod non atrocius sæviretur.

Actum profecto fuisset de Romano Imperio, undique fatiscente, imo corruente, si in Claudium & Aurelianum, Gallieni successores, Claudius II.

eadem incubuisset ignavia. *Flavius Claudius* Dalmata, cum ab hostibus internis externisque in ruinam præceps iret Imperium, ab istis prius liberandum duxit, majorem Reipublicæ, quam Principis rationem habendam ratus. Collectis igitur dispersis Romanorum reliquiis, primum in Gothos duxit, eorumque trecenta millia trucidasse fertur, navibus bis mille demersis. Tyrannis dein domitis, mediis e victoriis præmatura morte raptus altero jam Imperii anno, Christi 271, reliquit equidem habenas *Quintillo* fratri, sed is primo statim potestatis anno a militibus, severitatem ejus formidantibus, fuit peremptus.

Aurelianus. *Aurelianus* Syrmiensis devolutum ad se Imperium magna fortitudine gessit; nam Marcomannos, Romæ imminentes, trino prælio confecit. Ad Orientem dein versus, victis in itinere Barbaris, Zenobiam, magna auctoritate potentem Reginam, egit in vincula, Asiamque a Persis avulsam recepit. In Occidentem reversus *Tetricum*, decem jam annis Galliæ incubantem, nido suo expulit, redditisque Romano Imperio, Daciam si excipias, suis limitibus, magnificum Romæ

Zenobia. triumphum egit, avertente in se omnium oculos *Zenobia*, fortia agere & pati lege Christiana edocta.

9 Persecutio. Sed insignes victorias partosque triumphos fœdavit Aurelianus *Persecutione nona* Christianorum. Licet enim illis faveret initio, ita quidem, ut adversus Paulum Samosatenum, a Concilio Antiocheno damnatum, Edictum emitteret; processu tamen temporis a Gentilibus persuasus gravem persecutionem commovit, qua ingentem Christianorum numerum mactavit: sed non impune; nam sexto Imperii anno a suis militibus, tot palmarum sociis, fuit trucidatus, anno Christi 276. Aurelius Victor, aliique Gentiles eum Alexandro M. ac Julio Cæsari comparant. Reliquit etiam Romæ monumentum suæ memoriæ, dum, incluso urbis mœnibus campo Martio, eandem ampliavit.

Cæso *Aureliano* Imperium semestri sine Imperatore fuit; lectus tandem

Tacitus. a Senatu *Tacitus*, musarum decus, post semestre a militibus occisus, ne virtutum ejus exempla vitia eorum redarguerent. Purpuram Ta-

Florianus. citi frater *Florianus* arripuit, sed altero mox mense eadem exutus,

Probus. fratris fato periit, acclamato Imperatore *Probo*, qui eandem sortem expertus est, acsi coronati vertices essent papaverum capita.

Manes. Hoc tempore *Manes* seu Manichæus turpissimas fabulas e Perside in orbem propagavit, a Scythiano seductus, mago Ægyptio. Duo principia statuit, bonum & malum, ab illo animam, ab hoc carnem creatam, hinc istam omni turpitudine contaminandam. Negavit, Christum assumpsisse carnem, carnis resurrectionem, unitatem naturæ Divinæ. Admisit metempsychosin: mundum ex præexistente materia

ria conditum asseruit. Cæterum Manichæi impietatis arcem in Africa statuerant, indeque per varias dispersi provincias contagium protenderunt.

Articulus VII.

S. Eutychianus, 275 *ad* 283. *S. Cajus*, 283 *ad* 295. *S. Marcellinus*, 295 *ad* 304.

S. Eutychianus, Tuscus 342 Martyres propria manu sepelisse traditur. Tribuitur ei a Cardinale Bona *de reb. Liturg.* ritus benedicendi fructus. Obiit anno 283, sedis 9, probabilius non inter Martyres, sed Confessores numerandus. Duæ Epistolæ Decretales videntur ei falso attribui. 25.

S. Cajus Dalmata, Diocletiani agnatus, per omnes septem Ordines ad Episcopatum ascendendum declaravit. Obiit Confessor anno 295, sedis 12. Epistola ad Felicem, sub ejus nomine edita, videtur rejicienda.

S. Marcellinus, Romanus, in persecutione Diocletiana tormentorum metu thus adolevisse fertur, ac dein pœnitens Concilio Sinuessano 300 Patrum se ipsum stitisse, atque de crimine accusasse: Synodum vero respondisse, primam sedem a nemine judicari, sed sibi actorem, reum & judicem esse.

Sed totam hanc de lapsu Marcellini & Concilii Sinuessani narrationem fabulosam esse censent Pagius uterque, Natalis Alexander, Papebrochius, aliique viri eruditissimi, quos inter est P. Gabriel Schenck, Ord. Servorum B. M. V. qui doctissimo libello rem istam examinavit. Fabula de lapsu Marcellini.

Argumenta afferunt varia, uti, quod nullus veterum scriptorum aliquid hac de re meminerit: quod Donatistæ non fuissent omissuri, hunc lapsum Ecclesiæ Romanæ exprobrare, cum omnia corraserint, quæ contra Melchiadem Papam (qui Presbyter erat Marcellini) aliosque Pontifices invenire poterant. Adhæc incredibile videtur, sæviente summa Diocletiani persecutione, trecentos Episcopos congregari potuisse, cum sub Christianis etiam Imperatoribus, omnem opem præstantibus, id arduum omnino & difficile fuerit. Denique apud veteres nulla de civitate aliqua Sinuessana extat memoria, nec cryptæ Cleopatrensis, in qua celebratum dicitur illud Concilium.

Cæterum tametsi Marcellinus idolis thus adolesset, aliud non sequeretur, quam quod actu externo peccarit, sicut Petrus, non au-

 tem,

tem, quod habuerit judicium intellectus hæreticum. Adhæc haberetur a numeroſo Concilio ampliſſimum teſtimonium, ſummum Pontificem a nemine in terris poſſe judicari. Marcellinus abdicato mox Pontificatu, Martyrii coronam adeptus eſt anno 304, ſedis 9.

Articulus VIII.

Obſervatio de Imperatoribus aliisque hujus temporis.

16. Probus. Poſt mortem Taciti & Floriani lectus a milite *Probus* Dalmata, qui menſuram nominis implens, moralibus virtutibus & belli artibus excelluit, ſummos inter Imperatores numerandus, fortis ex æquo ac probus. Francos, cæſa ingenti eorum multitudine, Gallia expulit, novem, ut fertur, Regibus pacem de genu petere coactis. Illyricum, Thraciam, Aſiam pariter purgavit ab hoſtibus. Saturninum in Ægypto, Bonoſum in Britannia in ordinem redegit. Reddita autem Romano Imperio pace pro barbaro illorum temporum more, cum diſciplinam militarem urgeret, crudeliter eſt interemptus, anno 282, Imperii 6.

Carus. *Carus* poſt Probum induit purpuram, *Numeriano* & *Carino* filiis, aſſumptis in conſortium poteſtatis. Sed breve horum Imperium fuit. Carus, in Perſas ſuſcepta expeditione, cum Meſſopotamiam recuperaſſet, fulmine ictus, primo jam anno periit. Numerianus, præclaris dotibus Princeps, ab Apro ſocero fuit occiſus, Aper, in Oriente proclamatus Imperator, a Diocletiano, Carinus, profligatæ vitæ adoleſcens, a militibus, ut adeo hi omnes ne quidem triennium expleverint caduci Imperii.

Dioclet. Valerius Jovius *Diocletianus*, humili loco in Dalmatia natus, militum favore evectus ad rerum humanarum faſtigium, anno 284. Nova prorſus politica cum pluribus, iiſque exteris communicavit Imperium. Primum conſortem aſſumpſit *Maximianum Herculium*, hominem

Maximianus. agreſtem ac ſemibarbarum, ſed ejuſdem ſecum indolis, amicitia fidum, ac bello fortem, anno 286.

Conſtant. Chlorus. Galerius. Adjunxit ſibi Diocletianus alios adhuc duos collegas, *Conſtantium Chlorum*, Claudii Imperatoris ex filia nepotem, morum innocentia clarum, & *Galerium Maximinum*, dictum *Armentarium*, quod armentorum olim in Dacia patria ſua paſtor fuiſſet, ſtrenuum bello virum, cui, ut arctior nexus eſſet, filiam ſuam deſpondit, Conſtantio vero Maximiani privignam.

Hos

Hos inter consortes Imperii Diocletianus, qui ad clavum supremum sedens, & Imperatoribus imperabat, divisit provincias, ut ab hostibus eas domesticis exterisque defenderet. Maximianus missus in Galliam, ut seditionem comprimeret, Constantius in Germaniam, atque Britanniam, Galerius in Orientem adversus Persas, ubi Regi Narseti conjugem, liberos, & tres provincias ultra Tygrin abstulit. Diocletianus Italiam mediumque Romani orbis tuebatur, ut velut ex centro solis instar radios suos emitteret.

Et sane negari non potest, Diocletianum magnum bello fuisse Principem, politicis etiam virtutibus instructum; nam & leges pro Republica salubres tulit. Sed omnes dotes suas contaminavit spiritu sanguinario, & barbara prorsus crudelitate, quam in Christi cultores præ omnibus ante se persecutoribus exeruit; quidquid Eumenidum Furiarumque finxit Gentilitas, orco prorupisse diceres, ut nomen Christianum funditus extinguerent. *10 Persecutio.*

Quos per se ipsum in hac persecutione, omnium atrocissima, Tyrannus mactare non poterat, per Proconsules & Provinciarum Præsides mactavit. Illustriores ejus carnifices fuerunt Lysias Ciliciæ, Rictiovarus Galliæ, Dacianus Hispaniæ Prætor, gladios, cruces, ignes, rotas, flagra, secures, & quidquid feralium instrumentorum crudelitas habet, circumferentes.

Quis enumeret fortes Athletas, tormentis omnibus superiores, triumphantes, dum ceciderunt. Quot Mauritii, Chromatii, Tiburtii, Sebastiani, Cosmæ, Damiani? atque ut ab imbelli etiam sexu se victam fateatur sæva atrocitas, quot Agnetes, Luciæ, Anastasiæ? Certarunt inter se Diocletianus, Maximianus, Galerius, quis major tyrannus esset, sed major erat Martyrum animus, quam ut vinci posset. *Martyres.*

Desperans tandem Diocletianus, Christianam gentem, ad quod omnes nervos intenderat, se posse exscindere, quin imo vel inter lanienas in dies magis augeri cernens, ab ea se victum fassus abdicavit Imperium anno 304, atque ut exemplum suum sequeretur, Maximiano persuasit. Tria hic paradoxa mirari licet, quod duo ambitiosissimi ac superbissimi post homines natos tyranni tanta concordia per viginti prope annos gubernarint, quod Constantium & Galerium in socios asciverint, quod abdicarint Imperium. *Diocl. abdicat Imperium.*

Abdicavit autem ille Nicomediæ, hic Mediolani eadem die. Utrumque pœnituit. Magnus ille Jovius Diocletianus, qui pro Deo haberi volens, totum terrarum orbem minis & terroribus concusserat, *Salonæ* in Dalmatia patria sua hortulanum agens, Papaverum & Caulium capita amputare potuit. Novennium in vita illa privata exegit,

si

ſi tamen privata; nam ad fasces rurſus adſpirans, cum acriores Conſtantini litteras legiſſet, quibus colluſionis cum Maxentio poſtulabatur, cervici metuens, adacto in viſcera ferro, vel, ut alii ſcribunt,

Obitus. hauſto veneno periit, ratus, credo, non poſſe ſe a digniore magiſque experto carnifice trucidari. (anno 310)

Maximianus ille Herculeus, obſcurum ſuum genus ad Herculem referens, ſed a Thebææ legionis cæde, immanique in Chriſtianos rabie multo illuſtrior, cum Imperio, in gratiam Diocletiani non ſatis ex animo abdicato, rurſus immineret, a Maxentio filio ſuo naturali Italia pulſus, & in Galliam profugus, cum vitæ Conſtantini inſidiaretur, conſpiratione detecta, Maſſiliæ gulam laqueo ſibi fregit, debita dudum orco victima, ſanguine tot Chriſtianorum in cœlum clamante, & implorante juſtitiam vindicem. (anno 310)

Floruerunt hoc tempore celebres Hiſtorici, Julius *Capitolinus*, Ælius *Lampridius*, Flavius *Vopiſcus*, Trebellius *Pollio*.

Articulus IX.

Obſervatio in Sæculum III.

27. Certavit, ut vidimus, hoc ſæculo impietas & virtus, illa ſæviendo ſuccumbens, hæc patiendo triumphans, Eccleſia ſancta, roſæ inſtar inter ſpinas, efflореſcente. Languebat religio, otio velut torpida, ſuccreſcebant hæreſes, at perſecutione, tanquam ſale perfricata, conſervabatur integra. Ita videlicet comparatum eſt humanum genus; inter res ſecundas felicitati ſuæ indormiſcit, inter aſpera evigilat, & ad Deum, ſolatium in adverſis unicum, mentem elevat.

Et profecto tot in concuſſionibus non modo doctrina fidei, nunquam mutabilis, ſemper, tanquam Chriſti & Apoſtolorum depoſitum fideliter eſt cuſtodita, ſed moralis quoque ad formandam probam vitam magno populi ſtudio eſt retenta. Collaborarunt ad hoc ſummi Pontifices, ſanctique Patres atque Scriptores Eccleſiaſtici, qui tertio

Scriptores Sæc. III. Sæculo floruerunt, uti *Minutius Felix*, Afer, Romanus cauſidicus, qui elegantiſſimum *Dialogum* ſcripſit inter Cæcilium Gentilem & Octavium Chriſtianum. Attributus fuerat hic Dialogus Arnobio, ſed Balduinus Juriſconſultus eum Felici vindicat.

S. Hippolytus Epiſcopus Portuenſis, ex cujus operibus ſolus reſtat *Canon Paſchalis*. *Cajus* Presbyter, notus a diſputatione cum Proclo

Origenes. Montaniſta. De *Origene* alias memini; a Solymitano Epiſcopo ordinatus Presbyter, Demetrii Alexandrini Epiſcopi, qui eum ceu corpore vitia.

vitiatum irregularem declaravit, & anathemate perculit, indignationem & persecutionem incurrit. Quare Alexandria relicta, in Palestinam Syriamque discessit, tantaque scripsit, quæ unius hominis ætatem superare videntur; scripsisse siquidem fertur sex librorum millia, quorum plerique interierunt. Qui supersunt, ab Huetio Abrincensi Episcopo, duobus Tomis sunt editi. Obiit Tyri anno 253, ætatis 69. S. Epiphanius hæresi 63 eum in Deciana persecutione idolis sacrificasse scribit; sed recentiores Critici ab hoc scelere eum vindicant. Vindicari tamen non possunt ejus errores, ex Philosophia Platonica hausti, quibus Arianis & Pelagianis prælusit, quamvis eum vindicare conati sint Eusebius Cæsareensis, & Ruffinus, contra sanctos Patres, Epiphanium, Hieronymum, Basilium &c. At Synodus V disputationem finivit, dum Origeni & scriptis ejus dixit anathema.

Julius Africanus vir doctissimus, præter eruditos commentarios, scripsit Chronicon, quinque libris comprehensum. Legatione ad Imperatorem impetravit instaurationem urbis *Emmaus*, quæ deinde *Nicopolis* dicta est.

S. Cyprianus, natione Afer, patria Carthaginensis, a Cæcilio conversus ab ethnicismo, magnus evasit Ecclesiæ propugnator, orator summus. Mortuo Donato lectus est Episcopus Carthaginensis, totius Africæ Primas, anno 248, sub Valeriano Martyr 258. Multa opera scripsit facunda & erudita, quæ in S. Hieronymo & Bellarmino de *Scriptoribus Ecclesiasticis* legi possunt. Controversiam ejus cum S. Stephano de Baptismo supra attigi. S. Cyprianus.

Orientalis quoque Ecclesia præstantes hoc sæculo habuit viros, *S. Gregorium* Thaumaturgum, Neocæsareæ in Ponto Episcopum, Origenis quondam auditorem, & encomiasten, sed nequaquam errorum sectatorem, scripsit brevem expositionem fidei, metaphrasin in Ecclesiasten, pluresque epistolas. Greg. Thaur.

S. Dionysius Episcopus Alexandrinus doctissima opera confecit contra Sabellium de SS. Trinitate, contra Millenarios de temporali Christi regno, aliasque illius temporis hæreses. Quomodo se de objectis erroribus apud Dionysium Papam purgarit, supra fuit insinuatum. Dion. Alex.

Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, acriorem, quam decebat, de Baptismo, ab Hæreticis collato, ad S. Stephanum Papam dedit epistolam; sed culpam pœnitentia diluisse censendus est, cum Græca Ecclesia illum ut sanctum celebret. Firmil.

Cæterum negari non potest, aliquos Patres trium primorum sæculorum in nævos quosdam incidisse; ut enim taceam Tertullianum & Origenem, in apertos errores contra fidem prolapsos; *Papias* Mille-

nariorum errori occasionem dedit, de futuro post resurrectionem per mille annos Christi in terris regno. Eundem errorem amplexus est *S. Justinus* Martyr, & *Apolog.* 1 *c.* 44 putavit, peccatum Angelorum in eo fuisse situm, quod consuetudinem habuerint cum mulieribus.

Patrum nævi.

Irenæum pariter inquiunt fuisse in opinione Chiliastarum (*l.* 5 *adv. hæreses*) ac præterea *l.* 2, *c.* 39 existimasse, Christum passum esse 40 vel 50 anno suæ ætatis. *Clemens Alexandrinus* lib. 6 *Stromatum* ait, Christum ad Inferos descendisse, ut converteret gentes, quæ secundum Philosophiam recte vixisset.

Quid S. Cyprianus de Baptismo, ab Hæreticis collato, scripserit & docuerit, alias diximus.

Verum non sunt propterea contemnendi, aut pro hæreticis habendi isti Patres, necdum satis per vocem Ecclesiæ eliquata erat veritas, nec pertinaciter defenderunt errorem agnitum; quamvis nunc post definitionem Ecclesiæ essent hæretici, qui talia pertinaciter assererent. Unde Vincentius Lirinensis, *Commonitorio* 1 *cap.* 11 loquens de Cypriano & aliis rebaptizantium auctoribus, exclamat: *O mira rerum conversio! auctores ejusdem opinionis Catholici, consectatores vero Hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli.*

Cæterum S. Irenæus, dum putavit, electos post universalem carnis resurrectionem per mille annos cum Christo regnaturos in terris, nequaquam sensit cum hæreticis Millenariis, regnum illud in carnis maxime voluptatibus versaturum, sed in quieta, honesta, ac beata quadam spirituali vita.

Propter scelera Christianorum, quibus Gentiles etiam scandalizabantur, & frequentes in persecutionibus lapsus, atque ut Montanistis os obstrueretur, pœnitentia severius administrari cœpit, introducta *pœnitentia publica*, cujus tamen in prioribus etiam duobus sæculis habentur vestigia. De hac multa nobis reliquerunt veteres Patres, Gregorius Thavmaturgus præsertim & S. Basilius in suis Canonibus Pœnitentialibus.

Pœnitentia publica.

Distinguebantur autem 4 gradus: 1. *Flentium*, qui extra fores Ecclesiæ lugubri habitu in terram prostrati, ingredientium preces implorabant. 2. *Audientium*, qui in vestibulum Ecclesiæ admissi, audito Evangelio & sermone sacro cum Catechumenis discedere cogebantur. 3. *Prostratorum*, quibus, in navem Ecclesiæ admissis, sacerdotes manus & pœnitentias imponebant, sed ante Offertorium similiter discedere cogebantur. 4. *Consistentium*, quibus ad finem usque sacrificii Missæ persistere licuit, sed ad communionem sacræ synaxeos necdum admittebantur. Rigidissima insuper pœnitentiæ opera longo sæpe tempore

pore debebant peragere. Sic S. Basilius mœchis 15 annorum publicam injunxit pœnitentiam; 4 in gradu Flentium, 5 in gradu Audientium, 4 in ordine Prostratorum, & 2 in ordine Consistentium.

Injungebatur autem hæc pœnitentia publica tantum propter peccata gravia, publica & scandalosa, ut alias dictum, imprimis quidem propter lapsum in crimen idololatriæ, deinde etiam propter homicidium & adulterium; denique etiam propter alia crimina gravissima, vario tamen locis in diversis usu. Præter hanc pœnitentiam publicam, ex institutione Divina, semper in Ecclesia viguit usus pœnitentiæ privatæ, seu confessionis auricularis, sacramentalis, in qua omnia peccata gravia, etiam interna & occulta, exponi debuerant.

Quantum ad sacros ordines, certum est, Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum ab ipsis Ecclesiæ initiis viguisse, atque pro sacramentis semper fuisse habitos. Episcopatus in civitatibus erigebantur, in urbe Provinciæ primaria constituto Metropolitano, uti Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ. Inter omnes tamen Divina institutione potestate & jurisdictione, suprema & universali, eminebat Episcopus Romanus, S. Petri in cathedra & regenda universa Ecclesia successor. Ministri Ecclesiarum eligebantur optimi, populi testimonio comprobati. Vivebant ex oblationibus Fidelium in communi: in illis persecutionum temporibus non habitu sed vita exemplari se distinguebant. Sacramenta gratis ministrabantur. Nulla Episcoporum translatio. Non plures Episcopatus quam Episcopi. Status Religiosus per Paulum Eremitam propagatus. Regularium sacerdotum congregatio instituta a S. Cypriano, qui etiam de disciplina & habitu virginum librum scripsit.

Disciplina Sæc. III.

CAPUT IV.

SÆCULUM IV.

Constantino M. ad sacra Christiana translato, in immensum crevit 28.
Ecclesia: diruta delubra, erecta Deo templa, deletum opprobrium crucis. Sed indignatus humani generis hostis agrum Domini tam pulchre florescere, inspersit non parca manu exitiale lolium per emissarios suos, Donatum, Arium, Eunomium, Macedonium, Eustathium, Aërium, Helvidium, Jovinianum, Priscillianum, aliosque Hæresiarchas. Verum vigilarunt pro grege Domini summi Pa-

ſtores Romani Pontifices, & Concilia atque Doctores Eccleſiæ, qui ſibilanti excetræ rictum oppleverunt, & ceu murum Eccleſiæ impetitæ ſe oppoſuerunt.

Articulus I.

S. Marcellus, a 308 ad 310. S. Euſebius, a 310 ad 4 menſes. S. Melchiades, a 310 ad 314.

Poſt mortem S. Marcellini propter vehementiam perſecutionis in quartum annum ſedes vacavit, electusque tandem eſt *Marcellus* Romanus anno 308. Sed exacto necdum biennio obiit 310. Duæ, quæ eidem tribuuntur epiſtolæ Decretales, poſterioris ævi partus cenſentur. 25 Titulos ſeu parochiales Eccleſias Romæ confirmavit.

S. Euſebius, Græcus, poſt 4 menſes obiit. Tres ejus epiſtolæ, ut aliorum primis 4 Sæculis Pontificum tanquam ſuppoſititiæ rejiciuntur.

S. Melchiades, Afer, ſive Miltiades, 4 ferme annis gubernavit. Multum illi negotii cum *Donatiſtis* in Africa. Prout *Part. IV, cap. IV, de Conciliis Sæc. IV* retulimus. Celebravit Romæ contra illos Concilium, in quo abſolutus Cæcilianus, damnatus Donatus a Caſis Nigris. Sed Donatiſtæ ab eo Concilio ad Imperatorem Conſtantinum appellarunt.

Articulus II.

Obſervatio de Imperatoribus aliiſque ſub initium Sæc. IV.

29. Conſtantius. Poſtquam Diocletianus & Maximianus anno 304 abdicarant Imperium, ad ſolos illud *Conſtantium Chlorum* & *Galerium* recedit. Atque ille quidem Occidenti imperabat quiete & pacifice, hic vero Orienti, turbulento cum eſſet ingenio, varios inter motus.

Conſtantius altero dein anno (306) Eboraci in Britannia e vivis exceſſit, idolorum quidem cultor, ſed & Chriſtianorum fautor, quorum non paucos in aula ſua habuit, imo in fide conſtantes, ſibi quoque magis fidos credidit, bonus Princeps, optimus pater. Conſtantia ad Acronium & ſe & nomen ſuum illi debet.

Ex *Helena* Britannica Principe, prima ſua conjuge, genuit *Conſtantinum M.* Helena dein repudiata ut Imperium ſibi magis firmaret, duxit Theodoram, Maximiniani privignam, atque ex ea ſuſcepit *Annibalia-*

balianum, & *Constantiam*, Licinio postea desponsam, potentem Arianæ hæresis patronam. Constantinus porro, Occidentali Imperio, quod Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, comprehendebat, a patre accepto, ita imperavit, ut sublatis omnibus æmulis, Orientem cum Occidente conjungeret: quod qua ratione sit factum breviter est indicandum; magna enim inde Historiæ etiam Ecclesiasticæ lux affulget.

Galerius, qui cum Constantio divisum habebat Imperium, duos Cæsares dixit, *Severum* per Italiam, & *Maximinum* sororis filium per Orientem. At *Maxentius*, Maximiani ex concubina filius, Romæ a Prætorianis Augustus salutatus, Severum, a militibus desertum, interemit, atque Italiam sibi vindicavit (anno 307). Galerius autem illius loco *Licinium*, impigrum, belloque strenuum virum, Cæsarem fecit, atque adversus Maxentium Romam movens, misere periit, (anno 311) depastus a vermibus; nec aliud merebatur barbara ejus crudelitas, qua Christianos fuit persecutus; vere dictus *Armentarius*, quasi tauros regeret, non homines. Galerii interitus, & Severi,

Tres supererant tyranni, *Maxentius*, *Maximinus*, & *Licinius*, quos omnes Constantinus debellavit. A Maxentio factum initium. Romæ is per septem jam annos per omnem libidinem dominabatur, Christianorum primum fautor, ut in Italia Imperium sibi figeret, postea, ubi res suas firmatas putavit, persecutor. Constantinus igitur, ducto ex Gallia per Alpes exercitu, primum Maxentii Duces, tum ad Romam (anno 312) ipsum Maxentium fudit, ponte rupto in Tyberim prolapsum: totaque per hanc victoriam Italia Constantino accessit. Cum adversus Maxentium procederet, crux in cœlo apparuit, cum his litteris: *In hoc signo vince*, labarumque cruce insignitum præferri jussit. Et Maxentii,

Maximinum, truculentum Ecclesiæ persecutorem, cui Galerius Orientem commiserat, Licinio sororio suo debellandum dedit; a quo ex Illyrico pulsus, & Tarsi in Cilicia obsessus, morbo tam fœdo correptus est, ut vivum cadaver spiraret. Similis quippe exitus debebatur avunculo & nepoti, qui tyrannide similes pœnas promeruerant. (anno 313) Et Maximini,

Licinius, qui solus erat reliquus, vir agrestis, litteris ac morum probitati infensus, solique ferro tractando assuetus, cum Christianos in Oriente acerbe vexaret, a Constantino victus, uxoris Constantiæ precibus datus est. Relapsus in pristinam tyrannidem veniam rursus obtinuit; sed cum tertio res novas moliretur, captus atque Thessalonicæ in Macedonia jussu Constantini occisus est. Atque ita Romanus orbis, per Europam, Asiam, Africam late diffusus, ad unum Et Licinii.

 Con-

Constantinum, ingenti mortalium bono, est devolutus. (anno 325.)

Erant autem omnes isti Imperatores ac Cæsares, quos Diocletianus aut Galerius assumpserunt, vel Constantinus æmulos passus est, sicut etiam plures alii Imperatores tertii Sæculi, Dalmatæ, Daci, aut Illyrici, bello fortissimi.

Martyrum, qui sub Galerio, Severo, Maximino, Licinio passi sunt, numerus iniri non potest. Inter eos Januarius, Bonifacius, Lucianus, Dorothea, Catharina, Christiana Pallas &c. Floruit quoque hoc tempore S. Pachomius Abbas, miles primum in exercitu Licinii, dein sub Palemone in Thebaide Monachus vitæ sanctimonia clarus.

Articulus III.

S. Silvester ab an. 314 *ad* 335. *S. Marcus ab an.* 335 *ad* 336.

30. Acta Sylvestri. Sylvestro Romano attribuuntur varia acta, quibus narratur, quod Constantinum M. baptizarit, atque a lepra sanarit: cum tamen Nicomediæ primum in fine vitæ dicatur baptizatus: quod Basilicæ S. Sebastiani & Lateranensi varias indulgentias contulerit pro *festis Duplicibus*, cum tamen hæc appellatio primum Sæculo XIII invaluerit: quod anno 324 Concilium celebrarit Romæ, præsente Constantino, cum tamen ille toto hoc anno bello Liciniano in Oriente fuerit occupatus.

Hinc Petrus de Marca, Papebrochius, Labbeus, Christianus Lupus, uterque Pagius, Natalis Alexander, Schelstratus, aliique recentiores Critici, Acta illa Silvestrina supposititia esse existimant. Et quidem, quod Constantinus non Romæ, sed Nicomediæ in Bithynia fuerit baptizatus in fine vitæ ab Eusebio Nicomediensi, probant ex Eusebio Cæsareensi, scriptore synchrono, omniumque actorum gnaro, ex Socrate, Sozomeno, Athanasio, Hieronymo, Ambrosio.

De Baptismo Constantini. Quidam putant, Constantinum bis fuisse baptizatum, Romæ & Nicomediæ. Verum hoc videtur improbabile, cum ob recens Decretum Nicæni, ne quidem Ariani ausi fuerint rebaptizare, & Constantinus Nicænæ Synodi fuerit protector. An autem non posset via media ad conciliandos utriusque sententiæ patronos tentari, dicique, Constantino circa conversionis suæ initia Romæ a S. Sylvestro collatum esse Baptismum quoad substantiam, ceremonias vero Nicomediæ postea fuisse suppletas, aliis dijudicandum relinquo. Et fortassis

tassis citati auctores secuti sunt Eusebium Cæsareensem, scriptorem eruditum, sed Arianum, & intimum Eusebii Nicomediensis, Arianorum Principis, amicum in cujus favorem forsan Ceremonias baptismi sumpsit pro ipso baptismo.

Videtur sane aliquantum difficile creditu, Imperatorem Christianissimum, qui nihil antiquius habuit, quam ut plena mysteriorum Christianæ Religionis notitia imbueretur, eamque totis viribus defenderet, & quam latissime propagaret: qui in ejus favorem tot Christianissima Edicta tulit, quibus ablatas Ecclesias eis restitui, novasque plurimas construi, Deorum vero delubra aut claudi aut dirui jussit: qui tot privilegiis & immunitatibus Clerum donavit, orta inter Christianos dissidia tanto studio composuit, tot legibus saluberrimis hæreses coercuit, tanta cura, tantisque impensis ex omni orbe Christiano Præsules Ecclesiarum in Concilium Oecumenicum, cui ipse præsens aderat, congregavit: non videtur inquam satis credibile, quod talis tantusque Imperator Christianissimus ne quidem Christianus fuerit per viginti & ultra annos post suam conversionem a Gentilismo ad Christianismum, animæque suæ salutem æternam tot tantisque periculis, in bellis etiam illis Licinianis, objecerit, extra Ecclesiam, quam & veram agnoscebat, & toto corde amplectebatur.

Certius est, quod S. Sylvester ordinaverit, ut altaria ex lapide, corporalia vero, seu lintea, quibus corpus Christi imponitur, ex lino constent, sicut in sindone munda sepultum fuit.

Sylvestri auctoritate, ac strenue cooperante Constantino, duæ celebres habitæ sunt synodi, prima Arelatensis contra Donatistas, altera Generalis Nicæna contra Arianos, de quibus Part. III & IV prolixe satis disseruimus.

Obiit sanctus Pontifex anno 335, sedis 22. Primus Thiara usus dicitur. Successit post 17 dierum intervallum *S. Marcus*, Romanus, sed post octo mensium Pontificatum pie decessit. Episcopo Ostiensi *Pallii* usum concessit; videturque hoc primum esse exemplum pallii, Episcopo concessi, cum sit insigne Patriarcharum & Archiepiscoporum.

Articulus IV.

Observatio de Constantino M. &c.

Conversus ad fidem Constantinus, ad Bosphorum *Constantinopolim* condidit eo in loco, quo Bizantium steterat, sedem deinceps futuram 31. Constantinopolis.

ram Imperii, & ingentem converſionum campum, exciſis funditus idolis, totam Deo ſacratam. Cauſa fuit, ne quid deinceps cum idololatria commune habeat, quam tam brevi Roma eliminari non poſſe videbat, variaque erant ſuperſtitioſa Imperatorum munera, quæ, ſi ibidem manſiſſet, ſine Senatus & populi motu non potuiſſet omittere, uti contigit, dum *ludos ſæculares* intermiſit. Altera cauſa fuit, ut Romam Chriſti Vicario relinqueret.

Solyma. *Jeroſolymam* quoque novam conſtruxit, e regione veteris, templumque magnificum ad ſepulchrum Chriſti, everſo, quod Hadrianus erexerat, delubro Veneris. Addidit templum ſplendidum in Bethlehem.

Helena. *Helena* pientiſſima ejus mater, Jeroſolymam profecta, S. Crucem miraculo detexit, multiſque conſtructis Eccleſiis ſancto fine quievit Romæ. In Britannia natam, Conſtantio deſponſam, atque ab eo ob Maximiniani filiam repudiatam ſupra diximus. Filius ejus honoribus *Helenopolin* in Bithynia condidit.

Conſtantini geſta. Conſtantinus M. multis pro Eccleſia & Imperio præclare geſtis, obiit anno 337, Imperii 31, ætatis 66. Natus eſt anno 271, anno 306 patri ſucceſſit, an. 312 Maxentium debellavit, an. 313 primum lapidem poſuit pro Baſilica S. Petri, propriiſque humeris cæmentum apportaſſe dicitur. Rebus Romæ compoſitis, adverſus varias gentes, Thraciam invadentes, expeditionem glorioſam ſuſcepit, tranſienſque Mediolano ſororem Conſtantiam Licinio deſpondit anno 314, anno ſequenti per eundem Licinium profligavit Maximinum, anno 318 Licinum quoque ſuſtulit, anno 325 Concilio Nicæno interfuit, anno 330 Cpolim condit, ac B. V. dedicat.

Sed & ſol ſuas habet maculas. Reprehenditur in eo, 1 quod Criſpum filium, juvenem lectiſſimum, quem Cæſarem jam dixerat, novercali odio immolaverit. 2. Quod Arianis promptas nimium aures præbuerit. 3. Quod S. Athanaſium eorum dolis circumventus in exilium ejecerit. 4. Quod (ſi vera eſt ea opinio) baptiſmum ad finem vitæ diſtulerit, eumque ab Euſebio Nicomedienſi, homine ex aſſe Ariano, receperit. 5. Quod Imperium inter filios diviſerit. 6. Quod legiones ſtationarias a Rheno abduxerit; inde enim enatam irruptionem variarum gentium in Romanas provincias.

Parentela. Quod cognationem Conſtantini ſpectat, conjuges duas habuit, Minervinam, & Fauſtam, Maximiani Herculii filiam, ab impietate patris non degenerem. Ex prima genuit *Criſpum*, Principem florentiſſimum, in quem orbis ſpes ſuas defixerat. Sed Fauſta noverca, cum privignum ad turpe facinus fruſtra ſollicitaſſet, ſcelus ſuum in

eundem

eundem detorsit, tantumque calumnia valuit, ut pater filium necaret, anno 320. Comperta dein Crispi innocentia, Faustam quoque conjugem mori jussit.

Ex Fausta nati sunt ipsi tres Principes, *Constantinus*, *Constantius*, & *Constans*: inter quos Romanum Imperium ita divisit, ut primo daret transalpinas Occidentis provincias, Galliam videlicet, Hispaniam, Britanniam, Noricum, Vindeliciam; Rhœtiam; secundo Orientem, Thraciam nempe, Asiam & Ægyptum, tertio regiones intermedias, Italiam, Illyricum, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, Siciliam, Africam.

Dalmatium quoque, ex *Annibaliano* fratre nepotem, Cæsarem dixit; sed is anno sequente militum factione occisus est. Ex *Constantio* altero fratre nepotes reliquit *Constantium Gallum*, & *Julianum Apostatam*, quibus postea Constantia & Helena, Constantini M. filiæ fuerunt desponsæ, sed thoro sterili.

Floruerunt hoc tempore 1 *Lactantius Firmianus*, Arnobii Discipulus, Crispi Principis moderator, qui egregia opera de persecutio- Lactantius. nibus Ecclesiæ, & contra Gentiles scripsit, sed non sine nævis. 2. *Eusebius Cæsariensis*, qui vitam Constantini M. & Historiam Ecclesiasti- Euseb. cam scripsit usque ad Ariana tempora, quam continuavit deinceps Socrates. 3. *S. Antonius Magnus*, Ægyptius, sanctimonia & Anachore- S. Ant. tico vitæ instituto multo celebrior.

Articulus V.

S. Julius I, ab an. 337 *ad* 352. *S. Liberius, ab an.* 352 *ad* 358. *S. Felix II, ab an.* 358 *ad* 360. *S. Liberius iterum, ab an.* 360 *ad* 366.

S. Julius, Romanus, Arianis, totum pene orbem commoventi- 32. bus, strenue restitit. S. Athanasium & *Marcellum Ancyranum*, ab illis Marcellus damnatos atque ad sedem Apost. appellantes in Concilio Romano ab- Ancyr. solvit; quanquam Marcellus postea in alios errores inciderit. Neque propterea erravit Julius; quia Marcellus in Concilio Romano & Sardicensi catholicam professionem ediderat. Damnavit Julius *Photinum* Photinus. Episcopum Sirmiensem hæreticum, qui asseruit, Christum merum esse hominem, nec dari in Deo Trinitatem Personarum, unamque *ad intra* esse operationem. Obiit S. Julius anno 352, sedis 16: scripsit duas Epistolas genuinas, alteram ad Eusebianos, ad Ecclesiam Alexandrinam, alteram, a S. Athanasio in Apologia secunda relatas. Natalem

Domini die 25 Dec. in tota Ecclesia celebrari præcepit, quæ antea cum festo Epiphaniæ fuit celebrata.

S. Liberius, Romanus, varia fata subiit. Nihil intentatum reliquerunt Ariani, ut eum in partes suas pertraherent. Mediolanum accitus a Constantio Imperatore, cum damnationi Athanasii nollet subscribere, Beroeam Thraciæ in exilium relegatus est. Biennio ibidem inter ærumnas exacto, victus tædio, Athanasii damnationi, & Formulæ Sirmiensi contra Photinum conceptæ, in qua nihil quidem contra fidem catholicam continebatur, vox tamen *consubstantialis* fuerat omissa, subscripsit, atque cum Arianis communicavit.

Difficultas de Liberio & Felice.

Cum Clerus Romanus hæc intellexisset, Arianique de industria spargerent suam de Liberio victoriam, eundem Pontificatu excidisse ratus atque secundum externa ferens judicium, *Felicem II*, quem Ariani, cum Liberius in exilio vivebat, intruserant, tanquam verum Pontificem acceptavit, postquam is fidem Nicænam professus Arianis dixit anathema, ipsumque etiam Imperatorem Constantium condemnavit.

At vero, cum post mortem Felicis Liberius subscriptionem suam revocasset, & omne cum Arianis commercium abdicasset, eundem Ecclesia rursus tanquam verum Pontificem elegit, aut acceptavit.

Atque sic complanata videtur gravissima difficultas, quæ hic occurrit. Nam 1 habetur, quod Liberius non inciderit in hæresin, cum non subscripserit formulæ hæreticæ; quod autem subscripserit damnationi S. Athanasii, & cum Arianis, qui simulaverant se Catholicos, incaute communicaverit, peccavit quidem, sed non contra fidem, quam mente semper retinebat. Habetur 2, quod Clerus Romanus & Ecclesia potuerit ei Pontificatum abrogare, aut judicare, quod illo exciderit, propter hæresin, ex circumstantiis illis præsumptam; non potest enim Ecclesia cor inspicere, sed secundum externa debet procedere. Habetur 3, quod S. Felix brevi saltem tempore fuerit verus Pontifex; quod quidem, ut difficultatem evitent, aliqui cum Natali Alexandro negant, sed omnia Martyrologia quarto Calendas Augusti ponunt memoriam S. Felicis Papæ & Martyris, & tota Ecclesia jam ultra mille annos illum ut talem colit. Et alias Felix tertius deberet dici secundus, & Felix IV deberet dici tertius: testaturque Bellarminus, anno 1582 inventam fuisse Romæ arcam marmoream cum hac Inscriptione: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium hæreticum damnavit*; neque alium hunc esse posse, quam Felicem secundum. Habetur 4, non fuisse eodem tempore duos legitimos Pontifices. Si hæc responsio non placeat, dic, Liberium, cum videret, se

se mala haereseos fama laborare, abdicasse Pontificatum, ne schisma in Ecclesia oriretur, acceptatumque fuisse Felicem, postea vero, cum de ejus orthodoxia constaret, Felicem, virum sanctum, cessisse, Liberiumque rursus fuisse acceptatum. Certe Carolus Cocquelines, Collector Bullarii Romani, in Felice II ait, consilio Liberii electum esse Felicem.

Obiit S. Liberius, de infirmitate sua poenitens, anno 366, sedis a prima electione 15, postquam Conciliabulum Ariminiense damnavit, & Arianis strenue restitit.

Articulus VI.

Observatio de Imperatoribus &c. hujus temporis.

Non diu inter Constantini M. filios tenuit concordia. *Constan-* 33.
tinus, natu maximus, provinciis suis transalpinis non contentus, partem Obiit Con-
suam augeri a fratre Constante petiit; cum autem nihil impetraret, il- stantinus
lato bello victus, prope Aquilejam occiditur, triennio post patris Jun.
obitum.

Totus dein Occidens adjectus *Constanti*, Religionis adversus Arianos & Constantium, eorum fautorem, defensori strenuo. Sed neque Et Constans. illius diuturnum fuit Imperium, nam anno illius 13, aetatis 30, a *Magnentio*, homine Gallo, purpuram invadente, fuit interemptus, ingenti rei Catholicae detrimento (anno 350).

Sublato gemino Catholicae rei fulcro, Constantino & Constante, Divino judicio, semper adorando, orbis Romanus ad solum Constantium, Arianum Imperatorem, devolutus est. Quantas is, ab Haereticis in omnes partes versatus, turbas in Ecclesia excitarit, quantasque in calamitates Praesules Orthodoxos praecipitarit, *Part. IV* abunde retuli.

Praeter bellum adversus Ecclesiam, quod sine intermissione prosecutus est, multum illi negotium cum *Magnentio*, qui purpura sumpta Magnentius. Decennium fratrem Caesarem renuntiavit: nec acceptavit Galliam, a Constantio sibi oblatam, sed dimidium Imperii exegit. Verum post triennium ad Mursiam gravissima clade profligatus, Lugduni se confodit illo gladio, quo Constantem Imperatorem confoderat. Decennius laqueo se suspendit.

Bellum civile excepit Persicum, contra Saporem, crudelissimum Christianorum tortorem, qui Romanas provincias invaserat, gestum. Constantius
Utroque defunctus Constantius patruelem suum *Constantium Gallum*, Gallus.

 Juliani

Juliani Apostatæ fratrem majorem, Cæsarem dixit, data Constantia sorore in uxorem, & in dotem Asia. Sed cum Gallus militum odium incurrisset, quarto post anno a Constantio evocatus capite plexus est.

Post Galli necem *Julianum* fratrem ejus Cæsarem assumpsit, concessa in conjugem Helena, sorore sua altera. Verum is, ut corpore, ita animo distortus, cum adversus Gallos & Germanos, seditionem moventes, missus esset, a militibus Imperator acclamatus est. Constantius, re comperta, Juliano cum inimico exercitu adversum se imminenti obviam progressus, Tarsi in Cilicia morbo periit, anno 361, Imp. 24, ætatis 44, degener a patre ob Arianam perfidiam.

Julianus. *Julianus* jam solus rerum potitus, exules quidem Episcopos restituit, paucosque, Martyrii gloriam invidens, Religionis nomine occidit, sed cum Christianæ fidei desertor impius in Idololatriam esset prolapsus, Christianos, quos *Galilæos* nominari voluit, persequi non desiit, affictis criminibus, quæ non commiserant. Philosophos contra, Haruspices, & Magos, a quibus fuit perversus, in amore & honore habuit. At non diu impunitam Deus permisit perfidiam; nam altero jam Imperii anno, cum adversus Persas moveret, sagitta confixus interiit, anno 363, æt. 34.

Jovianus. Suffectus *Jovianus*, Princeps apprime Catholicus, ab exercitu, quem Julianus in fauces velut caudinas incautus deduxerat. Inita igitur cum Persis pax, necessaria magis quam gloriosa, relicta illis Mesopotamia. Verum, cum optimi Principis partes impleret Jovianus, octavo Imperii mense decessit, subrogatusque est *Valentinianus*, Joviani gentilis, natus in Pannonia.

Viri celebres. Celebres hoc tempore fuerunt, S. Athanasius, S. Hilarius Pictaviensis, S. Eusebius Vercellensis, sancti Joannes & Paulus, sub Juliano martyrio coronati, Donatus & Victorinus, S. Hieronymi Præceptores in litteris humanioribus. Ut taceam tres Eusebios, Cæsariensem, Nicomediensem, & Emesenum, Ariana tabe afflatos.

Articulus VII.

S. Damasus, *ab an.* 366 *ad* 384. *S. Siricius*, *ab an.* 384 *ad* 398.
S. Anastasius, *a* 398 *ad* 401.

34. Ursicinus Antip. *S. Damasus*, Hispanus, S. Liberio per legitimam electionem successit. Sed schisma contra eum excitavit *Ursicinus*, Diaconus, Romanus, multosque in partes suas pertraxit, cædibus in paucis in civitate patratis.

patratis. Sparsa in Damasum crimina: vir integerrimus accusatus adulterii. Ursicinus a Prætextato, urbis Præfecto, jussu Valentiniani Imperatoris urbe pulsus, & in Galliam exulatum missus. Post mortem Valentiniani rursus sanctam sedem invadere conatus, a Gratiano Imp. iterum relegatus est.

Plures Damasus synodos congregavit: 1 Romanam, qua Ursicinum Antipapam, cum Valente & Ursacio, illo Mursiæ, hoc Singidoni in Illyrico Episcopo, Arianæ sectæ primipilis, condemnavit. Concilia. 2. Romanam contra *Auxentium* Arianum, in sedem Mediolanensem intrusum, & contra *Macedonianos*, negantes Divinitatem Spiritui Sancto: eumque utriusque ministrum esse asserentes. 3. Romanam, cui Petrus Alexandrinus, S. Athanasii successor interfuit, in qua damnati sunt *Apollinaristæ*, qui asserebant, in Christo nullam fuisse animam, Apollinaris. sed ejus vices suppletas a Verbo Divino: Corpus Christi consubstantiale esse Divinitati, & hinc Divinitatem esse passam & mortuam: carnem non ex B. V. assumptam, sed de cælo allatam. 4. Romanam contra hæreticos, & Episcopos, adhærentes Ursicino Pseudo-Papæ. 5. Romanam, ad quam Damasus Orientales etiam Episcopos convocavit, sed illi se excusarunt, quod non possint tam procul ab Ecclesiis suis discedere. Convenerunt autem Constantinopoli, ibique Concilium celebrarunt contra Macedonium, Apollinarem, Eunomium &c. Hoc Concilium Constantinopolitanum I, cum esset conforme Romano, confirmavit Damasus Papa, requisitus ab Orientalibus. Atque ex hac confirmatione, atque conformitate cum Concilio Romano, fuit Oecumenicum, sub appellatione *synodi secundæ. Videatur Pars III.*

Obiit Damasus anno 384, sedis 19. S. Hieronymum in scribendis epistolis & Ecclesiasticis negotiis adjutorem habuit, eoque teste Damasus multa carmina eleganter composuit. Multa tamen opera, & inter ea Pontificale Romanum, Catalogum Romanorum Pontificum, quem Damasi Chronicon appellant, pluresque epistolas, aliqui Critici eidem abjudicant.

S. Siricii electioni se opposuit Pseudo-Papa Ursicinus cum sua cauda. Scripsit epistolam ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, Epist. ad ad disciplinam Ecclesiasticam spectantem. Atque hæc prima est De- Himerium. cretalium Romanorum Pontificum, quam multi recentiores eruditi passim tanquam genuinam agnoscunt, primaque, quæ in antiquis Ecclesiæ collectionibus legitur; non quod anteriores Pontifices nullas scripserint Decretales epistolas, sed quod eæ, quæ ipsis attribuuntur, non sint illæ, quas revera scripserunt, eo quod ex S. Leonis & aliorum posteriorum Pontificum epistolis sint compilatæ.

Præcipit autem in ea ad Himerium epiſtola, ut ſecundum antiquam conſuetudinem baptiſmus generaliter tantum conferatur in Paſchate & Pentecoſte. Romæ celebravit ſynodum 80 Epiſcoporum in Baſilica S. Petri, ad reſtaurandam diſciplinam, in Africa collapſam, ut conſtat ex epiſtola ſynodali, ad Epiſcopos Africæ data. Monet in ea, ut Novatiani & Donatiſtæ pœnitentes reconcilientur. Ne Sacerdotes & Diaconi conjugati cum uxoribus permaneant.

Jovinianus. Damnavit *Jovinianum* Monachum, qui varios Romæ errores ſparſerat contra virginitatem, contra meritum bonorum operum, contra diverſam gravitatem peccatorum, contra puritatem B. V. Mariæ atque perverſis his doctrinis Moniales permovit, ut cœnobiis egreſſæ nuptias celebrarent, prout poſtea fecit Lutherus. S. Ambroſius quoque, habito Mediolani Concilio, eundem hæreſiarcham damnavit.

Illyricum. Totum *Illyricum* Romano Epiſcopo ſeu Patriarchæ Occidentis fuerat ſubjectum; at vero poſtquam anno 379 in Orientale & Occidentale fuerat diviſum, Epiſcopi Conſtantinopolitani, fiducia urbis Regiæ, & Imperatorum favore ſuffulti, ulterius ſemper graſſati, Illyricum Orientale ſibi vendicare conati ſunt. Quare Siricius Papa (aliqui Damaſo id tribuunt) *Vicariatum Theſſalonicenſem* inſtituit, atque Epiſcopum Theſſalonicenſem, totius Illyrici Primatem, Vicarium ſedis Apoſt. per totum Illyricum deſignavit, idque ab aliis etiam poſtea Pontificibus obſervatum.

Vicariatus Theſſal.

De Manichæis converſis Siricius ſtatuit, ut toto vitæ ſuæ tempore in Monaſteriis rigidam pœnitentiam agant, & primum in fine vitæ viaticum ipſis concederetur.

Objectio contra Siricium. Siricio objicitur, quod Rufino, Presbytero Aquilejenſi, qui contra S. Hieronymum defendit Origenem, ejuſque libros *Periarchon*, ſeu de principiis, erroribus ſcatentes, publicaverat, *formatas*, ſeu *communicatorias* litteras dederit. Sed eo tempore hæreſes Origenis necdum Romæ ſatis erant cognitæ aut examinatæ; unde Rufino, quem Catholicum exiſtimavit, litteras dedit, ab eo deceptus. Certe Manichæos & Priſcillianiſtas, in pluribus cum Origeniſtis ſentientes, quantum potuit eſt inſectatus, impetrato etiam Theodoſii M. Decreto, quo ſæcularibus pœnis eliminarentur: alio item Decreto, quo idolorum fana Romæ everterentur.

Obiit Siricius plenus dierum & meritorum anno 398, ſedis 14. Baronius de ejus ſanctitate ſubdubitavit, eùmque propterea in Romano Martyrologio omiſit, tum propter eas, quas dixi, datas Rufino litteras, & ſegniorem inquiſitionem in errores Origenis, tum propter dimiſſum in Palæſtinam S. Hieronymum, quem Clerus Romanus, cujus

jus vitia redarguebat, persequebatur, non sine confictis in eum criminibus, quibus fortassis Siricius credulas nimium aures præbuit. Falsissimum autem est, quod legitimas nuptias appellarit pollutionem: illicitos concubitus hac voce notavit. Idem ferme, quod S. Hieronymi, fatum erat S. Paulini Nolani Episcopi. Sanctis videlicet etiam viris obrepitur, ut minus æquum de personis judicium concipiant.

S. Anastasius, Romanus, post acre certamen inter S. Hieronymum & Rufinum, Origenis errores damnavit, Rufinum vero, acerrimum Origenis defensorem, Romam citavit; cum autem non comparuisset, eundem quoque damnavit.

Duo hoc tempore Carthagine habita sunt Concilia, quæ Canones suos de disciplina ad Anastasium approbandos Romam miserunt.

Obiit anno 401, sedis 4 inchoato. Constituit, ut, dum Diaconus Evangelium legit, sacerdos stet. Non modica Presbyteros inter & Diaconos fervebat contentio; hi enim, cum res Ecclesiarum administrarent, Presbyteros spernebant. Isti auctoritatem suam & præeminentiam tuebantur, atque, Diaconis stantibus, sedere se debere dicebant, adeo, ut etiam sub Evangelio sederent. Inde Ordinatio Anastasii; quem S. Hieronymus virum insignem appellat, Romamque eum diu habere non meritam.

Articulus VIII.

Observatio de Imperatoribus &c.

Joviano Imperatori pientissimo anno 364 a milite suffectus est *Valentinianus I* Princeps optimus, qui sub Juliano baltheum deposuerat, cum thus offerre idolis juberetur. Erravit tamen in eo, quod diviso Imperio fratri *Valenti* Orientem administrandum traderet, homini sævo, & ab Arianis corrupto, qui Catholicos, Episcopis orbatos, per 14 annos dire est persecutus. Quo esset ingenio, specimen dedit, dum 80 Præsules, ad petendam pacem ad se legatos, navi imponi & comburi jussit. 35. Valentinianus I. Valens.

Valentinianus quidem fratrem monuit sæpius, sed incassum. Nec potuit illum vi corrigere, cum in Occidente undique invaderetur Imperium, Alemannis, Quadis, Scotis, Afris insurgentibus, quos tamen fortiter domuit. At, cum ei Moravorum, defectionem molientium, legati, ferocius responderent, vena rupta, cum sanguine vitam profudit anno 375, Imperii 12, sicut Imperii, sic Ecclesiæ Defensor eximius.

Impe-

Imperium reliquit filio *Gratiano*, optimo Principi, a virtute patris minime degeneri, a novem jam annis in Imperii consortem assumpto. Verum ei, non invito, adjunctus est *Valentinianus II* frater junior, ex *Justina*, muliere Ariana, a Valentiniano I susceptus, atque adhucdum puer ab exercitu matris artibus Augustus salutatus.

Gratianus & Valentin. II.

Valens interea in Oriente tumultuans non plus anno Valentiniano fratri superfuit; nam ut Hunnos, ex Mæoticis paludibus prorumpentes expelleret, Gothis in Imperii solo sedem concessit. Sed Gothi erant Romanis, quod mus in pera, & scorpius in sinu; nam armis sumptis, Thraciam depasti, Valentem a bello Persico reversum acie vicerunt, atque cum tugurio, in quod sagitta ictus confugerat, vivum combusserunt, qui tot Ecclesiæ Præsules combusserat; dignum a Gothis referens præmium, quos & sinu receperat, & per *Ulphilam* Pseudo-Episcopum Ariana lue infecerat, pertinaci morbo ad Europæ exitium transituro. Periit Valens anno 378, Imp. 14, æt. 50.

Gothi per Ulphilam Arianismo infecti.

Cum Romanum Imperium in Europa a Moravis, Sarmatis, Saxonibus, Gothis, & Hunnis laceraretur, in Asia a Persis, in Africa a Mauris, *Gratianus* Imperator *Theodosium* Hispanum, præstantem bello virum, in collegam assumpsit, eique post mortem Valentis Orientem attribuit. Ussit invidia *Maximum* Britannum, qui, arrepta tyrannide, Gratianum, Alemannorum ad Argentoratum victorem, in ponte Rhodani prope Lugdunum per *Andragathum* perfide interemit anno 383, Imp. 8, ætatis 28.

Theod.

Maximus.

Maximus, a Theodosio & Valentiniano II consors Imperii agnitus, Treviris sedem fixit; verum cum ambitioni Transalpinæ provinciæ, quamvis vastissimæ, non sufficerent, in Italiam penetravit, atque illius quoque possessionem adiit. Valentinianus cum matre Justina pulsus, Cpolim fugit, atque Theodosii M. opem imploravit, eamque, promissa mitiore cum S. Ambrosio & Catholicis agendi ratione, obtinuit; nam Theodosius, cum exercitu in Italiam profectus, Maximum ad Aquilejam devictum, militibus discerpendum reliquit, atque *Valentiniano* totum Occidentem asseruit. Verum is haud multo post Viennæ in Gallia ab *Arbogasto*, militiæ Præfecto, strangulatus est.

Theodosius M. comperta Valentiniani nece, cum in Oriente aliis bellis esset distentus, *Arbogastum*, & *Eugenium*, Tyrannos, quorum uterque purpuram induerat, aliquamdiu toleravit; at vero, cum uterque, renovato idolorum cultu, in Christianum nomen insurgeret, signo crucis pro vexillis elato, in ipsis alpium jugis hostes fudit, ipsorum

Arbogastus & Eugenius.

rum

rum telis ventorum turbine in emittentium ora retortis. Interfectus Eugenius aliena manu, Arbogaſtus propria.

Tunc demum Occidens Orienti junctus Theodoſio paruit, victorque orbis Romæ aliquamdiu ſedem fixit, proſtratiſque idolis, delubra ſubruit. Verum cum Senatui idola ex animis evellere non facile poſſet, Cpolim rediit, ubi purior eſſet cultus, quem per Synodum Generalem ſecundam, Cpolitanam primam, procuravit. Theod. Monarcha.

Thracia dein aliiſque Orientis provinciis a Barbarorum, Gothorum, Hunnorum, Scytharum jugo vindicatis, felicitatem Conſtantini Magni, amplitudinem, felicitatemque Theodoſius Magnus reſtituit.

In ſummis ejus virtutibus nævus unus iracundia, qua ob dejectam Placillæ Auguſtæ ſtatuam *Antiochiam* vaſtitate damnavit, ac ægre Flaviani Epiſcopi precibus pœnam remiſit: alias vero ob tumultum, in quo Præſes & Senatus Theſſalonicæ durius eſt habitus, ſeptem hominum millia, nullo nocentium & innocentium diſcrimine, interfici juſſit. Sed id delictum pœnitentia expiavit, correctionem Ambroſii demiſſe recipiens. Nævi illius.

Obiit anno 395, Imperii 16, æt. 60, ſummis Imperatoribus jure accenſendus. Ex Placilla prima conjuge genuit Arcadium & Honorium, quos inter conſilio non optimo Imperium diviſit, ex altera, Galla Placidia, Valentiniani I filia, Placidiam, Athaulpho Gothorum Regi primo deſponſam, ac dein Conſtantio Romano Patricio. Imperii diviſio tertia.

Articulus IX.

Obſervatio in Sæculum IV.

Vidimus initium hujus ſæculi Diocletianis adhuc, Maximianis, 36.
Galerianis, Maximinis, Licinianis, Julianis, ethnicorum Principum, Eccleſia preſſa.
perſecutionibus ſanguinarium; ſub ipſis deinde etiam Imperatoribus, qui Chriſtiano nomine ſibi blandiebantur, Conſtantio & Valente ſævum & crudele: hæreſibus denique quam plurimis turbatum. Quantum Donatiſtarum, Arianorum, Sabellianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Aerianorum, Priſcillianorum, Manichæorum regnum? quam late, quot artibus, quantis machinis propagata ſanies? Helvidius & Jovinianus quam turpia carcinomata?

At provida ſemper pro ſua in terris Eccleſia Mens illa æterna, quot heroes miſit, quot Alcides, qui virulentam excetram conficerent? hoc nomine veniunt ſummi Pontifices, Divina ad hoc ordina- Sed non oppreſſa.

tione instituti, ut disperdant, dissipent, ædificent, & plantent, Melchiades, Sylvestri, Julii, Damasi &c.: Fideles Adjutores Imperatores Christianissimi, Constantini, Valentiniani, Gratiani, Theodosii.

Et quis enumeret Patres, Doctores, & Scriptores Ecclesiasticos, adversus hostes Ecclesiæ strenue depugnantes? peperit profecto hoc sæculum viros immortales, quibus multum sane debet Ecclesia: *Athanasium* dico, sanctum illum exulem, qui vel fugiens & latitans hostibus terrori fuit. Quot fraudibus & calumniis actum, ut periret! Plura de eo *Part. III & IV* sunt commemorata. Opera ejus edidit clarissimus P. de Montfaucon, ex congregatione S. Mauri; multa tamen censentur supposititia. De ipso etiam *Symbolo*, *quicunque vult salvus esse &c.* dubitatur, an S. Athanasium auctorem habeat. Baronius illud eidem adjudicat, sed plures recentiores Critici abjudicant, ea ducti ratione, 1 quod in antiquioribus S. Athanasii codicibus non inveniatur. 2. Quod stylus latinum auctorem sapiat. 3. Quod hæreses, Nestorianam & Eutychianam confutet, & tamen nec in Ephesina synodo nec Chalcedonensi fuerit allegatum. Quod neque Patres latini, qui usque ad Gregorium IX, de processione Spiritus Sancti contra Græcos disputarunt, unquam de hoc symbolo Athanasii mentionem fecerint, cum tamen magnæ adversus eosdem fuisset auctoritatis. Diversi autem diversis illud tribuunt auctoribus, potiores vero Vigilio Dapsensi Episcopo in Africa, Sæculi V scriptori, qui alia etiam scripta sub nomine S. Athanasii ediderit.

De Symbolo S. Athanasii.

Quod S. Athanasius Orienti, hoc *S. Hilarius* erat Occidenti in Arianis conflictibus; Gallus fuit natione, Pictaviensis Episcopus. E Synodo Biterrensi, in qua (sicut ante in Mediolanensi) fidem Nicænam & S. Athanasium animo imperterrito defenderat, Saturnini Arelatensis fraudibus in Phrygiam a Constantio exul missus, in Concilio Seleuciensi palmas suas adversus Arianos instauravit. Ursacius & Valens, ut ab homine sibi minime opportuno se liberarent, auctores fuere Constantio, ut ad Episcopatum eum remitteret. Gallia melior invictum Athletam obviis ulnis excepit, pluresque synodos ibidem egit, effecitque, ut Saturninus, Arianorum antesignanus proscriberetur. Post multas alias victorias, in Oriente & Occidente relatas, ad gloriosum in cœlis triumphum abiit anno 367.

S. Hilarius.

Vitam ejus Bollandus ad 15 Jan. scripsit. Opera vero ejus novo studio ediderunt eruditissimi Patres Benedictini S. Mauri. Illa inter eminent 12 libri de Trinitate. Libri 3 adversus Constantium Imp. liber contra Auxentium Mediolanensem, & liber contra alios Arianos. Plura vero opera aut perierunt, aut supposititia censentur.

Optatus

Optatus Milevitanus in Numedia Episcopus, tempore Valentiniani I sex libros doctissimos de schismate Donatistarum scripsit adversus *Parmenianum* Pseudo-Episcopum Carthaginensem. Optatus.

Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, ab Accacio Cæsariensi Episcopo ordinatus, sed ab eodem, cum de Jure Metropolitico quæstionem moveret, rursus sede sua dejectus, nec ante mortem Constantii restitutus est. Sub Valente iterum depulsus, post hujus necem iterum rediit, a Synodo II confirmatus, obiit anno 386, Episcopatus 35. Cyrillus Hierosol.

Reliquit Catecheses 18 pro Neophytis, & 5 Mystagogicas, prorsus utiles, etiam ad demonstrandam realem præsentiam Christi in Sacramento Eucharistiæ; unde non defuerunt Calvinistæ, qui negarent, Catecheses istas esse Cyrilli: sed eas S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis tanquam genuinum Cyrilli partum agnoscit, atque dilaudat. Scripsit etiam Epistolam ad Constantium de signo crucis in cœlo, quod Constantinus viderat.

S. Basilius M. Athenis, quo studiorum causa fuerat profectus, ob morum similitudinem comes individuus fuit S. Gregorii Nazianzeni. Inde reversus, Ægypti ac Libyæ Monasteria lustravit, haustisque ibidem documentis, factus in Ponto & Cappadocia Monachorum fundator, Regulas Monasticas præscripsit. Eremo extractus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus renuntiatus anno 371. Dici non potest, quantis machinis egerit Valens Imp. ut hunc virum sibi & Ario conciliaret; sed in cautem impegit; ad mortem usque perstitit Nicænæ fidei propugnator acerrimus. Obiit anno 380, oris facundia, & cœlesti sapientia plenus. S. Basilius.

Scripsit multas Homilias in Hexameron, Psalmos, & de variis argumentis; libros 2 de Baptismo, contra Eunomium 5. Ad Amphilochium de Spiritu S. & pœnitentia, de abdicatione rerum, de vera & pia fide, sermones de vita ascetica, seu institutiones Monachorum, Regulas fusiores & breviores, liturgias, conciones morales, commentarium in Isaiam.

S. Gregorius Nazianzenus, cognomento *Theologus*, vivo adhuc patre Gregorio Nazianzi Episcopo, ejusdem Ecclesiæ, ex eremo accitus, administrationem suscepit. Mortuo patre centenario, ad Cpolitanam cathedram fuit vocatus, sed fervente in Synodo II tumultu Episcopatum illum ultro abdicavit, habitaque eleganti ad populum oratione, Nazianzum recessit, ubi solitariam vitam duxit, ad annum usque 389, quo pie decessit. Scripsit multa opera, oratione soluta & metro ligata. Varia tamen censentur aut dubia, aut supposita. S. Gregorius Naz.

Greg. Nyss. *S. Gregorius Nyssenus*, frater S. Basilii, Theologus pariter summus, uxore Deo dicata, sacerdos ordinatus ac deinde Nissæ in Cappadocia Episcopus anno 372, a Valente, sicut alii Episcopi Catholici, in exilium pulsus est: sed eo sublato redux, Synodo II inter 150 Patres interfuit, in qua *Symbolum Constantinopolitanum* composuisse dicitur, vitamque sanctam ad finem prope Sæculi V produxit. Opera ejus anno 1605 Parisiis publicavit Fronto Ducæus S. J.

Ephrem. *S. Ephrem*, Syrus, Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, vita & doctrina clarus, scripsit Paræneses seu exhortationes ad Monachos, Sermones Asceticos, Encomia sanctorum, voluntatem suam ultimam, qua singulis reliquit varia vitæ sanctæ documenta. Vitam ejus scripsit Bollandus ad 1 Februarii.

Epiphanius. *S. Epiphanius* in Palæstina natus, circa annum 320 in Ægypto & Palæstina inter Monachos pie vixit, donec Salaminæ (quæ postea Constantia est) in Cypro factus est Episcopus. Gravem is controversiam habuit primum cum Joanne Solymitano Episcopo ratione Origenistarum, dein etiam cum Joanne Chrysostomo, quos tanquam fautores Origenis accusavit. Cum enim *Theophilus* Patriarcha Alexandrinus Origenem damnasset in synodo, ac Monachos, quos ejus erroribus adhærere putabat, expulisset, ad Joannem Chrysostomum Cpolim confugiebant. Benigne is eos accepit. Quod ægre tulit Epiphanius, & collecta in Cypro synodo iterum Origenistas proscripsit, datisque ad Chrysostomum litteris, ut idem faceret, petiit; quin ipse anno 402, jam octogenarius, Cpolim abiit, ut Monachos hæreticos proclamaret, sed cum Chrysostomo, eum humaniter invitante, communicare noluit, eoque ne quidem salutato in Cyprum recessit. Ita nempe vel inter sanctos gliscit, ex zelo pietatis, simultationum spiritus, abundante quovis in suo sensu. Nempe Chrysostomus vel necdum satis agnovit errores Origenis, vel quod vero similius, existimavit, Monachos Ægyptios (quos *Monachos longos* appellabant) iis erroribus non esse irretitos, communione tamen Ecclesiastica illis interdixit. Obiit Epiphanius eodem anno 402.

Lis inter Patres ob Origenistas.

Reliquit S. Epiphanius posteritati *Panarium* adversus 80 Hæreses, Epitomen hujus Panarii, librum de Ponderibus & Mensuris, sermonem de fide, plures Epistolas.

37. Chrys. *S. Joannes Chrysostomus*, natus Antiochiæ anno 347, studiis optimis imbutus, forensibus causis postquam aliquanto tempore se tradiderat, ad sacras Scripturas & obsequium Ecclesiæ industriam transtulit, atque baptizatus a Meletio Antiocheno Episcopo, per sexennium in eremum secessit. Inde revocatus a Flaviano, Meletii successore, ordinatus Presbyter, per 12 annos ad populum Antiochenum dixit,

tanta

tanta fama & nominis commendatione, ut *os aureum* diceretur, & mortuo Nectario Cpolitanus Patriarcha sufficeretur invitus. Cum autem Monachi Ægypti a Theophilo proscripti Cpolim ad S. Chrysostomum & Arcadium Imperatorem, de injuria illata questuri venissent, Arcadius Theophilum Cpolim adduci jussit. Theophilus, hanc fabam a Chrysostomo in se cusam, ratus, perdendi eum occasionem quæsivit.

Hanc ei brevi in manus dedit Imperatrix *Eudoxia;* nam cum Chrysostomus mulierum vitia pro concione publica perstringeret, Augusta se petitam existimans, Theophilum, cum non paucis Ægypti Episcopis adhuc præsentem facile permovit, ut indicta *ad Quercum* in suburbio Chalcedonis synodo (cui etiam plures Asiæ Episcopi, a Chrysostomo depositi, adfuerant) eundem, citatum, sed non comparentem, condemnaret, & Arcadius suo Decreto exilium eidem indiceret, anno 403. Abiit Chrysostomus flente populo. Sed ecce! vehementi terræ motu urbem concutiente, & plebe in seditionem vergente, coactus est Imperator, protinus eundem revocare, festivo plausu lætaque acclamatione exceptum. Ejus fata.

Sed diuturna non fuit malacia; cum enim Chrysostomns ad Augustæ statuam prope Ecclesiam ludos fieri prohiberet, habita oratione, cujus initium: *iterum Herodias furit, rursus saltat*, excandescens Eudoxia, alteram synodum convocari curat, cui interesse noluit Theophilus, a populo sibi male metuens. Misit tamen legatos, qui cum aliis Episcopis, Joanni infensis, sententiam depositionis, ad Quercum latam, confirmarunt.

Rursus igitur Chrysostomo migrandum fuit in exilium, ærumnis, morbis, rerumque omnium penuria plenum. Sed major sensu Joannis animus aspera quæque invicta constantia perpessus, quarto exilii anno ad perennem in cælis laureolam translatus est.

Chrysostomus, inique condemnatus appellavit ad Innocentium I Papam, qui eum absolvit, atque ut nomen ejus Diptychis inscriberetur, voluit; sed Theophilus obstitit, donec Cyrillus ejus nepos, atque in Ecclesia Alexandrina successor id præstitit. Singularis autem honor sacris ejus Reliquiis anno 438 fuit delatus, quando magnifica cum pompa Cpolim sunt deductæ, Theodosio II, veniam parentum suorum culpæ a sancto precante. Appellat.

Scripsit *Homilias* multas, spiritu & facunda eloquentia plenas, in omnes ferme libros veteris & novi testamenti: varios sermones doctrinales, & de laudibus sanctorum, librum contra Gentiles, alterum contra Judæos: tres contra vitæ Monasticæ irrisores: sex de sacerdotio: Ejus Libri.

dotio: duos de cordis compunctione: tres de Dei providentia: unum de virginitate: Liturgiam: opera moralia: plures epistolas. Monumenta ejus, quæ erudito orbi reliquit, laudare supervacuum est, cum sint Chrysostomi.

Magni equidem, quos recensui, fuerunt Græci Doctores, sed Ecclesia Latina Sæculo IV produxit multo maximos, Ambrosium puta, Hieronymum, Augustinum.

38. Ambrof. Et quidem S. *Ambrosius*, patre Galliæ Præfecto natus, Arelate, ut Raynaudus existimat, quæ fuerat sedes Prætoria. Romæ litteris cultus eximie, ad Insubriam & Liguriam regendam missus est. Mortuo *Auxentio* Mediolanensi Episcopo Ariano, anno 374, unanimi voce fuit electus, licet esse laicus, imo necdum baptizatus. Ut extingueret Arianorum reliquias, Palladium & Secundianum Episcopos in Aquilejensi Concilio anno 381 condemnari curavit. *Justinæ*, matri Valentiniani II Basilicam pro Arianis deposcenti, invicta constantia

Gesta. restitit. Eadem Justina, licet sanctum Præsulem graviter fuisset persecuta, ejus tamen præsidium implorare fuit coacta, quando Maximus, Gallia subacta, in Italiam venit.

Mortua Justina, Valentinianus se totum Ambrosio permisit; cumque is ad illum baptizandum in Galliam properaret, ab Arbogasto occisum invenit (anno 392). Multa dein ab Eugenio tyranno passus, Florentiam concessit, donec Eugenius a Theodosio victus, captus, & capite plexus est. Eidem Theodosio M, licet de Ecclesia præclare merito, ob cædem Thessalonicensem, Ecclesiæ ingressu interdixit, pœnamque publicam injunxit, quam Princeps ille Maximus, orbisque Dominus submisse acceptavit, nunquam fortior, quam dum se ipsum vicit, idea certe excelsæ mentis, heroisque vere Christiani. Obiit S. Ambrosius anno 397, æt. 57, Episc. 23.

Libri. Scripsit multa mira facundia, styloque comprimis nitido ac nervoso, quæ viri clarissimi congregationis S. Mauri tribus Tomis ediderunt, & primis quidem duobus genuina ejus opera, tertio vero dubia & supposititia. Tomo 1 continentur, quæ scripsit in S. Scripturam. Quod l. 1 de Abraham c. 4 legitur, nondum interdictum fuisse adulterium, de lege positiva intelligendum est. In Tomo 2 tractat de officiis clericorum, de viduis, de virginibus, de sacramentis, ubi realem Christi præsentiam in Eucharistia, & transsubstantiationem

De Hymno Te Deum. clare exprimit. De Cantico *Te Deum Laudamus* disputant eruditi, an S. Ambrosium & S. Augustinum, alternis versibus illud, ut fertur, concinentes, auctores habeat. Quidam illud tribuunt *Sisebuto*, Ord. S. Benedicti Monacho, ut patere dicunt ex vetere Cassinensi Breviario:

rio: deinde hujus Cantici ante Regulas S. Benedicti & Cæsarii nusquam mentionem fieri.

S. Hieronymus, Stridone in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus natus circa annum 329. Romæ ad Humaniores litteras addiscendas usus est Donato & Victorino Doctoribus. Lustrata dein Gallia redux in Italiam, Aquilejæ cum Rufino amice est conversatus, futurus postea eidem adversarius propter Origenem. Excussis omnibus, quocunque venerat, Bibliothecis, &, quæ in rem suam fore crediderat, excerptis, Romam reversus est, doctorum virorum ubique intentus consuetudini. 39. Hieron.

Comparata sibi ampla librorum omnium notitia, sacraque eruditione vastissima, in Orientem concessit, vivam Bibliothecam secum circumferens. Antiochiæ aliquantum postquam substitit, quadriennium in Syriæ solitudine linguæ Hebraicæ impendit. Antiochiæ subin a Paulino ordinatus Presbyter anno ætatis 30 Bethlehemi substitit, devotioni suæ indulgens.

Post auditum subin aliquamdiu S. Greg. Nazianzenum Cpoli Romam ad Damasum Papam profectus, ab epistolis ei, & in regenda Ecclesia adjutor fuit. Eo vero mortuo, cum Romanum Clerum haberet adversum, & apud Siricium non eadem polleret gratia, per Ægyptum in Palæstinam rediit, Bethlehemi fixurus domicilium, quo sanctas etiam fœminas, Paulam, Eustochium, Melaniam, quas Romæ instituerat, traxit; tantusque erat ad Hieronymum concursus, ut Paula quatuor ibidem Monasteria conderet, unum pro viris & tria pro mulieribus. Stabilem igitur Hieronymus hic tandem in Monasterio sedem fixit, orationi, jejuniis, vigiliis, studiis, scribendisque libris & epistolis unice intentus, donec anno 420 nonagenarius ad laborum mercedem migravit: Doctor Ecclesiæ vere magnus, omnisque litteraturæ princeps, quem docti homines ex omni terrarum parte, & inter eos magnus etiam Augustinus, gravissimis in dubiis consulebant. Vitam ejus scripsit Martianæus Congreg. S. Mauri. Ejusque Opera 5 Tomis nova editione publicavit. Gesta.

Scripsit libros ferme innumeros, uti contra Helvidium, Jovinianum, Vigilantium, virginitatis & cœlibatus hostes, contra Manichæos, Montanistas, Luciferianos, Pelagianos, contra Joannem Solymitanum, & Rufinum Origenis fautores, Chronicon Eusebii in latinum vertit, & usque ad annum 395 continuavit. Catalogum texuit de Scriptoribus Ecclesiasticis: & quod præcipuum est, atque immortalem S. Hieronymo laudem parit, duas sacrorum Bibliorum versiones latinas adornavit, unam ex 70 Interpretibus, alteram ex textu Hebraico, Libri.

qua versione Ecclesia hodiedum utitur. Antiquam versionem, dictam *Italicam*, correxit, Græcæque fidei reddidit. Addidit multos commentarios in S. Scripturam, in Prophetas, Evangelium S. Matthæi, in aliquas S. Pauli epistolas: multas item epistolas, quibus quæstiones de difficillimis Scripturæ locis resolvit. Difficultatem autem in tot lucubrationibus eidem minuit insignis linguarum Orientalium peritia; nam Græcam, Hebræam, Syriacam, Chaldæam, ut Latinam & suam Dalmaticam calluit.

Ingenii fuit vehementis, præsertim cum contra hæreticos scriberet, quos aut convertendos, aut, ne noceant, confundendos putabat. Communem etiam cum Theophilo Alexandrino, & S. Epiphanio causam fecit contra Joannem Chrysostomum, quem cum Monachos longos non statim igni & aqua interdiceret, Origeni favere existimabant.

40. Augustin. *Aurelius Augustinus*, ingeniorum apex, naturæ & gratiæ opus consummatum, sæculorum stupor, Tagaste in Numidia natus anno 354, in patria Grammaticam, Carthagine Rhetoriam docuit primum, tum vero Romæ, ac Mediolani, ibique, Manichæorum turpi secta cum esset irretitus, post varias secum pugnas, lectione propria scripturæ, & S. Ambrosii opera, atque Monicæ matris piis lachrymis conversus, ac baptizatus anno 387, ætatis 33, totum se gratiæ dedit; reversusque in Africam anno 388 Hippone a Valerio Episcopo Presbyter ordinatus est anno 391, & anno 395 Episcopus Hipponensis a Primate Numidiæ cum consensu Carthaginensis Episcopi, atque mox bellum indixit Hæreticis, Manichæis, Donatistis, Arianis, Pelagianis, Priscillianistis, eo successu, ut gentium ubique inclaresceret.

Anno 40 postquam Ecclesiam Hipponensem doctrina & virtutum exemplo rexit, tertio mense, quo urbs Hipponensis a Vandalis obsidebatur, ad civitatem Dei, quam scriptis illustraverat, triumphans ingressus est, anno 430, ætatis 76, prout in vita ejus testatur Libri. Possidius. Opera vero ejus in 10 Tomos optimo ordine digesserunt Patres Benedictini Congreg. S. Mauri.

Tomo 1. Continentur Retractionum libri 2 & confessionum 13, contra Academicos tres. De beata vita unus. De providentia 2. Soliloquiorum 2. De immortalitate animæ unus. De quantitate animæ 1. De Musica 6. De libero arbitrio 3. De Moribus Ecclesiæ Cath. & Manichæorum 2. De vera Religione 1. Regula ad servos Dei.

Tomus II. Habet 270 Epistolas.

Tomus III. Ea quæ S. Augustinus in sacram Scripturam scripsit, uti de doctrina Christiana libros 4. De Genesi ad litteram 12. Locutionum

tionum 8. Quæstionum in Heptateuchum 7. Annotationum in Job 7. Speculum. De consensu Evangelistarum 4 libros. De sermone in monte 2. Quæstionum Evangelicarum 2. Quæstionum in Matthæum 1. Tractatus in Joannem 124. In Epistolam Joannis tractatus 10. Expositionem Epistolæ ad Romanos: item Epistolæ ad Galatas.

Tomus IV. Complectitur narrationes in Psalmos, quibus varios sensus litterales, mysticos, & morales exponit.

Tomus V. Continet sermones sacros 314 ad populum.

Tomus VI. Opera Moralia: ex diversis 83 Quæstionibus librum 1. Ex diversis quæstionibus ad Simplicianum 2. De octo quæstionibus Dulcitii 1. De fide & symbolo 1. De fide & operibus 1. Enchiridion ad Laurentium, ubi de fide, spe, & charitate, librum 1. De agone Christiano 1. De catechizandis rudibus 1. De continentia 1. De bono conjugali 1. De virginitate 1. De bono viduitatis 1. De conjugiis adulterinis 1. De Mendacio 2. De opere Monachorum 1. De divinatione dæmonum 1. De cura gerenda pro mortuis 1. De patientia 1. De symbolo ad catechumenos 4. Sermones de disciplina Christiana: de cantico novo ad catechumenos, de cataclysmo, de jejunio, de urbis excidio.

Tomus VII. Exhibet libros 22 de civitate Dei. Primi decem sunt contra Gentiles, qui dicebant, Romam a Gothis fuisse captam propter abolitum Deorum cultum. In reliquis 12 continetur Historia de utraque civitate, Dei & mundi.

Tomus VIII. Comprehendit libros Polemicos contra Hæreticos, præsertim Manichæos: librum de hæresibus, Tractatum contra Judæos, Tract. de utilitate credendi, librum de duabus animabus: Acta disputationis contra Fortunatum Manichæum: librum contra Adamantum Manichæum: libros 23, seu disputationes contra Faustum Manichæum: librum contra epistolam fundamenti: libros duos contra Felicem Manichæum: librum de natura boni contra Manichæos: librum contra epistolam Secundini Manichæi: libros duos contra adversarium legis & Prophetarum: librum contra Priscillianistas & Origenistas: librum contra sermonem Arianorum: collationem cum Maximino Arianorum Episcopo: tres libros contra eundem Maximinum: 15 libros de Trinitate.

Tomus IX. Proponit lucubrationes contra Donistas: uti Psalmum contra Donatistas: contra Epistolam Parmeniani libros tres: de Baptismo contra Donatistas libros 7. Contra litteras Petiliani 3. De unitate Ecclesiæ contra Donatistas 1. Contra Cresconium Grammaticum Donatistam 4. De unico Baptismo contra Petilianum 1. Breviculi

culi collationum contra Donatistas 3. Post collationem Carthaginensem ad Donatistas 1. Sermonem ad plebem Cæsariensem, præsente Emerito, habitum: de gestis cum Donatista librum 1. Contra Gaudentium Donatistam 1.

Tomus X. Continet libros, contra Pelagianos & Semi-Pelagianos scriptos, puta, de meritis & remissione peccatorum, & parvulorum Baptismo ad Marcellinum libros 3. De Spiritu & littera ad Marcellinum 1. De natura & gratia contra Pelagium 1. De perfectione justitiæ hominis 1. De Gestis Pelagii 1. De gratia Christi, & peccato originali 2. De nuptiis & concupiscentia 2. De anima & ejus origine 4. Contra duas epistolas Pelagianorum 4. Contra Julianum Pelagianum 4. De gratia & libero arbitrio 1. De correptione & gratia 1. De Prædestinatione sanctorum ad Prosperum & Hilarium 1. De dono perseverantiæ 1. Operis imperfecti ad Julianum 6.

Atque hæc indubitato pro genuinis S. Augustini operibus habentur. Quis crederet, vitam unius hominis tantis laboribus sufficere, nisi Augustinus esset, in quo Divinum quoddam ingenium cum improba industria de palma certasset.

Placuit autem hæc brevissime annotare, de præcipuis Sæculi IV Ecclesiæ Doctoribus, quæ magis diducta apud Bellarminum, Possevinum, Natalem Alexandrum, Graveson, & P. Daude invenies.

Eruditissimi Patres Benedictini Congreg. S. Mauri addunt ad singulos Tomos libros, Augustino suppositos, quorum sunt plurimi, uti de Grammatica, Dialectica, Categoriis, Rhetorica, vita Eremitica ad sororem, de mirabilibus scripturæ, de benedictionibus Jacob: expositio in Apocalypsin, Epistola ad Demetriadem, quæstiones veteris & novi testamenti &c. Sermones 314 memorati clarissimi collectores S. Augustino tribuunt, rejiciunt vero 317 tanquam eidem affictos.

Præter istos majores Doctores, qui Sæculum IV & initium quinti præclaris lucubrationibus illustrarunt, sunt alii minorum quasi gentium Scriptores, quos inter obiter saltem recensendi veniunt.

S. Eustathius, Antiochenus Episcopus, pars non modica Nycænæ Synodi, ejusque defensor acerrimus, depositus propterea ab Arianis, in exilio obiit. Scripsit Homilias, Epistolas, commentaria in Psalmos, pluraque adversus Arianos opera.

S. Alexander Alexandrinus Episcopus, S. Athanasii Præcessor, Arium in Alexandrina Synodo damnavit, duasque contra eum scripsit epistolas. Approbavit baptismum, ab Athanasio puero collatum.

Arnobius. *Arnobius* natione Afer Rhetoricæ Professor, septem libros contra

Lactant. gentes erudite scripsit; ipsiusque Discipulus *Lactantius Firmianus*,

Cice-

Cicero Christianus appellatus, scripsit libros septem Divinarum Institutionum, librum de persecutione, item de opificio Dei. Gelasius tamen Papa ejus scripta apocryphis accensuit. Uterque ex gentilitate conversus fuit ad Christianam fidem.

Juvencus Presbyter, Poeta insignis, quatuor Evangelia laboriose atque concinne in versus transtulit, suumque hoc opus Constantino M. nuncupavit. *Ausonius* Burdegalensis, Orator & Poeta pariter Christianus & elegans, libros Fastorum ab urbe condita ad suum usque consulatum, hoc est, ad annum 379 perduxit. Gratianum Principem, amorem illum cæli & terræ, erudivit, factus de Rhetore Consul. **Juvencus.**

Julius Firmicus, ante suam conversionem octo libros Astronomicos composuit, postea vero librum de errore profanarum religionum scripsit, librumque suum Constantini filiis dedicavit. *Jacobus* urbis *Nisibis* in Perside Episcopus, sub Maximiano gloriosus Confessor, & in Nicæna Synodo Assessor, plures scripsit libros, qui tamen non amplius extant. **Firmicus.**

S. Pacianus, Barcinonensis Episcopus, sermonem de Baptismo ad Catechumenos, parænesin ad pœnitentiam, & epistolas adversus Novatianos reliquit. *Marius Victorinus* Afer, Romæ Rhetoricam diu docuit, atque inter suos Discipulos S. Hieronymum habuit. Inter ejus Opera eminent 4 Libri de SS. Trinitate, contra Arianos exarati. *Didymus* Alexandrinus, a nativitate cæcus, plures, quod mirum, libros scripsit, & inter eos, teste Hieronymo, librum de Spiritu Sancto. **Pacianus.**

Maximus Cynicus, Greg. Nazianzeni in Episcopatu Cpolitano Successor & Adversarius, librum de fide contra Arianos scripsit. *S. Amphilochius* Iconii Episcopus, librum edidit de Spiritu S. contra Macedonianos, fidemque contra Valentem Imp. fortiter defendit. Homilias ejus latinitate donavit Cl. Combefisius e S. Dominici Familia.

S. Paulinus, Ausonii Discipulus, vir Consularis, & Imperatore Collega dignus, repudiatis vitæ illecebris, Nolanam in specum se abdidit, indeque ad Infulas Nolanas eductus, prodigiosa charitate illustrandas. Quippe captivum se hostibus abducendum dedit, ut viduæ filium liberaret. Plures scripsit epistolas, & elegantia pro illa ætate, jam declinante, poemata. **Paulinus.**

Arsenius, Arcadii & Honorii Moderator, documenta reliquit vitæ aulicæ & solitariæ. Ad hanc clam aufugit, ut illam vitaret, maluitque ultimus esse Monachorum, quam, qui esse poterat, primus Senatorum.

Orosius Hispanus Presbyter, hortante Augustino, Historiam ab Origine mundi ad sua usque tempora conscripsit contra Paganos, qui Romani Imperii calamitates neglecto Deorum cultui adscripserant.

Orosius.

Eusebius Vercellensis Episcopus, famosus cum Hilario Pictaviensi adversus Arianos Athleta, multas scripsit Epistolas, & Commentarium Eusebii Cæsariensis latinum fecit.

Catholicos Doctores recensuimus hactenus; memorandum nunc velut in transitu aliquid de aliquibus, dubiæ aut malæ fidei hominibus, qui tamen doctrinæ famam sibi compararunt.

Eusebius Cæs.

Hos inter primum locum sibi merito vendicat *Eusebius* Pamphili, Cæsariensis in Palæstina Metropolita; vir doctissimus, & Historiæ Ecclesiasticæ quodammodo parens; nam præter epitomen seu chronicon ab Origine mundi usque ad annum Constantini 20 deductum, quod S. Hieronymus continuavit, scripsit 10 libros Historiæ Ecclesiasticæ a Christi nativitate usque ad Concilium Nicænum. 15 libros de *Præparatione Evangelica*, & 20 de *Demonstratione Evangelica*, quibus veritatem Religionis Christianæ contra Philosophos Gentiles, eam impugnantes, ostendit: librum item de Martyribus, Cyclum Paschalem, librum contra præstigiatorem, Apollonium Thyanæum: Commentarium in Psalmos: libros 5 contra Marcellum Ancyranum: 4 etiam libros de vita Constantini, apud quem magna valebat auctoritate. Sed, proh dolor! vir tantus in hæresin Arianam prolapsus est, cum Eusebio Nicomediensi adversus S. Eustathium Antiochenum, & S. Athanasium Alexandrinum Antistitem colludens. Uberiorem de eo crisin legelis *Part IV.*

Euseb. Emiss.

Eusebius Emissenus in Syria Episcopus, pariter Arianus Homilias scripsit, quæ non amplius extant; unde illæ, quæ nomine ipsius circumferuntur, latinum habent auctorem, ætate posteriorem.

Apollinaris.

Apollinaris, Presbyter Laodicenus, vir eloquens, vastaque doctrina clarus, 30 libris confutavit nervose Porphyrium, Apostatam impium, calumniis & maledictis Christianos incessentem: adjecit Hebræorum Historiam Heroico carmine concinnatam. Sed miser, abusus ingenio, novam procudit hæresin, assumptam a Christo carnem sine anima, aut talem quæ mente, careret: cujus loco fuisset verbum. Filius ejus, Laodicenus Episcopus, homo pariter doctus, in eundem cum patre errorem abreptus est.

Diodorus Tarsensis Episcopus, S. Chrysostomi & Theodori Mopsuesteni Magister, commentarios in S. Scripturam adumbravit; sed ova posuit, quæ dein Mopsuestenus, hujusque Discipulus Nestorius, excluserunt, asserentes duas in Christo personas, Divinam & humanam.

Marcellus

Marcellus Ancyranus Arianos scriptis suis acerrime est insectatus; depositus propterea ab illis, ad Julium Papam, a quo Romæ & Sardicæ fuit absolutus, quia orthodoxam fidei professionem edidit. Dicitur tamen lapsus in errorem Sabellianorum. Marcellus Ancyr.

Lucifer Calaritanus in Sardinia Episcopus, zelosus Arianorum insectator, multa scripsit stylo ferreo, parcens nemini: atque hoc rigore suo occasionem dedit Schismati Antiocheno & Luciferiano. *Videsis Partem IV.* Obiit Lucifer anno 370.

CAPUT V.

SÆCULUM V.

Non minoribus, ac priora, hoc sæculum concussionibus fuit agitatum. Quo magis enim propagabatur Christiana Religio, eo pluribus hæresibus fuit infestata. Vigilantius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, virulentæ erant aspides, quæ longum post se malorum Syrma traxerunt. Videlicet, postquam orcus adversus Sacrosanctum Trinitatis Mysterium furores suos per Arianos, Macedonianos, Sabellianos &c. despumaverat, Christum ejusque gratiam aggressus, recte sentiendi credendique leges evertere conabatur. 41.

At protegente Numine firma supra petram ædificata stetit Ecclesia. Depugnarunt nempe strenue 12 supremi sacrorum Antistites, sancti omnes: dimicarunt Concilia multa, & inter ea duo œcumenica, Ephesinum & Chalcedonense; pennas velut gladios acuerunt sancti Patres & Ecclesiæ Doctores; viri Apostolici Regnum Christi ad Francos, ad Scotos, ad Hibernos, ad Burgundiones, ad Noricos porrexerunt. De quibus nunc aliqua commemoranda veniunt.

Articulus I.

S. Innocentius I, ab anno 401 *ad* 417. *S. Zosimus, ab an.* 417 *ad* 418. *S. Bonifacius I, ab an.* 418 *ad* 422.

Duas Constitutiones edidit S. Innocentius, alteram de servando Sabbato jejunio: de Regulis Monasteriorum alteram. Plures præterea celebres scripsit Epistolas, quæ ab acerrimis etiam Criticis genuinæ censentur, uti ad Victricium, Rotomagensem Episcopum, quam *librum Regularem* appellat, 13 Decretis comprehensam. Tertio jubet, 42. Epistolæ.

causas Clericorum universim ab Episcopis provinciæ judicari secundum Nicænos Canones, salva tamen Ecclesiæ Romanæ auctoritate, *cui in omnibus causis debeat reverentia custodiri.* 12mo. statuit, ut, quæ Christo nupserunt, & a sacerdote fuerunt velatæ, si postea nupserint, non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi is, cui nupserunt, de sæculo recesserit: item, quæ vivente marito alteri nupserint, esse adulteras.

Altera Epistola ad Tolosanum Episcopum Exuperium septem continet Canones. 1. Clericos incontinentes omni honore Ecclesiastico privandos decernit, & cœlibatus legem, a Siricio innovatam confirmat. Septimo Canone celeberrimo libros Canonicos S. Scripturæ enumerat, eosque tanquam Divinos ab Ecclesia traditione receptos testatur.

Tertia est ad Decentium Eugubinum Episcopum, ex qua colligitur SS. Eucharistiam ad absentes fuisse delatam, primisque temporibus, ob paucitatem fidelium, in civitatibus unam tantum fuisse Ecclesiam, in Ecclesia unum altare, unamque in altari illo uno die Missam, Dominica ab Episcopo celebratam, circa SS. Eucharistiam & alia quædam mysteria *arcani disciplinam* erga Judæos, Gentiles, & Catechumenos fuisse custoditam, sæpiusque Eucharistiam fermenti nomine appellatam, ad unionem charitatis tanquam effectum significandam. Quare Julius Papa, S. Athanasius Apol. 2 & Episcopi Ægypti Eusebianis exprobrarunt, *quod coram Ethnicis quæstiones de Ecclesia, calice, mensa Domini ac sanctis sanctorum habuerint.* Ad disciplinam autem Arcani non tantum pertinebant mysteria dogmatum, uti de SS. Trinitate, de Sacramento Eucharistiæ, & aliis Sacramentis, sed etiam certi ritus, qui occultabantur coram Gentilibus, ne margarithæ projicerentur ante porcos.

Arcani disciplina.

Sub Innocentio I, Joannes Chrysostomus a Theophilo Alexandrino in Conciliabulo ad *Quercum* fuit depositus, dein urgente populo Cpolitano, postquam ad sedem Apostolicam appellaverat, restitutus, iterumque, quod alias dictum, depositus, & in exilium relegatus, in quo sancte obiit, Innocentii jussu relatus in sacra diptycha, Cpolitanis non ante in communionem receptis.

Gesta.

Pelagii hæresin, quam ex Rufino Aquilejensi hausisse creditur, damnavit Innocentius. Thessalonicensem Episcopum sedis Apost. Vicarium constituit. Novatianos Roma expulit, multaque alia præclare pro fide orthodoxa & Ecclesia gessit.

S. Zosimus,

S. Zosimus, natione Græcus, *Pelagium*, ejusque Discipulum *Celestium*, ab Innocentio & duabus Synodis Africanis damnatos, quia orthodoxam fidei professionem obtulerant, innocentes putavit, & ab hæresi immunes, errore facti deceptus, non tamen eos absolvit, sed ad Episcopos Africanos scripsit, a quibus de eorum fraudibus melius informatus, ad acrius eos examen citavit; sed cum artes suas patere cernerent, fuga se subduxerunt. Damnati itaque a Zosimo decretoria sententia, quam prolixa Epistola, *Tractoria* dicta, toti Ecclesiæ publicavit. Instante dein Zosimo tanquam hæretici Roma totoque Imperio ab Honorio Cæsare excesse jussi sunt. Africani vero Patres amplissima gratulatione Zosimum sunt prosecuti, præsertim postquam etiam Julianum Pelagianum damnavit & ab Episcopatu Eclanensi deposuit. Zosimi error facti. Epist. Tractoria.

Tribuunt aliqui Zosimo Benedictionem cerei paschalis, agnorum Dei, & usum stolæ apud Diaconos; sed alii probant, hos ritus antiquiores esse. Certe jam Prudentius de cereo paschali Hymnum composuit.

S. Bonifacius I, Presbyter, cum a majore Cleri parte eligeretur, a minori oppositus eidem est *Eulalius* Antipapa, qui fuerat Archidiaconus. Symmachus urbis Præfectus ad Honorium Imperatorem falso Ravennam scripsit, Eulalium legitime fuisse electum, Bonifacium subintrusum. Pronuntiavit igitur Honorius pro Eulalio: vocatur pars utraque Ravennam, cogitur synodus, patescit veritas, pellitur Eulalius, Bonifacius restituitur: Honorius statuit, ut, si duo per ambitum deinceps eligerentur, neuter esset Pontifex, sed is, in quem Clerus & populus consentirent. Eulalius Antip.

Primus ex Imperatoribus legitur Honorius, occasione hujus Schismatis electioni summi Pontificis se miscuisse, exemplo, ad Italiæ Reges & alios cum jurium Ecclesiasticorum confusione transituro. Confirmavit Bonifacius *Tractoriam* Zosimi Epistolam, quæ contra Pelagianos erat fidei norma, sicut Epistola S. Leonis de Incarnatione contra Eutychianos.

Occasione *Apiarii* Bonifacius commissus est cum Afris Episcopis in causa appellationum. Erat Apiarius Siccinensis in Africa Presbyter, ob mores pravos ab Urbano Episcopo suo, S. Augustini Discipulo depositus. Appellavit ad Zosimum Papam, a quo exercitio Ordinum fuit restitutus, misso ad id in Africam Faustino Piceno Episcopo. Tum causa Apiarii in Synodo Africana discussa est. Visum Afris, Presbyteros, Diaconos, & Clericos inferiores in suis provinciis judicandos, remota appellatione ad Judices transmarinos, ad quos testes deportari non possent. Causa Apiarii, Et Appellationum.

Zosimus

Zosimus ad Canones Nicænos provocavit, quos Afri per Legatos Alexandria & Cpoli petierunt, & obtentos anno 419 ad Bonifacium, Zosimi successorem, miserunt, nihilque de appellationibus in iis inventum est. Zosimus videlicet vel plures Nicænos Canones habuit, quam illos 20, a Rufino exhibitos, qui ad Afros non pervenerunt, sicut multi testantur, fuisse multo plures: vel certe Nicænam & Sardicensem Synodum pro una habuit; quia hæc erat appendix & complementum illius: in Sardicensi autem tractatur de appellatione ad sedem Apost. Post mortem Bonifacii Apiarius rursus gravium criminum accusatus, rursusque damnatus, appellavit iterum Romam ad Cœlestinum, Bonifacii successorem, a quo communioni fidelium fuit restitutus. Sed convictus ac denique confessus crimina condemnatus. Quod autem ad jus appellationum spectat, cessere tandem Africani Episcopi, & agnoverunt jus Episcoporum appellandi ad sedem Apost. Sardicensibus Canonibus assertum, atque exemplo S. Athanasii, S. Chrysostomi, S. Flaviani, Marcelli Ancyrani, usuque vetusto Ecclesiarum Galliæ & Hispaniæ comprobatum.

Certe eodem ferme tempore Clerici Valentini Diœcesis cum Maximum Episcopum, Manichææ hæresis reum, ad Bonifacium Papam detulissent, ad quem noverant, majores causas esse deferendas, septem provinciarum in Gallia Episcopis negotium commisit, jure tamen appellationis ad sedem Apost. servato.

Articulus II.

Observatio de Imperatoribus &c. hujus temporis.

45. Arcadius, Et Honorius. Theodosio M. vita functo ex paterna divisione *Arcadius*, 20 annos natus, Orientem adeptus regendum, Cpoli resedit, *Honorius*, decennio minor, Occidentem, sede primum Romæ, dein Ravennæ fixa. Nec unquam deinceps amplius Imperium utrumque coaluit, quin imo in multa regna & principatus fuit discerptum.

Additi quidem a Theodosio filiis eximii Duces, quorum consiliis & armis regerentur, sed, ut incertæ sunt mortalium providentiæ, ex spe tutelæ orta clades. Rufinus. *Rufinus*, humili in Aquitania loco natus, Cpolim delatus, adeo in Theodosii gratiam insinuare se noverat, ut eum moriens Arcadio & Orienti tutorem dederit. Is autem ambitione turgens Alaricum, Gothorum Regem, in Græciam accivit, ut in turbis diadema sibi flecteret.

Sed

Sed *Stilico*, gente Vandalus, homo militaris non minus improbus, Honorii Occidentisque & tutor & socer, dudum ardens in Rufini perniciem, ut sublato æmulo utrumque Imperium faceret suum, *Gainam*, nullius pariter fidei hominem Arianum, cum copiis mittit, ad speciem, ut Alarium repellat, re ipsa, ut Rufinum perdat: quod diligenter est executus, dum inspectante Arcadio eundem trucidavit, meritum quidem occidi, sed non per hanc manum. Extat in hanc rem egregium epos Claudiani in Rufinum. Stilico. Gaina.

Successit Rufino potentiæ hæres *Eutropius* evnuchus, qui cum impotenter dominaretur, ad asylum confugit, quod decreto sustulerat. Extat oratio Chrysostomi in Eutropium, aram prensantem. At Gainæ religioni non fuit, palpitantem extrahere & obtruncare. Eutropius.

Umbra Principis tunc erat Arcadius, sed quasi umbra Gainæ officeret, in ejus caput consilium iniit, cum exercitu Cpoli imminens, legesque in favorem Arianorum Imperatori dictans: sed a *Fravita* Arcadii Duce victus, Hunnorum Regi, quas Arcadio debuit, pœnas solvit. Fravita.

Dubium tamen reliquit, an Orienti Gaina plus nocuerit, an Eudoxia Arcadii & conjux & domina, dum Chrysostomum a Cathedra Antiochena, ut princeps civitas eloquentiæ principe frueretur, ad Cpolitanam evocatum, bis in exilium ejecit, & per custodum crudelitatem mori coegit: atque, ut cœli vindictam noscas, anno proximo lamentabili morte rapta est, emortui fœtus sepulchrum vivens. Secutus brevi maritus, ætatis 31, ~~Imperii~~ sui vel alieni 12.

Honorio fratri diuturnior fuit Occidentis administratio, sed non pacatior. Apud eum titulus, res *Stiliconis* fuit. Is, sive ut sui necessitatem faceret, sive ut Imperium sibi & *Eucherio* filio pararet, bella perpetuo aut peperit, aut fovit. His ejus consiliis favit inscius *Gildo* Africæ Comes, quem rebellantem per fratrem Mascezelem vicit, peremitque, ne quis se esset pejor. Occidentis turbæ.

Altera Stiliconis victoria de *Rhadagaiso* Gothorum Rege fuit relata. Cum enim is ducenta suorum millia in Italiam duxisset, in faucibus Fesulanis a Stilicone conclusus, immanem stragem passus est; nam quos ferri acies præteriit, pestis absumpsit.

At contingit non raro, ut, si victor est malus, victoria noceat. Stilico typho ambitionis inflatus, ut Eucherio purpuram extorqueret in turbis, Barbaros omnes, quos habebat in potestate, Gothos, Hunnos, Vandalos, Suevos, Burgundiones, simul evocatos, provinciis Romanis infudit. Sed hæc perfidiæ & ambitionis pœna justissima: ubi se spei fastigium attigisse putat, repente in ima devolvitur. Stiliconis perfidia.

tur. Stilico, detectis fraudibus, Ravennæ ab Heracliano Honorii Duce, perimitur cum Eucherio, cui purpura Romæ jam texebatur.

Verum Gothi, quos Stilico evocaverat, per Gallias & Hispanias palantes, *Alarico* Duce, recta Romam contendunt, eamque anno 410 expugnant, Honorio Ravennam digresso. Recedenti Alarico negata pax, ut urbem rursus caperet, & per triduum spoliaret, modestia tamen & barbaris & Arianis rara, qua Catholicis, & Ecclesiis, sacrisque vasis parcitum, suusque honos Papæ Innocentio habitus. Imo gentiles Christianis se miscuerant, ut ferrum hostile deciperent. Combustæ quidem domus aliquot, sed pauciores, quam Neronis ludus cremaverat. Alaricus aliquanto post in Siciliam tendens subita morte occubuit.

Alaricus.

Athaulphus Alarici successor, ducta *Galla Placidia*, Honorii sorore, pacem Imperio dedit, novumque in Hispania, sibi pro dote velut relicta, Gothorum regnum condidit, muliere servante Imperium fratri, & novum marito pariente. Post mortem Athaulphi Placidia Honorio reddita, nupsit *Constantio* Patritio, Duci, necatis dibachæ invasoribus, claro, cui & purpuræ cum Honorio consortium, & *Valentinianum III* postea Imperatorem, genuit: fœcunda parens! quæ & pacem, & regna, & Imperia, & Imperatores progignit; si tamen hoc est Imperia progignere, Imperii dissipationem auspicari.

Athaulphus, & Placidia.

Obiit Honorius anno 423, ætatis 39, Imperii 28, bonus homo, melior Christianus, sed non optimus Imperator; quippe alienis ductibus cum versaretur, Barbari undique irrumpentes Romanam illam Togam Sagumque discerpebant, peregrinis gentibus rapientibus Romæ, quod ipsa olim singulis rapuerat. Orta inde nova Regna, atque imprimis *Burgundionum*, ex variis septentrionalibus gentibus conflatum, quibus Constantius sedes apud Helvetios & Sedunos assignavit, cui deinceps accessit latus terrarum tractus per Burgundiæ Comitatum, & Sabaudiam.

Imperii mutilatio.

At anno 420 surrexit Regnum, multo illustrius, Francorum videlicet Teutonicæ gentis in Gallia. Primus eorum Rex *Pharamundus*, qui Rheno transmisso, Monarchiæ institutæ leges dedit, quæ stat etiamnum post 1350 annos, perpetua Regum serie ad Ludovicum XV ordine sexagesimum quintum, devoluta. Anno dein 422 ortum est regnum Scotiæ, auctore Fergusio. (*Joannes Bussieres in Flosc. Hist.*)

Articulus

Articulus III.

S. Cœlestinus, ab an. 422 *ad* 432. *S. Sixtus III, a* 432 *ad* 440.

S. Cœlestinus Cœlestium aliosque Pelagianos iterum damnavit. Sub plurium Pontificum initiis illi subdole tentarunt obrepere, acsi causa non satis fuisset discussa. Sed tota Italia sunt exacti: a Synodo III quoque seu Ephesina *Part.* 2, *Act.* 5 condemnati. *S. Germanus* Antisiodore sis missus contra eosdem in Britanniam, Pelagii patriam, ubi invaluerant. *S. Palladius* ab eodem Cœlestino in Scotiam ablegatus primus Episcopus, & S. *Patricius* in Hiberniam. Rufo Thessalonicensi confirmatus Vicariatus, & Illirici Episcopi refractarii ut eidem obediant jussi. 44. Pelag.

Nestorii hæresin jam ante Synodum Ephesinam condemnavit in Concilio Romano, & S. Cyrillus in Alexandrino. Cum anno 428 exorta est in Africa, & dein propagata per Galliam hæresis *Semipelagianorum*, *Prosper* Aquitanus Presbyter, & *Hilarius* vir laicus, qui S. Augustini libros de gratia defendendos susceperant, Romam ad Cœlestinum Papam profecti, obtinuerunt ab eo epistolam ad Galliæ Episcopos, qua eos redarguit, quod id genus errores serpere patiantur, laudatque doctrinam S. Augustini de gratia. Hic ipse S. Doctor supremis vitæ annis litteras dedit ad Vitalem Carthaginensem, hominem Semipelagianum, qui initium fidei ac bonæ voluntatis ex nobis esse docuerat, ut credere incipiamus. S. Aug. autem etiam initium fidei ac bonæ voluntatis donum Dei gratuitum esse ostendit. Semipel. Cœlest. laudat doctrinam S. Aug. de gratia.

Dedit Cœlestinus etiam ad Viennensem & Arelatensem Episcopos litteras, quibus vetat, ne cui vere pœnitenti negetur absolutio a peccatis, decernitque, per gradus Ecclesiasticos ascendendum ad Episcopatum, non vero ex laicis assumendos, neque criminosos: nullum invitis Episcopis, & absque Cleri plebisque consensu consecrari Episcopum: vacantis Ecclesiæ Clericos extraneis in sacris electionibus præferendos. Canones.

Per multos annos Novatiani hæretici suum Romæ Episcopum habuerant. At Cœlestinus eundem expulit. Pulsus Roma Novat. Ep.

Obiit S. Cœlestinus, postquam multa præclare pro Ecclesia gessit, anno 432, sedis 10.

S Sixtus III, magno solatio perfusus est ob conciliationem, inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum initam, eandem utrique, post acceptas ab iis litteras, gratulatus,

Appellat. Episcoporum ad Papam.

Helladius Tarsensis & *Eutherius* Thyanensis Metropolitæ, pluresque Episcopi, a Synodo Ephesina condemnati atque depositi, ad Sixtum Papam Romam appellarunt, propositis contra Cyrillum querelis, ejusque contra Nestorium capitula seu anathematismos, quos dicunt, blasphemam vocum novitatem continere. Damnatum Nestorium, quod hæresi subscribere noluisset, & quidem ante multorum ad synodum adventum, sine debito examine, minis & fraudibus obtentam subscriptionem, recusantes pariter damnatos, Cyrillum, qui reus esset, præsedisse Concilio: Joannem Antiochenum, quæ recte egisset, retractasse, & Cyrillum sine pœnitentia de suis capitulis in communionem admisisse. Rogant autem, se injuste ejectos, gregibus suis pastores a Papa restitui. Admissam ad Sixto appellationem & quosdam jussos restitui, si synodo subscribant, existimat Christianus Lupus *in Notis ad Cap.* 117 *Synodici.*

Ex hoc certe insigni antiquitatis monumento dilucide constat, quantum hallucinentur, qui putant, Orientales Episcopos olim nunquam ad Romanos Pontifices appellasse, sed semper ad universalem Ecclesiæ synodum. Athanasius, Chrysostomus, Flavianus, Marcellus Ancyranus, Helladius, Eutherius, multique alii Episcopi manifesta sunt exempla. Scribit quoque Franciscus Pagius, Baronii Censor, ad annum 433, Alexandrum Hieropolytanum Episcopum cum tota sua provincia ad Sixtum Papam appellasse.

Sixti III gesta.

Sixtus, visione cœlesti illustratus, Petrum Chrysologum Ravennatensi Ecclesiæ dat Episcopum. Illyrico vero, postquam rursus cum Imperio Occidentali sub Valentiniano III unitum fuit, Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Rufi successorem, Vicarium. *Julianum* Pelagianum aut Cœlestianum, Eulanensem quondam in Italia Episcopum, qui plures contra S. Aug. libros scripserat, fallendi artibus, ut ait Prosper in Chronico, correctionis spem præbentem, hortatu Leonis, tunc Diaconi, rejecit.

Acta Synodi Romanæ & liber Pontificalis referunt, Sixtum a Proconsule Basso stupri insimulatum se purgasse. Sed viri eruditi ostendunt, acta illa esse apocrypha, & librum, Pontificalis titulo editum, plures continere fabulas. Obiit Sixtus anno 440, sedis 9.

Articulus IV.

Observatio de Imperatoribus &c.

45. Theodos. II. Arcadius quinque proles reliquit, *Theodosium II* seu *juniorem*, octennem Principem, & quatuor filias, *Flaccillam*, *Pulcheriam*, *Arcadiam*, *Marinam*,

Marinam, omnes sanctas. Imperium auspicatus Theodosius, *Pulcheriam* sororem, virginem pientissimam, novo exemplo Augustam & Imperii consortem dixit, ejus opera in administratione plurimum usus, atque ad omnem probitatem educatus. Et Pulcheria

Tutorem vero, quod mirum, Arcadius Theodosio dedit moriens *Isdegerdem* Persarum Regem, qui misso Antiocho munus suum magna cum fide & integritate est executus, adjecitque minas, hostem sibi fore, qui pupilli, sibi concrediti, hostis esse præsumeret. Contulit quoque fidelem operam Anathemius Prætorii Præfectus. In hac tranquilla institutione adolevit Princeps, donec turbæ, domi & foris natæ, humanæ sortis exegere stipendia. Isdegerdes tutor.

Et foris quidem *Waranes*, Isdegerdis filius & successor, Christianis, indultu Isdegerdis in Perside multum auctis, infensus, tyrannidem fugientes Persas a Theodosio reposcebat armatus. Victi ab *Ardeburio*, Augusti Duce, Persæ, aut in acie cæsi sunt, aut in Euphratem propulsi perierunt. Ab hoc prælio pax victis data, tanto firmior, quo bellum acrius atque ferocius.

Domi debellatum lentius ad tutelam Imperii & Religionis. Primus tumultus a Nestorio: quem Synodus III Ephesi congregata anno 431 damnavit, & Pulcheriæ opera in Arabiam relegatus, corrosa a vermibus blasphema lingua interiit. Secutus Eutyches unam in Christo naturam & voluntatem asseruit. Tantoque mendacium prævaluit, ut eadem in urbe Ephesina, eodemque sub Principe, & veritas triumpharet, & victa caderet; laudatus *Prædatoria* in Synodo Eutyches, evecta in altum hæresis; Flavianus extrusus, & calce, a Dioscoro impacto, ictus ac triduo mortuus. Turbæ domest.

Tantam rerum mutationem, quis crederet, aula fovit, ex una parte sanctissima, Theodosio ac sororibus eam velut in Asceterium vertentibus: at parte ex altera depravata, *Chrysaphio* & *Eudoxia* Imperatrice Theodosium versantibus, & hæresi faventibus, substitutoque in Flaviani locum Anatolio, eo tandem furore, ut Augustus, Eudoxiæ artibus delusus, Pulcheriam sororem, hæresi obsistere nitentem, ab aula remotam Gynecæo incluserit. Ubi sane eluxit consueta mundi merces, summaque Eudoxiæ ingratitudo, utpote quæ, cum esset Leontii Philosophi Atheniensis filia, solius formæ gratia, ex summa inopia ad Imperatoris thalamum a Pulcheria evecta fuerat, ex Athenaide per baptismum facta Eudoxia. Chrysaphii & Eudoxiæ malitia. Pulcheria aula pulsa.

Sed non diu impunis serpebat perfidia. Eudoxia unius pomi, quod a conjuge acceperat, & *Paulino* aulico tradiderat, dono in suspicionem vocata, gratia excidit, & aula relicta Jerosolymam abiit, re- Versa fortuna.

restituta Pulcheria Augusta. *Paulinus*, qui pomum, ab Eudoxia acceptum, Theodosio obtulerat, occisus innocens, Chrysaphius nocens multatus exilio.

Valent. III Illyricum dat in dotem.

Ita aula sibi ac probitati suæ reddita, velut mare, dispulso turbine, in pace quievit. Nec diu superstes fuit Theodosius; anno siquidem 450 equo delapsus obiit, æt. 49, Imperii 42. Filiam reliquit Liciniam Eudoxiam, quam Valentiniano III Occidentis Imperatori despondera t, cum dote Illyrici. Theodosianum Codicem ab eo habemus, cum non minus litterarum, & justitiæ, quam probitatis esset amans.

Marcianus.

Pulcheria Augusta nupsit *Marciano* cum pacto virginitatis custodiendæ, eique simul Imperium attulit. Utriusque Opera habita est Synodus IV seu Chalcedonensis, in qua damnatus Eutyches, ejusque fautor Dioscorus. Asserta Christo duplex natura, Divina & humana, cum suis proprietatibus. Pulcheria, multis pro fide, præsertim orthodoxa, præclare gestis sanctissime obiit anno 456. æt. 65, Imp. 6. Marcianus vero biennio superstes solus imperavit, humili loco in Thracia natus, per omnes militiæ gradus ad summum Imperium evectus; sed non minus pietate, religione, integritate præcellens Princeps. Imperavit autem annis octo.

Valentin. III Imp. miserandus.

Valentinianus III, Constantii & Gallæ Placidiæ filius, ab Honorio avunculo cum matre aula pulsus, Constantinopolim ad Theodosium II sobrinum fugit, qui eum primo Cæsarem, deinde Augustum dixit, mortuo Honorio vero Occidentale Imperium, ad se devolutum, eidem tradidit, sed vulnere non uno hians: nam plures illud tyranni lacerabant. At Theodosius, misso cum exercitu *Ardeburio*, Persicis triumphis claro, cum *Aspare*, ejusdem filio, qui suppressis Joanne & Castino, purpuræ invasoribus, Valentiniano asseruit Imperium.

Duo dein Valentiniano quinquenni infanti assignati præclari Duces *Bonifacius*, & *Ætius*, Africæ ille præfectus, hic Italiæ. Sed Ætius, consortis impatiens, Placidiam Valentiniani matrem malis artibus ita in Bonifacium ceu proditorem incendit, ut Præfectura privatus in Italiam revocaretur. At is, dolo se circumventum videns, vitæque metuens, sumpto a desperatione consilio, *Gensericum* Vandalorum Regem ex Hispania in Africam evocavit, quam ille ferro flammaque vastatam sub jugum misit. Patefacta Ætii perfidia, sero facti pœnitens, cum Gensericum pararet expellere, ab eo victus est, expulsusque ex Africa. Gensericus vero novum ibidem regnum Vandalorum erexit.

Bonifacius, Ætii fraude deceptus, Gensericum in Africam vocat.

Boni-

Bonifacius, postquam in Italia vicit Ætium, morbo extinctus, æmulo plenas reliquit habenas, periculoso viro equidem, sed pro turbido illo Reipublicæ statu necessario. Necessitatem illius brevi attulit *Attila*, Hunnorum Rex, qui jam ante Thraciam & Illyricum crudeliter populatus, non nisi ingenti auri vi, a Theodosio oblata, averti poterat. Oriente autem relicto, in Occidentem sese infudit, ingentem populorum multitudinem trahens (septingenta hominum millia fuisse traduntur) atque *flagellum Dei* se nuncupans, obvia quæque immaniter trucidavit. Attila.

Tanta tempestate territi Romani, & quibus regna in Romano solo, Franci, Gothi, Burgundiones, Alani, arma velut adversus communem pestem consociant, Duce supremo *Ætio*, pugnantibus ejus auspiciis Merovæo Francorum, Theodorico Gothorum, Gunderico Burgundorum, Sangibano Alanorum, Regibus. In *campis Catalaunicis* in Gallia anno 451 commissum prælium, quale orbis non viderat. Cæsa quippe feruntur ultra ducenta hominum millia. Pugna in campis Catalaunicis.

Victoria tanta segniter usus est *Ætius*, passusque est, Attilam in Italiam evadere, ut illam quoque popularetur, & novo bello accenderet, sive quod Ætius furentem nollet desperatione armare, sive auro corruptus, sive ut rebus perturbatis sui necessitatem Valentiniano Imperatori faceret, vel denique ad ipsum Regale solium sese eveheret. Ætii perfidia.

Attila, Gothis dilapsis, sui securior, postquam ex Gallia in Italiam, prope inermem, venit, Aquileja, Ticino, Mediolano eversis, recta Romam cum exercitu perrexit. Verum Leo Pontifex, indutus Pontificalibus, cum Clero obviam eidem progressus *flagellum Dei* salutavit, acsi quingenta millia repræsentaret, tantum terrorem Barbaro incussit, ut ex Italia migraret, fassus ultro, visum sibi senem districto minantem gladio. Victus inde rursus in Gallia a Thorismundo Visigothorum Rege, atque in Pannoniam (Hungariam inde appellatam) & Scythiam suam retrusus, sanguine in fauces illapso suffocatus est. Leo I obviam it Attilæ.

Cum Hunnus, eversa Aquileja, igne ferroque in Italiam sæviret, *Veneti*, relicto continente, anno 451 in proximas Adriatici Insulas secessere, atque urbem fluctibus firmissimam, Neptuni velut tergori imposuerunt, in præpotentem Rempublicam surrecturam. Alias urbes videre ne cupiat, qui vidit Venetias, octavum orbis miraculum, aut potius primum. Venetiarum origo.

Britanni, pulsis Romanis, *Anglos*, gentem Saxonicam, contra *Pictos* & Scotos hoc ferme tempore advocarunt; sed Angli iisdem armis, quibus istos, vicerunt, Britannos subegerunt, ex hospitibus facti Angli in Britanniam.

facti Domini Insulæ, in qua heptarchiam erexerunt, postea eversam ab Egberto, & in regnum collectam, cujus potentiam, vires, opes, ad magnitudinis apicem evectas cernimus.

Ætii & Valentiniani ruina.

Interea autem Occidentale Romanum Imperium magnis passibus ad interitum properabat, Valentiniano III torpente & inter voluptates sordescente. Uxorem *Maximi* Patritii cum is violasset, injuriam, sibi & conjugi illatam ulturus conjux, induxit Valentinianum, ut Ætium occideret, hoc est, ut brachium suum dextrum amputaret. Tum vero Maximus, cum milites irritatos sciret cæde Ætii Ducis sui, *Valentinianum* ab iisdem interfici curavit, anno 455, Imperii umbratilis 30, æt. 36, ex Eudoxia Theodosii II filia genuit Eudoxiam, Hunnerico, Vandalorum Regi Ariano collocatam. Extinctum est cum eo Theodosii Magni stemma.

Maximus Imp.]

Gensericus Romam diripit culpa Eudoxiæ.

Post Valentiniani cædem *Maximus* invasit purpuram, quasi Imperium esset parricidii præmium, & ut ludibrium adderet, duxit Eudoxiam, Valentiniani viduam. Sed mortem sibi copulavit, & Romæ perniciem; nam cum eidem prodidisset, se auctore cæsum Valentinianum, priorem ejus maritum, illa furore abrepta, insano consilio *Gensericum* Vandalorum Regem ex Africa in Italiam evocavit; qui cum classe appulsus, Romam expugnatam per 14 dies diripiendam militi hæretico concessit. Maximus in fuga lapidibus obrutus, tertio mense degustatæ tyrannidis. Eudoxia cum gemina filia, ut merces sceleri redderetur, captiva abducta in Africam, ubi seniorem ejus filiam Gensericus cum Hunnerico filio despondit; matrem vero cum juniore filia ad Martianum Imperatorem, quem timebat, Cpolim misit. Hunnericus autem, regnum Africæ & Andalusiæ post fata patris assecutus, notissima illa *persecutione Vandalica*, faces subdentibus Arianis Præsulibus, supra quadraginta Catholicorum millia in odium fidei mactavit.

Romanum autem Imperium ultimos ducebat spiritus. Nam *Ricimerus* genere Gothus Romanæ Magister militiæ, quatuor, qui se Imperatores dixerant, *Avitum*, *Majorianum*, *Severum*, *Anthemium* socerum suum, throno dejecit, & posteriores tres etiam interemit.

Ultimi Imp. halitus.

Successit *Olybrius*, qui Placidiam, alteram Valentiniani filiam, duxerat. Sed quarto mense funus erat. *Glycerius*, empta a Gothis pace, exacto triennio, cogente *Julio Nepote*, Imperium cum Episcopatu Solenensi commutavit. Sed *Nepos* anno altero in exilium ad Glycerium relegatus est ab *Oreste*, Patritio, qui *Momyllum* filium, *Augustulum* compellatum, intrusit. Sed iste anno sequenti (475) ab *Odoacro* Herculorum Rege dejectus, finem fecit Occidentali Imperio,

quod

quod fundatum ab Augusto desiit in Augustulo, postquam 500 annis steterat, nec nisi post 300 annos resuscitandum. Ejus obitus.

Merovæus interea, trajecto iterum Rheno (sæpius enim trajecerat, sed rursus repulsus) eam Galliæ partem occupat, quæ Francia dein est appellata, regnique sedem Parisiis fixit; quæ urbs longe lateque ad utramque Sequanæ ripam diffusa, mundi deinceps compendium facta est. Burgundi Galliam Lugdunensem occuparunt, Visigothi, devictis Suevis, præter Hispaniam, etiam Aquitaniam in Gallia, Romanis Ducibus ægre Galliæ medium tuentibus. Hos inter Ægidius, Childerico Clodovæi patre in exilium a Francis exacto, dominabatur, donec Childericus revocaretur. Franci.

Incipiunt Constitutiones Rom. Pontificum, in Bullario Romano contentæ, Excerptæ ex Bullarii Romani Tomo I, ab anno 440 ad 1061.

CAPUT VI.

Constitut. Sæc. V.

Dubium sane, quod alias etiam monui, nullum est, Pontifices Romanos primorum quoque sæculorum varias ad Episcopos & Ecclesiam dedisse epistolas; quales sunt duæ *S. Petri*, quas in sacro habemus Canone; Epistolæ *S. Cornelii*, a S. Cypriano allegatæ; *Julii I*, a S. Athanasio citatæ: *Liberii*, quas S. Hilarius refert. *Damasi* ad Episcopos Illyrici, a Theodoreto memorata, aut in operibus S. Hieronymi extantes, aliæque, quas antiquorum Patrum scriptorumque Ecclesiasticorum testimonia commendant. 46.

Dubium autem vertebatur, an Epistolæ Decretales, quæ sub finem Sæculi VII ab Isidoro Mercatore in unum opus collectæ prodierunt in Hispania, atque inde in Galliam aliasque provincias sunt progressæ, sint genuinæ, atque authenticæ, an vero supposititiæ? De Epist. Decretal. primorum Pontif.

Eas tanquam genuinas magno conatu defendit Franciscus Turrianus S. J. tanquam partus autem supposititios repudiant Critici posteriorum temporum, Card. Perronius, Petrus de Marca, Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, Sirmondus, Petavius, Labbæus, Christianus Lupus, Schelstratus, Natalis Alexander, Ant. Pagius,

Graveson, aliique Scriptores eruditissimi, qui epistolas, usque ad Siricium Papam, id est, usque ad finem ferme Sæculi IV, Clementi, Anacleto, Evaristo, Sixto, Eleutherio, Victori, Zephyrino, Callisto, Urbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto, Dionysio, Felici, Eutychiano, Cajo, Marcellino, Marcello, Eusebio, Melchiadi, Sylvestro, Marco, Felici II, Damaso, falso attributas esse, probant 1 ex eo, quod in omnibus idem sit stylus, qui Sæculi VII barbariem, non vero primorum sæculorum nitorem redolet. 2. Quod ante Sæculum VIII nullus scriptorum istarum epistolarum meminerit. 3. Quod Scripturæ textus secundum versionem S. Hieronymi, Pontificibus illis posteriorem, citentur, Canones item leges posteriores. 4. Quod multis anachronismis, falsisque consulum allegationibus scateant. Duas tamen S. Clementis Epistolas ad Corinthios ut genuinas agnoscunt plerique ex Criticis.

Hinc factum fortasse, ut Collectores Bullarii Romani primum a S. Leone M. seu a medio Sæculi V incipiant. Constitutiones igitur præcipuas posteriorum Pontificum obiter delibabimus.

Articulus I.

S. Leo M. anno 440.

47. *Prima Constitutione* designat dotes, quas ordinandus in sacerdotem vel Episcopum habere debeat; quas Gratianus in diversos Canones sui Decreti retulit.

2. Præter alia declarat temporis illius disciplinam de Clericis Conjugatis his verbis: *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis & Presbyteris; qui cum essent laici, sive lectores, licite & uxores ducere & filios procreare potuerunt, sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit; unde ut de carnali spirituale fiat conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Notent sibi hoc hodierni Protestantes: secundum antiquissimam Ecclesiæ disciplinam, teste S. Leone I, Ministris Altaris non licet amplius uxores ducere, nec, si jam habeant, cum illis carnaliter conjungi.

De conjugio Clericorum.

3. Servos non ordinandos, nec bigamos, nec usurarios. (anno 443)

4. Primatum S. Petri docet. Anastasium, Thessalonicensem Episcopum, Sedis Apost. Vicarium per Illyricum constituit, collata illi super

Appellatio ad Pont.

super omnes etiam Metropolitas potestate. Causas tamen graviores & appellationes sibi reservat.

5. Manichæos, qui converti nolunt, exilio damnat, secundum Rescripta Principum. Eorum errores publicari mandat, ut caveantur.

6. Thessalonicenses jam dudum ante constitutos fuisse ab Antecessoribus Pontificibus sedis Apost. Vicarios perpetuos. Coercet nimiam severitatem, in Atticum Metropolitanum Epiri exercitam. Etiam Subdiaconis servandam continentiam docet: *nec Subdiaconibus quidem, inquit, connubium carnale conceditur, ut & , qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, maneant singulares.* Episcopum Cleri & populi consensu esse eligendum. Præferendum, qui majoribus studiis juvatur. Metropolitanum a Comprovincialibus Episcopis, discussa civium voluntate, in ipsa Metropoli eligendum, referendumque de electione ad Vicarium Apost. Duæ quot annis celebrandæ Episcopales Synodi. Episcopus ne transeat ad aliam Ecclesiam. Alienum Clericum invito Episcopo nullus suscipiat. Contentiones inter Episcopos, si ab ipsis componi non possint, ad Sedem Apost. referantur. Vicarius cum Episcopis humaniter & mansuete agat. Subd. continentia.

7. Ex libello, ab Hispania sibi transmisso, recenset fœdas hæreses Priscillianistarum, e Manichæorum potissimum sentina profluentes, easque confutat. Hominem sub fati necessitate constitutum ab astris dependere, somniabant: Sabellii, Cerdonis, Marcionis, Pauli Samosateni, Photini &c. de SS. Trinitate & Christo hæreses renovarunt. Die Resurrectionis, & Natali Domini jejunabant. Animam Divinæ esse substantiæ delirabant: diabolum non fuisse creatum bonum, sed malum ex Chao emersisse: humana corpora in mulierum utero a diabolo formari; matrimonia esse peccata: animas in cœlesti habitatione peccasse, & secundum qualitatem peccati vel bonas vel malas in corpora descendisse; aliaque fingebant auditu absurda. S. Leo ad sordes istas abstergendas indixit Nationale in Hispania Concilium. (*anno* 447) Deliria Priscill.

8. Baptismum die Paschatis aut Pentecostes conferri præcipit, nisi mortis periculum aliud exigat.

9. Res Ecclesiæ alienari prohibet.

10. Clericus in hæresin lapsus, si ad Ecclesiam redierit, ad pristinum quidem gradum admittatur, sed sine spe ulterioris promotionis.

11. Exponit doctrinam fidei de Christi Incarnatione, contra Nestorium, Eutychetem, Apollinarem, Marcionem, Manichæum &c.

12. Mittit legatos ad Ephesinam II Synodum, eamque hortatur, ut eliminet Eutychianam hæresin. Sed hoc concilium, legitime licet convocatum, desiit in *synodum prædatoriam.*

13. Reprobat hanc ſynodum, & per impudentiam unius hominis (Dioſcori) violente geſta. (*an.* 449)

16. Mittit legatos ad Concilium Chalcedonenſe & Neſtorium cum Eutychete confutat.

17. Approbat & confirmat Synodum Oecumenicam Chalcedonenſem, quantum ad fidem pertinet, & damnationem Neſtorii, Eutychetis, & Dioſcori: non vero quoad ea, quæ de Juribus Eccleſiarum, contra Nicæni ſtatuta, a quibuſdam adjecta ſunt. (*anno* 452)

18. Mulieres ad maritos, e captivitate liberatos, redeant; licet interim cum alio ſe conjunxerint.

Confeſſio auricularis. 19. Confeſſionem auricularem & ſecretam indicat his verbis: *cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta:* & paulo poſt: *ſufficit illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam ſacerdoti.* En diſciplinam Sæculi V.

Obiit S. Leo 3 Nov. 461, ſedis 21, qui rebus pro Eccleſia præclare geſtis *Magni* cognomen jure optimo eſt promeritus. Multas ſcripſit Epiſtolas & Homilias, ſapientia, eruditione, ſanctitate plenas, ſtylo latini ſermonis facundo & nervoſo prorſus elegantes: inter eas una eſt epiſtola ad Flavianum, Cpolitanum Epiſcopum, in Concilio Chalcedonenſi lecta, & ſummopere laudata, quæ ceu fidei norma deinceps etiam fuit habita. Hæreticos eſt nullo loco paſſus conſiſtere. Cum Hilario Arelatenſi ob Celidonium Epiſcopum colliſus, jura Metropolitana ab Eccleſia Arelatenſi ad Viennenſem tranſtulit. Mortuo autem Hilario, Arelatenſi Eccleſias ſuffraganeas reſtituit, exceptis quatuor, Valentina nimirum, Tarentaſienſi, Genevenſi, & Gratianopolitana, quas Viennenſi reliquit. Quid cum Attila geſtum, alias notum eſt. De Leonis patria dubitatur, an Hetruſcus fuerit, an Romanus. Vacavit ſedes dies 7.

Articulus II.

S. Hilarius, anno 461.

48. Natione is Sardus fuit, electus 12 Nov. 461. 1. *Conſt.* controverſias Epiſcoporum dirimit, & Eccleſiarum prærogativas non eſſe mutandas decernit.

2. Arguit Hermem tanquam invaſorem Narbonenſis Eccleſiæ. Concilia in Gallia celebrari præcipit. Sine licentia Metropolitæ Epicopus ſua Diœceſi ne exeat. Bona Eccleſiarum non alienanda.

Sequen-

Sequentibus Constitutionibus redarguit Mamertum Viennensem Episcopum, quod extra provinciam suam ordinationes protendat. Dispensat cum Episcopo, contra Nicænos Canones electo.

Obiit 21 Febr. 468, sedis 7, custos vigilantissimus Canonum. Vacavit sedes dies 4.

Articulus III.

S. Simplicius, anno 468.

1. *Const.* Episcopum Hispalensem constituit Vicarium Apost. per omnes Hispaniæ Ecclesias.

2. Gaudentium Episcopum propter factas illicitas ordinationes Officio & Beneficio privat, relicta quarta tantummodo reddituum parte.

3. Invitos non esse ordinandos.

4. Petrus Fullo, in Antiochenum Episcopatum intrusus, damnatas hæreses resuscitaverat, Trinitatem crucifixam asserens; & Divinitatem passam &c. Papa eum anathemate ferit.

Obiit 2 Martii 483, sedis 16 inchoato. Calamitosa tunc erat, sicut Imperii, sic Ecclesiæ facies. Illud in Occidente desiit in Augustulo. Odoacer etenim Herulorum Rex Arianus, Roma occupata, Regnum Italiæ instituit. Zeno Orientis Imperator, Eutychianorum fautor, suo *Henotico* seu conciliatorio non parum turbavit Ecclesiam, cuniculis velut actis ad subvertendum Chalcedonense Concilium, intrusisque in sedem Alexandrinam Timotheo Æluro, & Petro Moggo, in Antiochenam Petro Fullone, in Cpolitanam Acacio, quibus Simplicius Papa, quantum potuit, restitit. Zeno fautor Eutych.

Articulus IV.

S. Felix III, 483.

Romanus is fuit patria, ex Felice Presbytero natus. 1. *Constit.* *Acacium* Cpolitanum Episcopum sacerdotali honore privat, & anathemate fulminat, quod in alienarum provinciarum jura involarit: hæreticos pervasores, eorumque fautores Ecclesiis præfecerit, Misenum, & Vitalem Apost. sedis legatos corruperit, carceri mancipatos &c. Acacius depositus.

Rebaptizatis gravissimas pœnitentias injungit, & quidem Episcopis & Clericis usque ad finem vitæ communionem negandam decernit.

Obiit 23 Febr. 492, sedis 9, sepultus, prout plerique priores Pontifices in Basilica S. Petri. Duas Romæ habuit synodos, in quibus Henoticon Zenonis, Petrum Moggum, Petrum Gnapheum seu Fullonem, & Acacium damnavit. *Vitalem* & *Misenum* Episcopos prævaricatores ab Officio & Beneficio deposuit. Vacavit sedes dies 5.

Articulus V.

S. Gelasius I, 492.

49. Contra Pelag. Natione Afer, *Const.* 1 tria refert Pelagianæ hæresis capita. 1. Parvulos sine peccato originali nasci. 2. Neminem propter solum peccatum originale damnari. 3. Gratiam ad salutem non esse necessariam, illamque secundum merita hominum conferri. Refutat Gelasius tres istos errores: primum quidem ex claris Verbi Divini oraculis. Ad 2 videtur asserere, parvulos sine baptismo mortuos non tantum cælo excludi, sed damnari aut morte æterna plecti; cum omnes staturi sint vel ad dextram vel sinistram, tertium autem locum post extremum Judicium nesciri. Tertium rursus ex S. Scriptura refellit; quia sine Dei adjutorio nihil possumus facere: *non ego, sed gratia Dei mecum*, cum Deus sit, qui operatur in nobis & velle & perficere. Quod autem gratia secundum merita conferatur, pariter esse contra Apostolum, qui inquit, gratiam dici, quod gratis detur: alioquin si ex operibus gratia, jam non est gratia. Gratia Dei sum id, quod sum, ut ostenderet, quod gratiam non ipse præcesserit, sed subsecutus sit. Misericordiam, inquit porro, consecutus sum, ut fidelis essem. Gratia salvi facti estis per fidem, ut principium salutis & fidei a gratia cœpisse ostenderet. Atque ex his evidenter apparere, subjungit Pontifex, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed per gratiam a peccato misericorditer absolvi. Miratur denique, doctos etiam cæteroquin homines a sene quodam Pelagiano, rudi prorsus & illiterato potuisse seduci. Refundit hoc in malam vitam & oscitantiam pastorum. (*anno* 493)

De gratia.

De ordinandis. 2. Ecclesiæ disciplinam ac Canones exponit circa ordinandos, rejicitque infames, bigamos, obligatos ad ratiocinia, neophytos, illiteratos, servos, corpore vitiatos, abscissos &c. jubetque observari tempora ordinationum, interstitia, examina &c. dispensandum caute. Basilicas non dedicandas sine consensu Papæ: Clericis intra munera & ministeria sui gradus consistendum, nullas exercendas indecoras negotiationes. Fæminis ad altare non ministrandum.

Deni-

Denique addit, de redditibus Ecclesiarum & oblationibus Fidelium quatuor, sicut jam dudum fuerit decretum, faciendas esse portiones, quarum una sit Pontificis seu Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricæ. (*anno* 494)

3. Conqueritur de Acacio & obstinatione Græcorum in erroribus: secundum Canones, ait, *Appellationes* totius Ecclesiæ ad primam sedem deferri posse, ab ipsius vero sententia nullam esse appellationem, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium; nec de illius unquam judicari judicio. Episcopum Cpolitanum inter sedes per Canones nullum nomen accepisse. Acacium primo executum sententiam primæ sedis, postea autem fuisse prævaricatum, cum hæreticis communicasse, eosque in Alexandrinam & Antiochenam sedem intrusisse, vel Zenoni intrudenti consensisse. De Appell.

4. Diœcesin & bona Ecclesiæ, ab Episcopo 30 annis quiete possessa, ei non esse auferenda.

5. Habetur hic celeberrima, qua Polemici toties utuntur, Epistola Gelasii *ad Episcopos Dardaniæ*. Scripta est stylo acri occasione Acacii, Cpolitani Episcopi, Eutychianorum fautoris, & cum a Felice III fuisset damnatus, adversus primam sedem se elevantis, obtentu & fiducia urbis Imperatoriæ. Atque imprimis ait Gelasius, damnato hæresis auctore, uti Sabellio, Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, omnes ejus sectatores damnari, quin necesse sit, speciali eos Concilio damnari. Synodorum Decreta exequi non ad aliam magis sedem pertinere, ac primam, quæ sua auctoritate unamquamque synodum confirmat, pro suo scilicet principatu, a Christo concesso. Epist. ad Dardaniæ Episcopos.

Acacium, Ecclesiæ ante defensorem, & Decretorum primæ sedis executorem, postquam a se ipso descivisset, per triennium, missa etiam legatione, fuisse amice monitum, ne Petro Moggo adversus Joannem, legitimum secundæ sedis Episcopum, ad primam sedem querelas deferentem, apud Zenonem Imp. faveret. Sed Acacium spretis monitis nihil respondisse, cum tamen nullus Episcopus judicium primæ sedis vitare possit. A sede Apost. omnes posse judicari, ipsam vero a solo Deo: nec ullam ab ea appellationem locum habere. Christi instituto & more Majorum ipsam habere potestatem absolvendi, quos synodus inique damnaverat, vel, etiam nulla existente synodo damnandi, quos damnandos judicaret. Contra Acacium.

S. Athanasium, S. Joannem Chrysostomum, S. Flavianum, a Synodis Orientalibus damnatos, a sede Apost. fuisse absolutos: contra vero Dioscorum, secundæ sedis Episcopum, cum sua synodo secunda

De potestate primæ sedis. cunda Ephesina ab eadem damnatum, adstipulante dein Chalcedonensi Synodo, a solo summo Pontifice decreta.

Qui negant, Eutychen fuisse hæreticum, Eutychianos esse, & damnatos cum ipso Eutyche. Talem fuisse Acacium, qui Catholicos ex secunda & tertia sede, multisque aliis Ecclesiis, vel consilio vel auxilio suo ejecerit, substituto Alexandriæ Petro Moggo, Antiochiæ Petro Fullone, aliisque in Ecclesiis aliis Eutychianis. Additque, libros non suffecturos, si tragœdias ejus, quas per Ecclesias totius Orientis exercuit, singillatim scribere vellet. Neque conjici ista posse in Zenonem Imp. cum enim obstiterit Basilisco Tyranno hæretico, potuisse facile, quo vellet, ducere Zenonem, qui videri voluit Catholicus, & professus est suis litteris, quæcunque egisset, acta esse consilio Acacii.

Ridicule opponi, Acacium esse Episcopum urbis Regiæ; nam & Ravennam, Mediolanum, Syrmium, Treviros fuisse tales, nec tamen propterea civitatum illarum Antistites ultra limites suos potestatem sibi arrogasse; neque enim per præsentiam Imperialem Ecclesiasticæ potestatis dispensationem mutari. Cpolitanam Ecclesiam ne quidem esse Metropolitanam, minus Patriarchalem. Quæ in Chalcedonensi Synodo fuissent attentata, reprobasse Leonem Papam.

Si dicat Acacius, a Zenone facta, quæ ipsi exprobarentur; cur non pro ea, qua apud ipsum valebat, gratia monuisset, ne Catholicis ejectis Episcopis, hæretici intruderentur: a Nathan Propheta in faciem objectum crimen Davidi Regi: ab Ambrosio Ecclesiæ aditu prohibitum Theodosium Imp. Theodosium juniorem a Leone Papa reprehensum ob latrocinium Ephesinum: prout etiam a Simplicio & Felice Pontificibus Basiliscum & Zenonem: Eugenium Carthaginensem Episcopum aperte restitisse in Africa Hunnerico Regi Vandalo, cum persequeretur Ecclesiam: se quoque Odoacro, barbaro hæretico, cum aliqua non facienda præciperet, nequaquam paruisse: Acacium vero Zenonem laudasse ista facientem &c. (*anno* 495)

Articulus VI.

Observatio de Patriarchis Alexand. & Antiochen.

50. Alex Episcopus. Ut hæc facilius intelligantur, notanda sunt aliqua de Ecclesia Alexandrina & Antiochena. *Theophilo* Alexandrino Episcopo, qui cum S. Hieronymo, & S. Epiphanio, S. Joannem Chrysostomum est insestatus, quod hic susceperit Monachos Ægyptios, qui nolebant sub- scribere

scribere damnationi Origenis, a Theophilo propterea communione motos, huic, inquam, successit anno 412 *Cyrillus* Theophili nepos, Nestorii per 12 suos anathematismos acerrimus adversarius, qui nomine Cœlestini I Papæ præfuit Concilio I Ephesino, in quo Nestorius est damnatus.

Post Cyrillum anno 444 electus est *Dioscorus*, Eutychianus, qui in Ephesino II Conciliabulo seu potius Latrocinio, atroces tragœdias contra S. Flavianum & Legatos Apostolicos, imo ipsum Pontificem S. Leonem, excitavit, quas alias retulimus, proscriptus propterea a Synodo Chalcedonensi, & a Marciano Imp. in exilium ejectus. Successit ei anno 451 quamvis inter populi tumultus *Proterius*, quo sexennio post ab Eutychianis crudeliter interfecto, intrusus ab iisdem est *Timotheus Ælurus*, Eutychianus, Proterii carnifex: qui anno 460 a Leone I Imp. dejectus sedem Patriarchalem relinquere debuit *Timotheo Albo*, apprime Catholico. Sed anno 476 Basiliscus hæreticus, pulso in Isauriam Zenone, Imperium invadens, Timotheum Ælurum rursus intrusit. Anno vero sequenti restitutus Zeno, Timotheum Album pariter restituit. Eutychiani autem, mortuo Æluro, *Petrum Moggum* intruserunt. At eo, consilio Acacii, mandatum Papæ exequentis, a Zenone dejecto, solus Timotheus præfuit ad annum usque 482, quo obiit.

Successit *Joannes Talaja*, Catholicus, qui statim litteras ex more misit ad Simplicium Papam, & Calendionem Patriarcham Antiochenum, ad Acacium vero Cpolitanum Episcopum, apud Zenonem Imp. valentem gratia, scribere neglexit. Hæc irarum causa, quas mox in Joannem Acacius exeruit; nam Zenoni persuasit, ut deposito Joanne, cui plura crimina affinxit, Petrum Moggum, versipellem hæreticum, reduceret in sedem Alexandrinam. Joannes dejectus Romam ad Papam profectus, de injuria sibi illata conquestus est. Pontifex, cum monita nihil proficerent, Acacium communione privavit, nomenque ejus e Diptychis sacris eradi jussit: vices reddidit Acacius, expuncto Papæ nomine, legatis ejus in carcerem trusis, suggesto Zenoni Henotico, communione cum Eutychianis inita, sicque schisma conflavit, quod diu Ecclesiam Orientalem miscuit; qua occasione Gelasius Papa litteras supra indicatas ad Dardaniæ Episcopos, in Acacianum schisma abreptos, misit, in quibus etiam de Petro Gnaphæo, Eutychiano, a Zenone & Acacio, in sedem Antiochenam intruso, aliisque ejusdem Ecclesiæ perturbationibus meminit. Et Antiocheni.

Excitavit istas potissimum, quem dixi, Petrus Gnaphæus, *Fullo* cognominatus, quia, cum esset Monachus, Fullonis artem exercue-

rat, tantosque tumultus & factiones Antiochiæ excitavit, ut Martyrius Episcopatu cedens diceret, Clero inobedienti, populo contumaci, & civitati hæresum scelerumque sordibus infectæ, se nuntium remittere. Confusio. Insiliit mox in patriarchalem sedem Fullo, hæreticus. Sed a synodo Episcoporum, cura Leonis Imperatoris collecta, depositus, & damnatus, quia renovans Theopaschitarum hæresin S. Trisagio addidit hæc verba, *qui passus es pro nobis*.

Suffectus autem Fulloni deposito est anno 471 *Julianus*. Sex autem post annos Fullo a Basilisco Tyranno rursus intrusus est. Cæso mox Basilisco, Zeno illum Antiochia expulit in exilium, & quidem suasu Acacii, tunc adhuc integri. Successit Joannes, post tres menses pariter ejectus. Anno 481 Acacius volente Zenone ordinavit *Calendionem*. At hic anno 485 Acacii artibus, Imperatoris animum versantis, ejectus est, intrususque rursus Fullo, quem Acacius ante deposuerat: id quod Gelasius Papa eidem exprobrat. Tenuitque invasor hæreticus sedem Antiochenam usque ad annum 488, quo interiit. Successere deinceps jam Catholici, jam hæretici, tristi rerum omnium confusione.

Videre sane quinto etiam sæculo licuit specialem Dei erga Ecclesiam suam Romanam providentiam; nam cum omnes sedes Patriarchales reliquæ a Religionis puritate deficerent, & Alexandrina haberet tum alios Antistites hæreticos, tum præsertim Petrum Moggum & Dioscorum, Antiochena Petrum Fullonem, Jerosolymitana Joannem, Pelagii fautorem, Cpolitana Nestorium & Acacium, sola Romana in Pontificibus suis, strenuis fidei defensoribus, permansit illibata.

Articulus VII.

Decretum Gelasii Papæ de libris authenticis & apocryphis.

[illegible] Sextam & ultimam Constitutionem Gelasius de recta librorum crisi in Concilio Romano 72 Episcoporum edidit anno 496, eosque in 4 Classes divisit.

In 1 collocat Propheticas, Evangelicas, & Apostolicas Scripturas, quibus fundata est Catholica Ecclesia: additque, tres sedes a S. Petro Apostolorum Principe erectas: primam Romanam, martyrio ejus consecratam, non habentem maculam neque rugam, non synodicis institutis, sed voce Domini, ad Petrum directa, fundatam, atque super omnes alias Primatu eminentem: alteram Alexandrinam, quam S. Petrus

Petrus per S. Marcum erexit: tertiam Antiochenam, quam S. Petrus primo præsentia sua consecravit.

In 2 Classe ponit Conciliorum Generalium Canones & Decreta, videlicet Nicæni, quo Arius, Ephesini, quo Nestorius, Chalcedonensis, quo Nestorius & Eutyches sunt damnati.

In 3 exhibet opuscula variorum auctorum recipienda, puta, S. Cypriani, Gregorii Naz. Basilii, Athanasii, Chrysostomi, Theophili Alexandrini, Hilarii Pictaviensis, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Leonis Papæ Epistolam ad Flavianum, quam tanquam Divinum Oraculum receperunt Patres Chalcedonenses: Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in fide & communione Romanæ Ecclesiæ usque ad obitum perstiterunt: Epistolas item Decretales Romanorum Pontificum: Acta SS. Martyrum, vitas sanctorum Patrum, & Eremitarum, Pauli, Antonii, Hilarionis, quas descripsit S. Hieronymus: Actus S. Sylvestri Papæ: Libros Origenis & Rufini, quos S. Hieronymus non repudiat. Chronicon Eusebii Cæsariensis propter eruditionem non usque quaque respuendum, licet sit nimius in laudando Origene schismatico. Orosii Historiam, adversus Paganorum calumnias utilem, commendat: prout etiam Pascale opus Sedulii, versibus conscriptum, & Juvenci laboriosum opus.

In 4 Classem rejicit libros apocryphos aliosque improbandos, acta nimirum Synodi Ariminensis, quam damnat: Itinerarium S. Petri Apostoli, quod S. Clementi tribuitur: Actus Andreæ, Thomæ, Petri, Philippi Apostolorum: Evangelium Mathiæ, Petri, Jacobi minoris, Barnabæ, Thomæ, Bartholomæi, Evangelium corruptum a Luciano & Eusicio: Librum de infantia Salvatoris, de Nativitate, de Maria obstetrice: Librum Pastoris: omnes, quos fecit Leucius: Librum, qui appellatur fundamentum: Librum de filiabus Adæ: Acta Theclæ & Pauli: Librum Nepotis: Librum Proverbiorum ab hæreticis conscriptum: Revelationes Pauli, Thomæ, Stephani: Librum, qui dicitur Transitus seu assumptio B. Mariæ: Librum de pœnitentia Adæ: Librum de dracone post diluvium pugnante: Testamentum Job: Pœnitentiam Origenis, Cypriani, Jamnæ & Mambræ: Librum de sorte Apostolorum: Historiam Eusebii Pamphili.

Opuscula Tertulliani, Lactantii, Africani, Postumiani & Galli, Montani, Priscillæ, & Maximillæ: Omnia Fausti Manichæi, Commodiani, Tarsi Cypriani, Arnobii, Tigoni, Cassiani, Victorini, Fausti Regiensis, Frumentini Cæci: Epistolam Jesu ad Abgarum Regem, & Abgari ad Jesum: Passionem Cyriaci, Jobitæ, Georgii: Scripturam, quæ appellatur contradictio Salomonis.

Denique omnia, quæ scripserunt Hæresiarchæ, Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Ebion, Marcion, Basilides, Paulus Samosatenus, Arius, Photinus, Bonosus, Montanus, Apollinaris, Valentinus sive Manichæus, Faustus Africanus, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabatius, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Cœlestius, Julianus, Maximinus, Priscillianus, Nestorius, Maximus, Eutyches, Dioscorus, Lampecius, Petrus Fullo, Petrus Moggus, Acacius, omnesque hæretici, aut schismatici, sub anathemate damnantur.

Obiit Gelasius 19 Nov. 496, sedis 5, Pontifex doctissimus, qui rerum gestarum magnitudine superavit annos Regiminis. Euphemium Cpolitanum aliosque Orientis Episcopos in communionem noluit recipere, antequam Acacii nomen sacris e Diptychis delerent, quamvis cæteroquin essent Catholici. Misenum Episcopum Legatum Sedis Apost. qui Cpoli cum Acacio communicaverat, a Felice III depositum, in gratiam recepit. Lupercalium levitates graviter prohibuit. Pelagianismum, in locis quibusdam renascentem, profligavit. Non pauca Decreta pro reformanda Ecclesiæ disciplina condidit, quæ in actis conciliorum habentur, sicut variæ illius Epistolæ, quæ in Bullario Romano desiderantur.

Articulus VIII.

S. Anastasius II, anno 496.

Epistolam humanissimam ad Anastasium Imperatorem, Zenonis successorem dedit, qua illum ad pacem Ecclesiæ conciliandam est hortatus: confici eam posse, si Acacii nomen e Diptychis expungatur, & hæretici Ægypto expellantur. Rata autem habet Sacramenta, quæ ab Acacio aliisque schismaticis fuerant collata, cum indignitas Ministri soli conferenti noceat, non autem suscipienti.

Obiit 17 Nov. 498, sedis 2. Præcipuum, quod sub ejus Pontificatu contigit, est Baptismus, a Clodovæo Francorum Rege susceptus, magno Ecclesiæ bono, ut dum Oriens aresceret, Occidens reviresceret.

CAPUT

CAPUT VII.

SÆCULUM VI.

Articulus I.

S. Symmachus, 498.

Post tres dies electus est, natione Sardus, sed non sine gravissimo tumultu, & schismate; nam Festus Senator Anastasio Imp. promiserat, effecturum se, ut Pontifex Henotico Zenonis subscriberet; largitiore igitur pecuniæ quibusdam insanis persuasit, ut eadem die *Cælium Laurentium* eligerent, non sine cæde & sanguine. Itum Ravennam ad Theodoricum Gothorum & Italiæ Regem, quamvis Arianum, qui pro Symmacho pronuntiavit, tanquam prius & a majori ac saniore parte electo. Laurentius vero, ne novas cieret turbas, Episcopatu Nuceriensi donatus est. Sopitum quidem schisma hoc pacto, sed non extinctum. Quippe Festus aliique anno 503 revocato clam Laurentio, Symmacho apud Theodoricum gravissima crimina impegerunt, falsis subornatis testibus. Recrudescente igitur schismate, Theodoricus jussit Romæ convocari synodum, quæ *Palmaris* dicta est a loco, in quo est celebrata; ad quam cum Symmachus Pontifex causam dicturus sponte & ultro accederet, cum Clericis suis ab adversa factione crudeliter exceptus est. Declaratus est insons criminum objectorum a synodo, quæ aperte protestata est, nullum sibi jus esse judicandi summum Pontificem; sed quia ultro venisset, seque purgasset, declarationem innocentiæ a se factam, damnatumque Laurentium Anti-Papam. Ennodius Episcopus pro hoc Concilio Palmari apologiam scripsit. Theodoricus in toto hoc negotio modeste adeo se gessit, ut a Principe Catholico exspectari plus non potuisset; contestatus aperte est, nihil ad se pertinere de negotiis Ecclesiasticis præter reverentiam, synodali judicio debitam, nihilque aliud cupere, quam ut pax Romæ restituatur.

51. Laurent. Antip. Crimina in Symmachum.

Constitutiones ejus duæ tantummodo continentur in Bullario. Prima vetat alienationem rerum Ecclesiasticarum, Clericorum ambitum, promissiones aut largitiones, pro Ecclesiasticis dignitatibus obtinendis, oppressiones viduarum. Secunda confirmat divisionem, inter Viennensem & Arelatensem provinciam a S. Leone factam.

Obiit 19 Julii 514, sedis 16, ordinavit Episcopos per diversa loca 117, vacavit sedes dies 7. Manichæos Italia expulit. Captivos redemit, Episcopis Africanis in Sardinia exulibus providit. Anastasium Imperatorem Concilii Chalcedonensis hostem excommunicavit.

Articulus II.

S. Hormisdas, 514.

Vicarii Sedis Apost. Campanus Natione 1 *Constit.* Remigium Rhemensem Episcopum Vicarium Sedis Apost. per Franciam constituit, salvis tamen Metropolitarum privilegiis: Joannem vero Episcopum Tarraconensem per Hispaniam. *Const.* 3. Salustium per Lusitaniam. 4. Archimandritas Syriæ ad fidei constantiam hortatur. 5. Explicat SS. Trinitatis & Incarnationis mysterium. 6. Obtinet, ut Acacii nomen e sacris Diptychis expungatur.

Articulus III.

Observatio de Imperatoribus &c.

53. Ut hæc ultima aliæque Pontificum Constitutiones, quæ omnium propemodum gentium Historiam supponunt, melius intelligantur, breviter in memoriam revocanda sunt aliqua de Imperatoribus Sæculi V.

Postquam Gratianus & Theodosius M. Romanum Imperium hæresibus ferme expurgaverant, Rufinus Arcadii, & Stilico Arianus Honorii tutor, dissidiis inter se collisi, Gothos aliasque barbaras gentes, in Arianam potissimum hæresin prolapsas, non minori perfidia, quam Religionis detrimento in Imperium Romanum adduxere: prout *Part. III* retuli. Rufinum Stilico per Gainam trucidavit: Gainam, hæresin Cpolim reducentem Fravita, quamvis Gothus, sustulit. Idem fatum Eutropius subiit. Stilico, cum Eucherio filio suo coronam jam flecteret, proditione detecta, Honorii jussu cum Eucherio & ejus matre *Serena*, perfidiæ complice, est interemptus ab *Heracliano*.

Arcadio successit filius Theodosius II, sub tutela Isdegerdis Persarum Regis; pulcherrimis virtutum documentis institutus a sorore S. Pulcheria, saluberrimas contra hæreticos leges tulit, celebrata etiam ejus cura Ephesina Synodo, sed *Chrysaphii* aliorumque Ministrorum artibus, dimissa ex aula Pulcheria, circumventus, *Prædatoriæ* Ephesinæ II Synodo auctoritatem suam impertiit; ejusque errorem Martianus successor per Synodum Chalcedonensem emendavit.

Mox

Mox Leo Thrax post mortem Marciani Imperio admotus, optimi Principis ideam expressit; nam & Gensericum Vandalorum in Africa Regem profligatum ad pacem petendam adegit, & Synodum Chalcedonensem atque orthodoxos Episcopos contra Eutychianorum furores potenter defendit. Id autem egit improvide, quod filiam suam *Ariadnam* Zenoni, facie & moribus turpi, conjugem dederit. Natus est ex his nuptiis Leo, quem avus Leo I Imperator Cæsarem dixit. Sed hic Leo II non ultra 10 menses avo superstes fuit mortuusque anno 477, patri *Zenoni* reliquit Imperium, quod male gessit: deturbatus propterea a *Basilisco* Patritio, affine suo; sed cum is sceleribus Zenonem vinceret, victus ab eo est armis. Restitutus throno, quamvis omnia promisisset, non est factus se ipso melior, imo pejor, nam Acacii Episcopi Cpolitani, Eutychianorum fautoris consiliis, Alexandrinam & Antiochenam sedem Præsulibus Eutychianis infecit, Petro Moggo, & Gnaphæo intrusis, Jerosolymitanam quoque conatus inficere. Zeno Leonis I gener.

Plus adhuc Ecclesiæ nocuit suo *Henotico*, seu Decreto unitivo, quod ab Acacio consarcinatum promulgavit. Acsi Christus combinari posset cum Belial; nam in hoc altum silet de Dioscoro, ne Ægyptios offenderet, altum de Leonis Papæ epistola ad Flavianum, altum de ipsa Synodo Chalcedonensi; contra vero recipitur Symbolum Nicænum, approbantur 12 Capitula, seu anathematismi Cyrilli contra Nestorium, ut semper eludi possit Chalcedonense. Igitur non extinxit sed auxit incendium hoc Henoticon. Rejectum quippe fuit a Catholicis, tum quia non pertinet ad Principem sæcularem de fide decernere, tum quia subversum ibatur Concilium Chalcedonense. Dicitur Zeno crapula ebrius sarcophago ab Ariadna inclusus fame periisse. (*anno* 491) Henoticon.

Ariadna vidua nupsit *Anastasio* Macedoni, militari Duci, eumque ad solium promovit, Zenoni aut similem aut deteriorem: Eutychianus enim cum esset, Henotico stari voluit; unde *Euphemium* aliosque orthodoxos Episcopos sedibus suis ejecit, & *Severum*, Monachum Ægyptium ejectum, Acephalorum auctorem, cum omni honore excepit, atque in sedem Antiochenam intrusit. Populus Cpolitanus ob Concilii Chalcedonensis defensionem oppressus ab Anastasio in seditionem prorupit, duce *Vitaliano* Scytha, qui occupatis pluribus provinciis Cpolim obsedit. His in angustiis Anastasius promisit, se Synodum Chalcedonensem & epistolam Leonis recepturum, defensurumque, Episcopos exules revocaturum, simulque ad Hormisdam Papam obsequentes dedit litteras, de redintegranda unione; & Acacii nomine Ariadna nubit Anastasio. Anast. persequitur Ecclesiam.

ne ex Diptychis expungendo; verum periculo depulso, nihil omnino eorum, quæ pollicitus fuerat, servavit: tyrannidem in Catholicos exacuit, Legatos Hormisdæ delusit, nec ullo modo adduci potuit, ut Acacius, qui jam anno 488 perierat, e Diptychis eliminaretur. Quapropter sub Hormisda Papa graviter afflixit Ecclesiam, quam jam sub Symmacho diro schismate diviserat.

Justinus alter Josias. Tandem anno 518 post nimis longum male gestum per 27 annos Imperium de cælo tactus, successorem habuit *Justinum*, velut Davidem, custodem olim pecorum, virtute sua & meritis ad summum evectum fastigium; ejectos Catholicos Episcopos ab exilio mox revocavit, & Synodum Chalcedonensem in sacra Diptycha referri jussit, Acacii vero, quod longo jam tempore Sedes Apost. urgebat, nomen ex iis eradi, uti etiam aliorum Episcoporum hæreticorum, cum nomine Zenonis & Anastasii: Severum vero sede Antiochena dejectum in exilium compulit. Quæ omnia præsentibus Legatis Hormisdæ Pontificis acta sunt: atque sic sublatum est schisma inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam, quod ultra 30 annos duraverat, ab eo videlicet tempore, quo Felix III Acacium prævaricatorem anathemate percusserat.

Obiit Hormisdas anno 523, sedis 10. Ejus tempore agitata est hæc propositio: *unus e Trinitate crucifixus est*, quam definire noluit, coarguit tamen Monachos Scythas, quod tales sententias intempestivas, ad pacem turbandam aptas, proponant. Post varias vitilitigationes inventum est, quoad rem omnes idem sentire, & de sola voce contendi; nam Monachi fatebantur, se per unum de Trinitate intelligere personam Filii, in carne passam.

Articulus IV.

S. Joannes I, 523.

54. Joan. in carcere ob legationem. Missus is fuit a Theodorico Rege Cpolim ad Justinum Imperatorem, ut hic a vexandis Arianis cessaret, iisque restitueret Ecclesias ablatas. Verum Joannes Papa, obediendum magis esse Deo ratus quam homini, Cpoli acta Imperatoris approbavit, atque Ecclesias, Arianis, Manichæis, aliisque hæreticis ereptas, ritu Catholico consecravit. Quare Theodoricus reducem, tanquam legationis prævaricatorem, carceri mancipavit, in quo Martyr obiit anno 526, sedis 3, eumque paulo post Theodoricus ad æternitatem secutus est. Putant aliqui Joannem, ut persecutionem Catholicorum in Italia averteret, persuasisse Justino Imp. ut Arianis Ecclesias redderet. Sed hoc non

eſt veroſimile: cur enim, ſi hoc feciſſet, Theodoricus eum mox ex Oriente redeuntem detruſiſſet in carcerem, ejuſque ſqualore enecaſſet?

Articulus V.

S. Felix IV, 526.

Hunc Theodoricus propoſuit, Clero diu reluctante; ſed tandem ſchiſmatis vitandi gratia eundem acceptavit, Pontificatu ob ſingularem vitæ ſanctimoniam digniſſimum. Sub eo Athalaricus in regno Italiæ ſucceſſit Theodorico, pariter Arianus, *Juſtino* vero Imperatori *Juſtinianus* illius ex ſorore nepos; cum quo novum velut Imperii ſæculum cœpit: de omnibus quippe mundi partibus triumphavit, devictis per Beliſarium & Narſetem in Italia Gothis, in Africa Vandalis, in Aſia Perſis. Juſtinian.

Obiit Felix IV, anno 530, ſedis 5. Scripſiſſe fertur quaſdam epiſtolas, quas tamen plures Critici ſuppoſitas exiſtimant.

Articulus VI.

S. Bonifacius II, 530.

Poſt mortem Felicis electi ſunt duo in diſcordia, Bonifacius & *Dioſcorus*; ſed Dioſcoro brevi mortuo, extinctum eſt ſchiſma, tota Eccleſia Bonifacium acceptante. Confirmavit Synodum II. Arauſicanam, a qua Semipelagiani fuerant damnati.

Viguit hoc tempore ſicut prioribus eadem fidei morumque doctrina in Eccleſia Catholica, eademque ferme diſciplina: culti & invocati Sancti: delibatus honor ac veneratio ſacris Reliquiis: obſervatus Cleri cœlibatus: Monaſticum inſtitutum late per Orientem & Occidentem propagatum: Epiſcopatus in provinciis ad veram fidem converſis authoritate Romani Pontificis conſtituti: electiones vero Epiſcoporum a Coepiſcopis Provincialibus, Clero & populo factæ, ſic tamen, ut potiſſima auctoritas eſſet penes Epiſcopos & Clerum, ac præſertim Metropolitanum. Indultum etiam aliquid Imperatoribus, & Regibus, ſive ex neceſſitate, ſive ut Patroni haberentur adverſus hæreticos & ſchiſmaticos, ſive ut Eccleſiarum jura ac bona defendantur. Translationes & ceſſiones Epiſcoporum non admittebantur, niſi ex Eccleſiarum neceſſitate vel utilitate. Reſidentia in Eccleſiis non tantum Canonicis inſtitutis ſed etiam Juſtiniani ſanctione imperata, niſi Eccleſiarum neceſſitates aliud exigerent. Diſciplina.

Articulus VII.

S. Joannes II.

Electus anno 532, obiit 535. Hanc Scythiæ Monachorum propositionem: *unus e Trinitate passus est carne*, approbavit; quia intelligitur persona Filii. *Acæmetas* autem Monachos, negantes, unum de Trinitate in carne passum esse, damnavit. Contra Simonias, quæ in electionibus contingebant, gravia Decreta edidit.

Disciplina. Bonorum Ecclesiasticorum supremi Administratores his temporibus erant Episcopi, qui tamen suos habebant Oeconomos. In quatuor partes erant divisa. Episcopo non licebat bona, ab Ecclesia acquisita, vel ex fidelium oblationibus obtenta, relinquere hæredibus, bene vero patrimonialia, industrialia, parsimonialia, salva lege distribuendi superflua ad pias causas. Judicia de causis Episcoporum exercebantur in Conciliis Provincialibus, cum libertate tamen appellandi ad primam Sedem Apostolicam, quæ poterat causam ad se avocare, vel delegare in partibus potestatem judicandi, prout in Concilio Sardicensi est pronuntiatum.

Articulus VIII.

S. Agapetus I.

Electus est anno 535, sed nec unum annum Pontificatus explevit. Coactus a Theodato, Gothorum Rege, legationem ad Justinianum Imp. suscipere eo fine, ut is legiones suas ex Italia reduceret; Cpoli Primatus sui Jurisdictionem supremam exercuit; nam *Anthimum* Eutychianum, a *Theodora*, Justiniani uxore, fœmina Eutychiana, & Justiniani conjugis nimium potente, intrusum, sede sua Cpolitana depulit, eique *Mennam* virum orthodoxum suffecit, sola sua auctoritate absque omni synodo. Obiit Agapetus Constantinopoli, dum iter in Italiam appararet, anno 536.

Cpoli Jurisd. exercet.

Disciplina. Pro Clericatu hoc ævo necdum certa ætas fuerat definita, sed parentes Deo offerebant pueros ad statum Clericalem. In Episcopis autem & Presbyteris ordinandis 30 anni requirebantur, & in Diaconis 25. Instruebantur in Seminariis Minores Clerici. Majores etiam in plerisque Ecclesiis sub Episcopi disciplina iisdem in ædibus habitabant, & communi mensa alebantur. Vestibus a laicis distinctis utebantur, tonsura etiam & corona discreti. Non licebat ad alias Ecclesias transire. Exempti erant a foro sæculari, prout ex variis Conciliorum & Principum etiam sæcularium Decretis elucet.

Articulus IX.

S. Silverius, 536.

Mortuo Agapeto, illius Diaconus Vigilius, Cpoli tunc moratus, *Theodoræ* Augustæ promisit, damnaturum se Chalcedonensem Synodum, & Anthimum Eutychianum, ab Agapeto depositum, atque Severum, sedibus, quod unice optabat Theodora, restituturum, si crearetur Romanus Pontifex. Scripsit igitur Augusta Belisario, qui tunc Romæ erat, ut Vigilium eligi curaret. Sed electus jam fuerat *Silverius*. Quem Theodoræ mandato Belisarius in Palmariam insulam relegavit, atque Vigilium in sanctam sedem intrusit. Silverius vero altero post anno in exilio ærumnis confectus obiit. Theodoræ furor.

Not. Joannes I, Felix IV, Bonifacius II, Joannes II, Agapetus I, Silverius, quorum omnium brevissimus erat Pontificatus, nullam Constitutionem publicarunt, quæ extet in Romano Bullario, nisi quod Agapetus prohibuerit alienationem rerum Ecclesiasticarum. Idem de multis aliis Pontificibus antiquis; placet tamen, eorum Catalogum texere.

Articulus X.

S. Vigilius, 538.

Cum Belisarius instinctu Theodoræ non desineret urgere precibus armatis, ut Vigilius ad Pontificatum eveheretur, Clerus Romanus, ad evitandum schisma, & pacem Ecclesiæ conciliandam, eundem, quem prius ut Antipapam execrabatur, acceptavit, totaque Ecclesia. Et ecce! Vigilius, homo antea ambitiosus, Simoniacus, exemplo Felicis II aliorumque Pontificum, quorum non optimus semper fuerat ingressus, Divina providentia Ecclesiæ suæ puritati consulente, ita repente est immutatus, ut mox omnia, quæ Theodoræ circa Synodum Chalcedonensem &c. promiserat impie, data ad Justinianum Imp. epistola revocarit. Iram propterea Augustæ incurrens gravissimas ærumnas, quas Parte III retulimus, forti animo tulit. 55. Subita mutatio.

1. *Constitutione* laudat Justinianum Imp. a superatis undique Ecclesiæ hostibus, protensis Imperii finibus, Italia & Africa ad illud reductis. Hortatur, ut eos, qui 4 Synodos non pure recipiunt, in Imperio non toleret: simulque omnes Nestorianos, Eutychianos, Anthimum omnesque alios hæreticos anathemate ab Ecclesia excludit, synodalia vero Decreta confirmat.

2. & 3. Auxanium Arelatensem Episcopum suum per Galliam Vicarium renuntiat, reservatis tamen sibi causis majoribus. Hortatur, ut etiam pro Imperatore, conjuge ejus Theodora, & Belisario Patritio orent, Regique suo Childeberto persuadeant Galliæ Episcopi, ut pacem cum iisdem conservet.

5. & 6. Aureliano Auxanii in Episcopatu Arelatensi successori easdem partes demandat.

Obiit Vigilius Syracusis in Sicilia 11 Jan. 555, sedis 17. Quas in turbas inciderit propter Synodum V, & damnata in ea tria capitula, Part. III, cap. 11, late disseruimus. In nullam incidit hæresin toto hoc in negotio; quia nunquam defendit, aut rata habuit scripta Theodori Mapsvesteni, nec Theodoreti contra Cyrillum, neque epistolam Ibæ ad Marin Persam. Sed ex prudenti Oeconomia negotium voluit suspensum, ut Latini Episcopi prius melius informentur, ne Ecclesia Græca rursus tetro schismate scindatur a Latina. Hinc, quamvis esset Cooli, synodum accedere noluit, sed Chalcedonem aufugit; etsi postea, cum Latini plerique jam melius essent informati, nullum Synodo IV fieri præjudicium, damnationi trium capitulorum subscripserit.

Solv. object. ratione 3 Capitulorum.

Articulus XI.

S. Pelagius I, 555.

Constitutionem edidit, qua Sapaudum Arelatensem Episcopum, ex more, ut inquit, antiquo Vicarium Sedis Apost. per Gallias constituit, & Episcopos eidem obedire jubet. (*anno* 557)

His temporibus Ecclesiam Orientalem adhuc scindebant Eutychiani, qui, licet Principum Decreta formidantes, non auderent se Eutychianos dicere, Chalcedonensi Concilio nihilominus se opponebant, ut venenum possint spargere. Quamvis autem eorum auctor dicatur *Severus*, Monachus Ægyptius, ob hæresin cœnobio ejectus, ab Anastasio Imp. Sedi Antiochenæ intrusus, & a Justino dejectus, dicebantur *Acephali*, in quatuor factiones diversi:

Acephali.

Nam alii appellabantur 1 *Corrupticolæ*, quod dicerent, Corpus Christi ante resurrectionem fuisse corruptibile: 2. Alii *Incorrupticolæ*, qui contrarium dicebant, ac Christum reipsa nunquam famem, sitim, dolores passum esse, sicut post resurrectionem. Appellabantur propterea hæretici isti *Phantasiastæ*, & *Aphtardocetæ*. 3. Alii *Agnoetæ*, qui Christo ignorantiam attribuerunt, dicti etiam *Themistiani*, a quodam Themistio Diacono Alexandrino: dicebant e. g. Christum ignorasse diem

Ju-

Judicii, locum sepulturæ Lazari. 4. Alii *Tritheitæ*, quorum auctor est Philoponus Grammaticus Eutychianus. Error inde profluxit, quod homines isti non distinguebant inter naturam & personam; unde inferebant cum Eutyche, sicut in Christo est una tantum persona, ita unam tantum naturam; & sicut in Trinitate tres sunt personæ, ita tres esse naturas, seu Divinas substantias.

Obiit Pelagius I 2 Martii 560, sedis V, vacavit sedes 4 ferme mensibus.

Articulus XII.

S. Joannes III, 560.

Absolvit Basilicam SS. 12 Apostolorum in urbe, a Pelagio Antecessore inchoatam.

Hujus Pontificis tempore, anno videlicet 565, obiit *Justinianus*, Imperii 38, cujus effigiem exhibui Part. III, ubi actum de Synodo V. Justinianus. Fuit sane Princeps domi forisque clarus, &, sive potentiam spectes, armorumque felicitatem, sive amorem sapientiæ, ac præsertim jurisprudentiæ, vere magnus. Illius curæ debemus leges antiquas, novasque, quas ipse adjecit, in unum Corpus Juris, quod hodiedum in scholis & foro viget, a Triboniano, Theophilo, & Dorotheo, collectum, atque in Institutiones, Pandectas, Codicem, & Novellas distributum. Multa Decreta contra hæreticos publicavit; sed tandem vir uxorius, alter velut Salomon, in luto hæsit, Eutychiana Acephalorum hæresi irretitus. In Silverium & Vigilium crudelis, manus plus æquo ad thuribulum exporrexit. Putat tamen Baronius cum pluribus aliis, eum ejurata hæresi Catholice ac pie obiisse: videturque certum, quod plus boni quam mali Ecclesiæ intulerit, Constantino M. comparandus, si nullam habuisset Theodoram. (*vid. Part. III. loc. cit.*)

Successorem in Imperio nactus est *Justinum II* nepotem suum; Princeps is fuit initio justus, mansuetus, publicæ tranquillitatis amans; Justinus II. sed virtuti constantia defuit. Uxor eum, sicut Justinianum perdidit. Impotens sui fœmina, *Narsetem* præstantem bello Ducem, ex Italia, cujus Præfecturam gerebat, acciri per maritum, & dignitate exui jussit, Narses. amaro adjecto sarcasmo, revocandum eunuchum, ut Cpolim in Gynecæo cum ancillis fila ducat. Indignatus ille respondit, se telam orsurum, quam Imperatrix nunquam sit retexura. Mox Longobardos ex Pannonia vocat in Italiam, qui novum ibi regnum fundarunt, Longobardi. relictis Imperatori paucis terris, quæ *Exarchatus* deinceps dicebantur,

quia ab Exarcho, ab Imperatore misso, gubernabantur, fixa Ravennæ sede.

Joannes III obiit 23 Julij 573, sedis 13, quæ vacavit menses 10, quia Longobardi Italiam perturbabant.

Articulus XIII.

Benedictus I, 574.

Huic & prioribus Pontificibus aliquæ epistolæ Decretales attribuuntur, quæ tamen a Criticis hujus temporis apocryphæ censentur; & hinc in Bullario Romano sunt omissæ.

S. Benedictus Ordinem fundat.

Hoc ævo S. Patriarcha Benedictus, vitæ Monasticæ in Occidente parens, in monte Cassino ordinis sui fundamenta jecit, scribendo sanctissimam Regulam, quæ a S. Greg. M. in Dialogis plurimum dilaudatur, atque de ea prolixe differit eruditissimus Mabillonius Tom. I Annalium Benedictinorum. Certe ex hac cœlesti disciplina prodierunt innumeri sancti, fulgentes sicut stellæ cœli, orbis Apostoli, excellenti doctrina & omnigena eruditione viri, multo clarissimi, quibus Germania, aliæque per Europam Nationes suam conversionem ad orthodoxam fidem, & litteræ, ne medio ævo interirent, suam vitam debent.

Cultores Monastices.

Scripserunt insuper Monasticas Regulas S. Cæsarius & S. Aurelianus, Arelatenses Episcopi, S. Columbanus, S. Donatus Episcopus Vesuntinus, S. Isidorus Hispalensis, S. Fructuosus. Plura de vita Monastica legi possunt apud Mabillonium *in Annal. Benedict.* Cointium *in Annal. Francorum*: Lucam Holstenium in *Codice veterum Regularum*: Thomassinum *de veteri & nova Ecclesiæ Disciplina.*

Tanta autem erat Regulæ S. Benedicti ad perfectionem & vitæ sanctimoniam præstantia, ut antiquiora etiam cœnobia eandem amplecterentur.

Obiit Benedictus I Papa 27 Julii 578, sedis 5, quæ vacavit menses tres, vel, ut aliqui putant, quatuor.

Articulus XIV.

S. Pelagius II, 578.

Sacrorum Canonum morumque disciplinæ probi isti Pontifices erunt intenti, nec laxantes nimium nervum, neque etiam adstringentes nimium, sed moderatione quadam prudenti rigorem temperantes, ut

ut neque laxitas dissolutionem, neque acerbitas desperationem mortalium animis ingereret. S. Gregorium ad Tiberium Constantinum Imp. misit, ubi Eutychium Patriarcham de corporum resurrectione dubitantem convertit.

Obiit Pelagius 8 Febr. 590, sedis 12, quæ vocavit in mensem septimum.

Articulus XV.

S. Gregorius M. anno 590.

1. Suas vices in Sicilia delegat Petro Subdiacono. 2. Unit varias Ecclesias, ob bellicas invasiones desolatas. 3. Episcopum Syracusanum suum in Sicilia Vicarium constituit, cum jure Pallii, & in Episcopos jurisdictione. 7. Ecclesiæ Ravennatensi jura sua & privilegia cum usu Pallii confirmat. 8. Vigilium Arelatensem Vicarium suum per Galliam constituit. 10. Monasterii Sublacensis jura, & Regulam S. Benedicti approbat & confirmat. 12. 13. 14. Plurium Monasteriorum privilegia confirmat. 16. Mittit Pallium Augustino, Britanniæ Episcopo. Londonensem & Eboracensem Episcopos vult esse Metropolitanos, sic, ut ille sit prior, qui prius fuerit ordinatus. Mutata est hæc res postea. 56. Gesta.

Obiit S. Gregorius 12 Martii 604, sedis 14. Innumera sunt ejus præclare gesta scriptaque, quæ *Magni* ei nomen pepererunt, exhibentque Ecclesiæ Doctorem maximum, ex æquo sanctum ac doctum. Ambitionem *Joannis* Episcopi Cpolitani, qui se Episcopum *Oecumenicum* seu universalem scripsit, coercuit, nec ipse Gregorius hoc nomine compellari voluit. Quia Episcopi habent suas distinctas Diœceses, nullusque est omnium Episcopus: aliud est de Papa seu summo Pontifice, supremo totius Ecclesiæ pastore.

Schisma, occasione trium Capitulorum exortum, omni studio laboravit extinguere. Donatistas in Africa compressit. Angliam per Augustinum aliosque S. Benedicti Monachos convertit. Officia Ecclesiastica, cantum, & Missæ ritum in meliorem ordinem redegit. Digniores eligi voluit, nec uni plura Beneficia conferri, disciplinæ Ecclesiasticæ tenacissimus.

Moralem doctrinam præscripsit mansuetudine & severitate temperatam: *regat vigor mansuetudinem*, inquit lib. 19 in cap 29 Job. n. 30, *& mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.*

Libros

Libri. Libros scripsit plurimos (licet infirma uteretur valetudine, & diuturna podagra laboraret) uti *Expositionem Moralem in Job*, 35 Libris contentam: *Homilias* 40 in Evangelia, & in Ezechielem 22. *Epistolarum* Libros 12, Librum *Pastoralem*, *Sacramentarium*, *Antiphonarium*: Libros *Dialogorum* 4, quos tamen aliqui Critici eidem denegant.

S. Gregorium fuisse Monachum, nemo est, qui dubitet, nam & Abbatem se fuisse scribit; sed an S. Benedicti, an vero S. Equitii Regulam fuerit professus, disceptatur. Mabillonius eum Ordini suo vindicat, Baronius cum Bollandistis negat. Hoc certum, illum maximi fecisse Regulam S. Benedicti, quam Pontificali auctoritate approbavit & confirmavit.

Mauritius Imp. Imperavit hoc tempore in Oriente Mauritius, (post Tiberium Socerum suum) quem coarguit Gregorius, quod militibus prohiberet fieri Monachos. Victus a Cagano Avarum Rege, captos milites redimere noluit; orta propterea seditione, cum conjuge & liberis a Phoca perfidissimo homine, crudelissime est interemptus. Alienum tamen prorsus a veritate est, quod fingunt Ministri Tigurini, Gregorium laudasse barbaram eam Phocæ crudelitatem: impedire autem, (Phocas.) ne miles Tyrannum proclamaret Imperatorem, non poterat.

CAPUT VIII.

SÆCULUM VII.

Articulus I.

Sabinianus, 604.

57. Post obitum Gregorii vacavit sedes menses sex, cum electus est Sabinianus Thuscus, qui fuerat Gregorii Diaconus, & olim apud Tiberium Imp. Apocrisiarius. Sed brevis admodum fuit ejus Pontificatus; nam obiit 22 Febr. 606, postquam annum & sex menses Ecclesiæ præfuit.

Jacobitæ. Hoc tempore nomen *Jacobitarum* in Oriente innotuit, sic dictorum a Jacobo quodam Syro, Severi Discipulo Eutychiano. Hæretici isti, quamvis in varios errores sint prolapsi, ut contingere amat, cum ab unitate Catholicæ Ecclesiæ receditur, semper tamen retinuerunt, sive dogmata sive disciplinam, in quibus hodierni Protestantes recesserunt, videlicet signum crucis, venerationem sacrarum Reliquia-

rum

rum & Imaginum, cultum & invocationem sanctorum, cereos, suffitus, peregrinationes ad loca sacra, jejunia, carnis macerationes, vitam Monasticam, castitatis vota, vasa sacra &c. teste Eusebio Renaudotio in Hist. Patriarcharum Alexandrinorum.

Nam omnes ferme, qui Sæculo VII sedem Alexandrinam occuparunt, fuerunt Hæretici Jacobitæ, aut Monothelitæ, exceptis nempe S. Eulogio, Theodoro Scribone, & S. Joanne Eleemosynario, qui Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit usque ad annum 616, quo Alexandria a Saracenis capta est. Post Georgium deinde Monachum invasit sedem *Cyrus* Monothelita, facta unione cum Acephalis Eutychianis, notus a sua societate cum Sergio Cpolitano, aliisque ejusdem factionis, cum iisdem condemnatus a Synodo VI, seu Cpolitana III. Ab Heraclio etiam Imperatore sede sua fuit dejectus, quod Ægyptum Saracenis prodidisset: sed ab Heracleone ejus filio restitutus.

Articulus II.

S. Bonifacius III & IV.

Ille octo duntaxat menses præfuit, anno 607 creatus Pontifex & mortuus. Imperante Phoca. Alter post 9 mensium intervallum electus, obiit anno 615, sedis 7, postquam Pantheon in Ecclesiam B. V. & omnium sanctorum convertit.

Hoc tempore *Heraclius* proclamatus est Imperator; Phocas vero, vindicante Nemesi Mauritium, truncato brachio, capite plexus est. **Heraclius.** Anno 614 Persæ, capta Jerosolyma & vastata, sacram crucem asportarunt in Persidem, subactaque Ægypto & Libya, ad fines usque Æthiopiæ promoverunt victoriam.

Tot calamitatibus pressus Heraclius, supplex a Cosroe Persarum Rege pacem petiit; quam impetrare cum non posset, ad bellum meliori fortuna instaurandum se accinxit, irruensque in Persiam *Cosroem* acie **Cosroe.** profligatum in fugam conjecit. Accessit major clades a proprio filio Siroe, nam is, cum esset primogenitus, *Medarsen* juniorem fratrem regni hæredem designatum intelligens, arma a Romanis in patrem vertit, eumque victum captumque, primum catenis onustum in carcerem trudi, tum vero telis confodi jussit, cum Medarse aliisque ejusdem liberis.

Siroes immani parricidio potitus regno, cum Heraclio mox pacem iniit, liberatis e captivitate Christianis, & cruce, in qua salus **Siroes.**

nostra pependit, restituta. Heraclius illam primum Cpolim, dein Solymam deportavit instituto Exaltationis S. Crucis Festo.

Articulus III.

S. Deus dedit. 615. *S. Bonifacius V*, 619.

Prior electus est 19 Oct. 615, obiit 8 Nov. 618, sedis 4, inchoato: Imperante Heraclio. Postquam ea vacavit ultra annum, electus est Bonif. V 23 Dec. anno 619, obiitque 22 Oct. 625, sedis 6. Epistolam is dedit ad Edilbergam, Edvini Northumbriæ Regis in Anglia conjugem Christianam, qua eam hortatur, ut marito, tum adhuc gentili, Christianam Religionem persuadeat.

Origo Mahometismi. Præter hæresum lolia, quæ Ecclesiæ agrum devastabant, ingenti mortalium malo enata est hoc tempore secta turpissima Mahometana, in *Alcoranum* a Mahomete, homine spurco, adjutoribus Judæo, & Monacho hæretico, ingesta. Quidquid fœdum infandumque est, in hanc sentinam confluxit. Spurcas carnis voluptates indulget in hac vita, & promittit in altera. Næniis, fabulis, nugis, gerrisque scatet absurdissimis. Dei unius existentiam fatetur, sed Trinitatem Personarum negat, prout etiam Christum esse Deum, quamvis eum appellet verbum Dei, Spiritum Dei, Prophetam eximium, natum ex Maria Virgine. Plura de Alcorano & secta Mahometana tradidi in libello de *Indifferentismo*.

Hæc autem lues brevi tempore in immensum propagata est per omnes tres mundi, tunc cogniti, partes; nec id mirum; nam sublatis arduis vitæ Christianæ legibus, morum licentia & illecebris propinatis, tracta infinita mortalium miserorum multitudo, armis denique, in quibus jus totum ferebant, perrumpebant, peccatis Christianorum & segnitie id exigentibus: quibus ferme mediis posterioribus temporibus etiam Lutheranismus & Calvinismus brevi est propagatus. - - - Natus autem est Mahomet in urbe *Mecca*, pecorum custos divitem mercatoris viduam duxit. Interiit impostor anno 632. *Medinæ* ejus tumba, per magnetes pensilis, visitur; atque ad eam frequens Mahometanorum fit concursus.

Articulus IV.

Honorius I, 625.

58. Natione Campanus, patre consulari natus, 27 Oct. 625 ordinatus Episcopus, obiit 11 Oct. 638, sedis 13, imperante Heraclio.

Con-

Constitutiones duas edidit, quarum prima Monasterium Bobiense a Jurisdictione Ordinariorum eximitur, & sub protectionem Sedis Apost. recipitur. Altera Ecclesiæ Dorobernensi seu Cantuariensi Primatum super omnes Anglicanas Ecclesias concedit.

Objicitur huic Pontifici, quod in hæresin Monothelitarum inciderit; sed falso; licet enim scriptis duabus ad Sergium litteris oscitanter se opposuerit errori, silentium volens servari de una aut duabus in Christo voluntatibus, tanquam quæstione importuna, & ad pacem Ecclesiæ rursus turbandam nata, epistolæ tamen ejus nullam continent hæresin. Dum enim unam voluntatem in Christo visus est asserere, de humana ejus voluntate locutus est, non dari videlicet duas in Christo voluntates humanas contrarias; per quod non negavit, dari etiam voluntatem Divinam distinctam, sicut duæ dantur naturæ. Damnatus quidem est in Synodo VI, non quod hæresin docuerit, aut etiam tanquam privata persona sit lapsus, sed quod suo silentio & dissimulatione Sergio & Cyro se non opposuerit, prout oportuit: *Hæretici* autem nomen tunc illis etiam tribuebatur, qui silentio & dissimulatione peccaverant. Ampliorem hac de re dissertationem dedi *Part. III c. 2 art. 6*, ubi de Synodo VI tractatum est. Non fuit Monothelita.

Articulus V.

S. Severinus I, 640. *Joannes IV*, 640.

Mortuo Honorio sesqui anno suo modo vacavit sedes, quod *Isacius Exarcha* Ravennatensis negaret prætensam approbationem, Severinus autem, a Clero Romano electus, nollet *Ecthesin* Heraclii Imperatoris, Monothelitis faventem, recipere, sed eam damnaret. Venit Exarcha Romam, & Patriarchium Lateranense expilavit. Post menses autem duos Severinus obiit. Et 4 mensium intervallo electus est Joannes IV, sed altero anno necdum expleto obiit 642. Privilegium exemptionis contulit Monasterio Luxoviensi, a S. Columbano fundato.

Obiit hoc tempore (anno 641) regni 31, Heraclius, inter optimos Imperatores numerandus, nisi Monothelitis obnoxius, promulgasset suo nomine *Ecthesin*, a Sergio Cpolitano Patriarcha deterrimo Monothelita compositam, in qua silentium imponebatur de una vel duplici voluntate & operatione in Christo. Ecthesis Heraclii.

Heraclio in Imperio successit *Constantinus IV.* filius, Princeps optimus, sed eum quatuor intra menses noverca veneno sustulit, ut Const. IV.

Heracleon. filium suum *Heracleonem* intruderet. Verum is sexto Imperii mense naso abscisso, in exilium ejectus est a Senatu, una cum matre, lingua
Constans II. mutilata. Successit *Constans II*, Constantini IV filius, a patre degener, avo multo deterior, qui hæresi crudelitatem sociabat, Monothelita juratus graviter persecutus Ecclesiam, quam per *Typum* suum pervertere non poterat.

Articulus VI.

S. Theodorus I, 642.

Fuit is natione Græcus, præfuitque Ecclesiæ in annum VII, mortuus 13 Maji anni 649. Constitutionem edidit, qua Bobiensi Monasterio, in quo 150 Monachi sacra psalmodia laudes Deo diu noctuque persolvebant, a Jurisdictione Ordinariorum exempto, varia privilegia conferebat, commendatione Rotharis, Longobardorum Regis. Damnavit Theodorus Pyrrhum & Paulum, Patriarchas Cpolitanos Monothelitas.

Articulus VII.

S. Martinus I, 649.

59. 1. *Constit.* In Synodo Lateranensi damnat Monothelitarum Hæresin, cum Theodoro Episcopo Pharanitano, Cyro Alex. Sergio, ejusque Successoribus Pyrrho & Paulo, Patriarchis Cpolitanis, unaque Typum Constantis Imp. ostendit, Monothelitas, dum humanam in Christo voluntatem negant, ipsam naturam & substantiam humanam destruere, de cujus essentia sit voluntas; adeoque Monothelitas, demptis verborum fucis, hæresin Eutychis rursus invehere.

2. Cum Orientales Patriarchæ essent hæretici Monothelitæ, Eutychiani & Acephali, Papa Joannem Philadelphiæ Episcopum constituit Apost. Sedis per Orientem Vicarium, cum potestate instituendi Episcopos, Presbyteros; redeuntes ad Ecclesiam in pristino decernit gradu collocandos. Mittit ei Concilium Lateranense, a se convocatum, in quo definita est existentia unius personæ in Christo & duarum naturarum, ac voluntatum: confirmantur etiam 5 Concilia Oecumenica.

3 & 4. Dicit anathema Paulo Thessalonicensi Episcopo, contumaci hæretico.

5 & 6. Concedit privilegia Monachis.

Obiit Martinus 16 Sept. 655, sedis 7. Cum in Synodo Lateran. Typum Constantis damnasset, is indignatus, *Calliopam* Exarchum cum militari manu Romam misit, qui S. Pontificem noctu comprehensum in Insulam Ægæi deportavit anno 653. Annoque evoluto Cpolim pertractus, catenis onustus, per plateas tractus, in carcerem truditur, ac denique in Insulam Chersonam relegatus, pro Christi fide martyr obiit. Pont. Martyr.

Articulus VIII.

S. Eugenius I, 654.

Cum deportato in exilium S. Martino timeret Romanus Clerus, ne Constans Imp. Monothelitam in Sedem Apost. intruderet, vivente adhuc Martino, 8 Sept. 654 elegit Eugenium, Romanum. Duplex autem hic est opinio; aliqui enim cum Baronio existimant, Eugenium per annum, quo adhuc erat in vivis Martinus, Vicaria tantum potestate rexisse Ecclesiam. Alii vero cum Pagio putant, eum tanquam verum Pontificem Papali auctoritate gubernasse, sed cum consensu Martini, Pontificatu se abdicantis in bonum Ecclesiæ.

Obiit Eugenius 1 Jun. 657, sedis 3, si a tempore electionis anni computentur.

Articulus IX.

S. Vitalianus, anno 657.

Cum magna laude 14 annos & 6 menses rexit Ecclesiam, quam Constans Imp. cum suis Monothelitis persequi non cessavit; sed vindicem Dei manum sensit, a Saracenis in Oriente, & Longobardis in Italia victus. Theodosium fratrem suum interemit, Ecclesiæ Diaconum: sed ea mortis imagine territus, furiisque agitatus, sedem Syracusas in Siciliam transtulit; sed nec ibi quietem inveniens interiit in balneo, situla ab ancilla in caput impacta, anno 668, Imperii 27, postquam illum Romam venientem S. Vitalianus perhonorifice excepit. At ille eam gratiam retulit, ut omnia Romæ templa pretiosa supellectili spoliaret, idea mali ac miseri Principis. *Typus* ejus hæreticus perpetuum ei characterem imprimit. Ubi transeundo mirari subit, quo spiritu actus P. Graveson in *Hist. Eccles. ad Sæc. VII Coll.* 1 scribat, Vasquezium Societatis Jesu Theologum hallucinatum esse, dum Typum Constantis Imperatoris putarit esse hominem Monothelitam. Si tantam ignorantiam viro eruditissimo voluit impingere, bene fecisset, si locum indicasset. Typus Constantis & impietas, ac ruina.

Articulus X.

A Deodatus, 672.

Const. Pogon. Vitaliano, anno 672 mortuo, suffectus gubernavit Ecclesiam in quintum annum, Imperante *Constantino Pogonato*, Constantis mali patris optimo filio, qui cum classe in Siciliam appulsus, patris Constantis cædem ultus est. Per septennium Cpoli a Saracenis obsessus, invocata ope Deiparæ liberatus, hostes ad internecionem prope delevit: non propitia adeo fortuna usus est adversus Bulgaros, gentem barbaram, a qua victus, *Mysiam* cedere ipsis debuit, quam deinceps a nomine suo *Bulgariam* dixerunt.

Articulus XI.

Donus, 676. S. *Agatho*, 678. S. *Leo II*, 682.
S. *Benedictus II*, 684.

De nullo horum Pontificum ulla extat Constitutio in Rom. Bullario, brevisque fuit eorum Pontificatus, sub Constantino Pogonato Imp. S. Agatho, damnatis prius in Concilio Romano Monothelitis, Synodum VI Oecumenicam celebrari curavit, eique per legatos suos præsedit: prout Parte III ex instituto dictum. *Leo II* synodum eandem auctoritate sua confirmavit.

Articulus XII.

Joannes V, 685. *Conon*, 686. *Sergius I*, 687.

Joannes, natione Syrus, sedit annum unum, menses 10, post ejus obitum, qui contigit 21 Sept. 687, ortum est schisma, divisis suffragiis inter Petrum & Theodorum. Cum nihil proficeretur, ut concordia iniretur, Clerus in tertium convertit vota, Cononem videlicet, ex Thracia oriundum, & in Sicilia educatum: Cleri electioni accessit populus. Obiit autem Conon post 10 menses gesti Pontificatus.

Post Cononis mortem similis contigit divisio populi. Pars Archipresbyterum, pars Archidiaconum elegit: &, cum neuter vellet cedere, inter duos litigantes gaudebat iterum tertius, videlicet Sergius I, natione Syrus: qui Bulla edita exemptionis privilegium concessit Monasterio Meldunensi. Obiit 7. Sept. an. 701, sedit 14.

Sub

Sub his Pontificibus mira erat Imperatorum facies; nam mortuo anno 685 Constantino Pogonato (à longa barba sic cognominato) Principi optimo, successit filius pessimus, *Justinianus II* dictus *Rhinotmetus* a naso abscisso; nam post 10 annos inter scelera, crudelitates & ruinas Imperii male administratam Rempublicam, *Leontius*, naribus mutilatum throno dejecit, tribusque annis tyrannidem exercuit. Cum autem misisset exercitum in Africam adversus Saracenos, copiæ sibi metuentes a Leontio, *Tiberium Absimarum* Imperatorem elegerunt; qui Leontium captum, & naso pariter truncatum, in Dalmatiam custodiendum abduci jussit. Septem annos Tiberius imperavit; quibus evolutis, Justinianus Rhinotmetus post 10 annorum exilium a Trebellio Bulgarorum Rege Imperio est restitutus, atque interfecto Absimaro & Leontio, septem adhuc annos nomen Imperatoris gessit, peremptus denique in seditione anno 711. Si certum genus hominum eo tempore vixisset, omnia hæc parricidia ei fuissent attributa.

Just. II. Leont. Tiberius Absim.

CAPUT IX.

SÆCULUM VIII.

Articulus I.

Joannes VI, an. 701. *Joannes VII*, 705. *Sisinnius*, 708. *Constantinus*, 708.

Joannes VI, natione Græcus, Constitutione unica edita Farfense Monasterium, a Duce Spoletano fundatum, privilegiis ditat, eximitque. Obiit 11 Jan. 705, sedis IV. 60.

Joannes VII, natione Græcus, habuit Romæ Concilium, in quo Wilfridum Eboracensem in Anglia Episcopum a criminibus, a Rege Alfrido eidem impactis, absolvit, & in sedem restituit. Obiit 17 Oct. 707, sedis 3.

Sisinnius, Syrus, non nisi dies 20 Pontificatum tenuit. Successit *Constantinus*, pariter Syrus, quem Justinianus Cpolim invitatum, magno cum honore excepit. Obiit 8 April. 715, sedis 8 inchoato.

Dum Constantinus Ecclesiam regeret, turbatum rursus vehementer est Orientale Imperium. Justinianus II, ultimus ex Heraclii Familia, quæ integro sæculo sceptrum rotaverat, a Bardane seu *Philippico*, fuit interemptus cum filio. Parricida, Monothelita hæreticus, altero Philippicus.

Imperii

Imperii anno, dum dormiret, a conjuratis oculis privatus in carcerem trusus est, & *Artemius* Imperator renuntiatus, qui *Anastasium II* se dixit, vir doctus & pius; sed tertio anno miles, re male contra Saracenos gesta, *Theodosium III* Imperatorem salutavit; qui Anastasium in Monasterium detrusit: quod ipse quoque, anno vix vertente, aut sponte est ingressus, quietis amantior, aut a Leone Isaurico, quem pariter ab exercitu proclamatum ferunt, coactus. (*anno* 716)

Anast. II.

Theodos. III.

Articulus II.

S. Gregorius II, 715.

61. Bonif. in German.

Ex Diacono S. R. E. creatus Pontifex 1. *Constit. & 2. Bonifacium* Episcopum misit in Germaniam ad prædicationem Evangelii, eique benedicit. Exhibetur forma professionis fidei, & juramenti, quod Bonifacius, antequam ad prædicandum gentibus se conferret, Gregorio Papæ præstitit. (*anno* 719) Alia Epistola respondit ad dubia, quæ a Bonifacio ipsi fuerant proposita.

Epist. Greg. ad Leon. Isaur. pro Imagin.

3. Scripsit Epistolam, sacro zelo & Pontificio vigore plenam, ad Imperatorem Leonem Isauricum Iconomachum. Memorat in ea, 10 annos eundem recte ambulasse, donec in sensum perversum datus, sacras Imagines ex Ecclesiis ejecisset, cum magno orbis Christiani universi dolore ac scandalo. Cum crasso sit ipse intellectu, quoad ea, quæ Religionem spectant, sacrorum Præsulum, Germani maxime Cpolitani, & Romani Episcopi, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, sententiam fuisse exquirendam.

Ostendit diversitatem inter idola gentium, & sanctorum, quos Ecclesia colit, Imagines: nullam hic umbram Idololatriæ; cum non colantur cultu latriæ, sed cultu longe inferiore, eoque respectivo, intentione ad ipsa prototypa, id est, sanctos cum Christo in cælo regnantes, directa. Exhibet Imagines a Deo in veteri testamento fieri præceptas, exempla primæ Christianæ Ecclesiæ, & traditionem perpetuam. Proponit utilitatem Imaginum ad discenda aut in memoriam revocanda mysteria, ad excitandam devotionem, ad imitandum sanctos, qui repræsentantur.

Non ab Imperatoribus sed a Pontificibus haurienda Ecclesiæ dogmata: limites potestatum munerumque esse constitutos a Deo, ac discrimen faciendum inter oves & Pastores. Comminatum Leonem, se, sicut Antiochiæ cum imagine S. Salvatoris factum, missurum Romam, qui imaginem S. Petri confringat, & Gregorium Pontificem

Cpolim

Cpolim vinctum adducat, sicut Martinus Papa fuisset adductus. Respondet Gregorius, se quidem Martini exemplo optare martyrium; cum tamen totius Occidentis oculi in se sint conversi, victurum se pro Ecclesiæ salute, quamdiu Deo placuerit. (730)

4. Alteram ad Leonem scribit Epistolam in idem ferme argumentum: adhortatur, ut sequatur exemplum Constantini M. Valentiniani M. Theodosii M. Constantini Pogonati: ut audiat Ecclesiæ Doctores conterraneos, Gregorios, Thaumaturgum, Nyssænum, Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum &c.

Verum hæc tam parum movebant obduratum Leonis animum, ut Gregorio strueret insidias, Pseudo-Synodum adversus eum & sacras Imagines Cpoli cogeret; S. Germano defensore Imaginum, licet nonagenarius jam esset, sede dejecto, Anastasium suæ factionis hominem intrusit, quem Greg. Papa anathemate perculit tanquam hæreticum. Leo autem barbara crudelitate in omnes sæviit, qui Iconoclastarum hæresin nolebant amplecti, multis eorum occisis.

Interea vero, dum Leo cum Imaginibus bellum gerit, Romanum Imperium undique fatiscebat. Direpta a Saracenis Africa & Hispania, Exarchatus a Longobardis arctius constrictus, Ægyptus erepta, Cyprus, Rhodus, ac semper magis magisque Constantinopoli imminebant Barbari. Imo teste Anastasio Bibliothecario, omnis prope Italia in Leonem insurrexisset, aliumque sibi Imperatorem elegisset, nisi a Greg. II fuisset inhibita; quia sperabat adhuc Leonis correctionem; non omisit tamen in Romana Synodo ejus hæresin Iconoclasticam damnare.

Obiit Greg. II, 20 Febr. an. 731; sedis 16 inchoato. Natione fuit Romanus, rerum gestarum magnitudine clarus adeo, ut aliqui cum Gregorio I comparandum existiment.

Articulus III.

S. Gregorius III, 731.

Gente Syrus, S. R. E. Presbyter, electus mense Martio 731. Imperatoribus Leone Isaurico & Constantino Copronymo.

1. *Const.* Hortatur Episcopos per Bojoariam & Alemanniam, ut Bonifacio, Sedis Apost. Vicario obediant, ab eo ad Synodum, Augustæ vel ad Danubium celebrandam, vocati compareant, gentiles ritus exscindant &c. (738)

2. Gratulatur S. Bonifacio, quod ipsius & Caroli Martelli, Francorum Principis opera, centum animarum millia in Germania sint conversa: laudat ejus gesta in Bojaria, quod scilicet, cum in ea unicum invenisset Episcopum Vivilum, quem Papa ordinasset, tres alios addiderit, divisa in quatuor Episcopatus provincia, cum consensu Ducis Utilonis. Si dubium sit, an aliqui rite sint baptizati aut ordinati sacerdotes, baptizari & ordinari jubet, uti etiam ad ripam Danubii celebrari Concilium. Dat Bonifacio potestatem, vice Pontificis consecrandi Episcopos, Palliumque illi misit.

S. Bonifac. conversiones.

Tumulo illatus est Greg. III 8 Nov. 741, sedis 11, sicut Greg. I & II probitate & doctrina excellens. Hæresi Iconoclasticæ, quantum potuit, restitit. Carolum Martellum Majorem Domus Franciæ, cum ab Imperatore nullum auxilium sperare posset, adversus Longobardos, Italiam diripientes, accivit, iisque in ordinem redactis Patritium renuntiavit.

Eodem, quo Greg. III anno obiit, hæresi suæ & crudelitati immortuus Leo Isauricus Iconomachus, Imperii 24. Humani generis grandi malo successorem reliquit Constantinum Copronymum, malo parente pejorem filium.

Articulus IV.

S. *Zacharias*, 741.

62. Natione Græcus, vix persolutis Gregorio III extremis electus 30 Nov. anni 741. 1. *Const.* Confirmat tres Episcopatus, a S. Bonifacio erectos in Germania, in Würzburg, Bureburg, & Erfurt. Consultationibus Bonifacii respondet circa sacerdotes sceleratos, ad Divina ministeria non admittendos: Episcopum non posse sibi successorem designare, Bonifacio tamen soli hanc potestatem tribuit.

2. Bonifacio dat potestatem, in Ecclesiis vacantibus instituendi novos Episcopos.

3. Regulam S. Benedicti patris omnium Monachorum, in Dialogis jam laudatam & approbatam a S. Gregorio M, iterum approbat & confirmat. Dat licentiam, festa S. Benedicti, Mauri, & Scholasticæ solenniter celebrandi.

4. Moguntinam Ecclesiam constituit Metropolitanam; cujus suffraganeæ sint Tungrensis, Coloniensis, Wormatiensis, Spirensis & Trajectensis, & omnes aliæ in Germania; quarum omnium Bonifacius sit Metropolitanus. (750)

5. Monasterium Fuldense, a S. Bonifacio Moguntino Episcopo fundatum, confirmat, & exemptionis privilegio ornat.

Obiit

Obiit Zacharias 14 Martii 752, cum Luitprando Lōngobardorum Rege pacem composuit. Rachisio ejus successori persuasit, ut Ordinem S. Benedicti profiteretur in Monte Cassino. Adalbertum & Clementem Episcopos Germaniæ ad relationem S. Bonifacii in Synodo Romana hæreseos damnavit. Eidem Bonifacio, Ecclesiam Moguntinam abdicare volenti, obstitit. Burchardo Episcopo Würzburgensi ad varia Capitula consulenti respondit. Bonifacio quærenti, quid censendum de baptismo, collato *in nomine Patria & Filia & Spiritus Sancta*? respondit, validum esse censendum.

Illius tempore Regnum Galliæ a Childerico ignavo Principe, translatum fuit in Pipinum Caroli Martelli filium, Majorem Domus, virum strenuum, qui alioquin, patris avique exemplo, Franciam administraverat. Disputant autem eruditi, cujus auctoritate hoc actum sit; multi Scriptores Zachariæ Papæ id attribuunt, multi ex Gallis Episcopis & Proceribus Franciæ. Hoc certum, Galliæ Magnates ad Zachariam Papam recurrisse, atque ab eo hanc translationem (consentiente Childerico) fuisse approbatam, Regno Franciæ utilissimam. Aliqui Childerico injuriam illatam dicunt, & Zachariam & Pipinum prædones appellant.

Articulus V.

Stephanus II, 752. Stephanus III, 752.

Stephanus II vix ortus occidit oppressus lethargo; unde a multis ne quidem numeratur inter Pontifices. Quare eo mox mortuo electus fuit Stephanus III Romanus, 26 Martii anno 752.

Sex Constitutiones edidit, quibus confirmavit plura Monasteria, eisque varia privilegia est impertitus, uti Vulturnensi, Nonnatulensi, Fuldensi.

Obiit 24 Aprilis 757, sedis anno 5, cum ab Aistulpho Longobardorum Rege graviter infestaretur, primum per Legatos a Constantino Copronymo auxilium petiit, sed frustra. Quare ad Pipinum Regem Franciæ conversus, in Galliam profectus, magno cum honore ab eo exceptus est: &, cum Aistulphus pactis, interveniente Pipino initis, non staret, Pipinus cum exercitu, in Italiam trajecto, Romam liberavit, profligatoque Aistulpho, Longobardis Exarchatum, Pentapolim, atque 20 civitates, in his comprehensas, eripuit, easque, jure belli captas, dominio Romanæ Ecclesiæ subjecit, edito donationis amplo diplomate: in quo non legitur, quod supremum dominium sibi reservarit.

Pipinus victo Aistulpho Exarchatum Rom. Eccles. subjicit.

Articulus VI.

S. *Paulus I*, 757.

Stephani III frater Germanus, S. R. E. Diaconus, a majore & saniore parte electus contra Archidiaconum, tres edidit Constitutiones, quibus Monasteriis quibusdam exemptionis privilegium contulit, & Ecclesiam cum Monasterio in paternis suis ædibus erectum fundavit, sub invocatione S. Stephani M. & Sylvestri Pontificis. Subscripserunt Episcopi & Presbyteri S. R. E.

Obiit 28 Junii 767, sedis XI inchoato. Cum Desiderius Aistulphi in regno Longobardorum successor pactis initis non staret, civitates, Romanæ Ecclesiæ a Pipino donatas, non restitueret, atque Paulum Pontificem persequeretur, is legatione ad Pipinum missa opem ac protectionem rursus imploravit.

Articulus VII.

Stephanus IV, 768.

Paulo Pontifice necdum extincto, Dux Nepesinæ civitatis *Constantinum* fratrem suum laicum vi armata in Sedem Apost. intrusit, atque Episcopum Prænestinum coegit, ut eundem ordinaret. Per annum & mensem stetit hoc idolum in loco sancto. Accessit Philippus quidam, alter Pseudo-Papa: sed utroque dejecto, legitime electus est Stephanus IV, 7 Aug. 768.

Convocavit Romæ Concilium, a quo damnatus Constantinus Pseudo-Papa, & omnia ejus acta declarata irrita. Carolum M. dehortari conatus est, ne ducat Hermingardim, filiam Desiderii Longobardorum Regis, hostis Romanæ Ecclesiæ. Obiit 2 Febr. 772, sedis 4. In memorata Synodo Romana sub anathemate prohibuit, ne quis ad Pontificatum promoveatur, nisi per distinctos gradus Diaconatus & Presbyteratus ascendat.

Articulus VIII.

S. *Hadrianus I*, 772.

63. Natione Romanus, S. R. E. Diaconus, electus 9 Febr. Duæ tantum ejus Constitutiones sunt in Bullario. Prima Monasterio Farfensi dat Protectorem. Altera Monasterio S. Dionysii prope Parisios dat potestatem eligendi proprium Episcopum.

Obiit

Obiit 25 Dec. anni 795, sedis 24. Cum Desiderius donata a Pipino non restitueret, Italiam vastare, & Pontifices persequi non desineret, Hadrianus I Caroli M. imploravit auxilium. Is pro suo in Ecclesiam Romanam studio Ticini, vulgo Paviæ (quæ erat sedes ordinaria Longobardorum Regum) Desiderium obsedit, atque in suam redegit potestatem. Donationem Pipini patris sui confirmavit, pluraque alia dona adjecit, uti Sabinensem Provinciam, Spoletanam, Beneventanam &c. quæ Anastasius Biblioth. in vita Hadriani recenset. *Victo Desiderio Carol. M. confirmat donationem Pipini & auget.*

Tantum tamque munificum Ecclesiæ Defensorem ac Patronum, Romam venientem summa celebritate excepit, eique obtulit collectionem Canonum & Conciliorum, Epistolarum item Decretalium a Siricio Papa usque ad Greg. II, Canonum Apostolicorum, Conciliorum antiquissimorum Particularium & Generalium.

Quod vero Hadrianus eidem Carolo M. concesserit potestatem, eligendi Romanos Pontifices, & Investituram dandi Episcopis, prout scripsit schismaticus Sigebertus Gemblacensis, & ex eo Gratianus, (qui omnia, quæ in manus inciderunt, compilavit) *dist.* 63 *cap. Hadrianus I*, falsum omnino est, nec probari ulla ratione potest: & cur de re tanti momenti nihil meminissent Scriptores Synchroni, præsertim Eginhardus, qui nihil omisit eorum, quæ Carolo M. cui erat a secretis, honori esse poterant? & quis credat, non fuisse usuros tam grandi privilegio Carolum ejusque posteros, si concessum illud fuisset. *Fabula de potestate eligendi Pontificem.*

Misit Hadrianus Legatos suos ad Generalem Synodum VII, seu Nicænam II, & Francofordiensem: de quibus *Part.* 3 latius disseruimus: prout etiam de filiatione adoptiva Christi, a Felice Urgellitano & Elipando Toletano conficta.

Hadriani tempore in sacras Imagines & innocentum vitam sævire per mortem desiit *Constantinus Copronymus* Imp. videlicet 775, anno 35 Imperii, amissa Italia, & Pannonia prope omni, rursus accisi. Vestigiis patris institit filius *Leo IV*, non minus impius in sacras Imagines, quas coacto Conciliabulo damnavit. Periit misere anno 780, Imperii 5, relicto sub tutela matris *Irenes Constantino VII* filio, sub quibus celebrata Synodo VII, seu Nicæna II, Iconoclastarum hæresi profligata, suus Imaginibus honor, a tribus Imperatoribus proscriptus, est restitutus (anno 787.) Verum hæc omnia Part. III, ubi de Synodo VII, uberius sunt pertractata. *Const. Copr. Leo IV. Const. & Iren.*

CAPUT X.

SÆCULUM I.

Articulus I.

Leo III, 795.

64\. 1. Const. Cantuariensi Archiepiscopo Primatum in totam Angliam restituit.

5\. Ad petitionem Caroli M. transfert Cathedram Ratisbonensem Episcopalem a Monasterio S. Emmerani ad Ecclesiam S. Stephani. Monasterio autem dat potestatem eligendi sibi Abbatem, cum privilegio exemptionis.

Reliquis Constitutionibus variis Monasteriis concedit aut confirmat privilegia.

Restauratum Imp. Occidentale. Sed Pontificatum Leonis III nihil magis illustrat, quam restauratio Occidentalis Imperii, quod a trecentis jam annis vacaverat; cum enim Carolus M. injurias gravissimas, Leoni Papæ illatas, ulturus Romam venisset, ipso die Christi Natali Papa eundem, nihil tale opinantem, omisso Patritii, quem ante gesserat, titulo, Imperatorem Augustum renuntiavit, acclamante & applaudente populo, *ut haberet Ecclesia Romana adversus Infideles, hæreticos, ac seditiosos tutorem, cujus officium jam pridem repudiasse Imperator Orientis videretur*: prout loquitur Sigonius lib. 4. de Regno Italiæ ad an. 801.

Agebatur tunc de matrimonio inter Carolum M. & Irenem; sed Nicephorus. consilium intervertit *Nicephorus* Patritius, qui, Irene in exilium ejecta, sceptrum arripuit. Agnovit tamen Carolum Occidentis Imperatorem, & cum eo fœdus iniit.

Obiit Leo III, 11 Junii an. 816, sedis 21. Refert de eo Anast. Bibl. quod a nepotibus Hadriani I, aliisque seditiosis anno 799 Romæ captus, effossis oculis, abscissa lingua, multisque vulneribus sauciatus, in tetrum carcerem fuerit conjectus, sed insigni miraculo restitutis oculis & lingua, sanatus, atque a Duce Spolitano e carcere liberatus, Caroli M. auxilium implorarit, a quo Romam reductus, in Synodo objectorum criminum se insontem ultro purgarit, ac denique Carolum Imperatorem salutarit.

Articulus II.

Stephanus V, 816.

Constitutionem unicam edidit, qua Monasterio Farfensi omnia bona sua confirmavit. *Obiit* 24 Jan. 817, sedis mense 7. In Gallias profectus, atque summo cum honore exceptus, coronavit Ludovicum Pium Imperatorem, & Hermingardim Imperatricem.

Interea *Leo Armenus*, melior miles, quam Christianus, dejecto Michaele *Curopalate* Imperio Orientali potitus, bellum adversus sacras imagines contra Synodum VII generalem instauravit. Pulsi ab Ecclesiis pastores, lupi gregibus præfecti, boni in carceres trusi, torti, & obtruncati. Enituit constantia Theodori Studitæ, viri probi ac docti, aliorumque de Monasterio Studitarum, pro veneratione Imaginum fortiter decertantium. Curopalates. Leo Armenus Iconoclasta.

Articulus III.

S. Paschalis I, 817.

Patria Romanus *Constit.* 1 confirmavit Farfensi Monasterio factas donationes. 2. Ravennatensi Ecclesiæ sua privilegia. 3. Vulturnense Monasterium privilegio exemptionis munitur. 4. Ebbo Rhemensis Archiep. mittitur ad prædicandum Evangelium in partibus Septentrionalibus. *Obiit* an. 824.

De Cap. *Ego Ludovicus*, factaque donatione Paschali a Ludovico Pio, Critici disputant; Pagius cum multis Recentioribus eandem negat, non alio argumento, quam negativo, quia Pontifices & Imperatores, Otho I, & Henricus S. de eo silent, solamque donationem Pipini & Caroli M. indubitatam allegant, atque confirmant.

In Oriente Leo Armenus Iconoclasta octavo Imperii anno, cum die Nativitatis Christi in templo Sophiæ, hymnos more suo intonaret, a conjuratis, ex angulis suis prosilientibus, multis vulneribus est trucidatus, anno 820. *Michael Balbus* e carcere protractus ad thronum, Iconomachus pariter, ac alter Copronymus, quem vitæ suæ ideam statuit. Sub tali portento Cretam, Siciliam, Calabriam, Apuliam, Orientalis Imperii provincias occuparunt Saraceni. Dalmatia ultro jugum excussit. Periit tandem flagitiosus per omnia Princeps anno 829, Imperii 10. Successit *Theophilus* filius, uti Imperii sic impietatis hæres. Balbus. Theoph.

Artic-

Articulus IV.

Eugenius II, 824. *Valentinus I*, 827.

Eugenius Romanus ordinatus 14 Febr. 824, Irolpho *Laureacensi* Archiepiscopo Pallium mittit, eumque suum per Moraviam, Hunniam seu Avariam, Pannoniam, Mœsiamque Vicarium constituit, cum præcepto, ut Episcopi illi obediant. Celebravit Romæ Synodum, in qua conditi sunt 38 Canones pro instauranda Ecclesiastica disciplina. *Obiit* anno 827, contra illum a quibusdam electus fuerat *Zinzinus* Presbyter. Ad hoc schisma componendum Ludovicus Pius Imp. Romam misit Lotharium filium, qui redacto in ordinem Zinzino pacem dedit Ecclesiæ.

Valentinus I, inthronizatus in Lateranensi Patriarchio mense Aug. 827, post 40 dierum lapsum transiit ad coronam gloriæ.

Articulus V.

Gregorius IV, 827.

1. *Constit.* Monasterium Sublacense, ubi specus olim erat, in qua S. Benedictus vitam egit eremiticam, novis prædiis & gratiis locupletat.

2. Confirmat bona omnia ac jura Monasterio S. Justinæ Patavinæ, cui templum fundaverat Opilius Patritius Romanus, quod hodie visitur multo elegantissimum.

3. Postquam Carolus M. Saxones, sæpe rebelles, post diuturnum tandem bellum ad Danos usque subegerat, varios Episcopatus erexit, & inter hos Hamburgensem a Ludovico Pio dotatum, quem Greg. IV in Archiepiscopatum extulit; *Anscharium* eidem præficit cum jure Pallii, suum per Daniam, Sveciam, Norvegiam, totumque Septentrionem Legatum Apostolicum constituit. (S. Anschàrius.)

4. Floriacensi Monasterio exemptionis privilegium confert.

5. Uti etiam Monasterio S. Petri, prope Perusium. (*Videas, quam fallantur, qui exemptiones Monasteriorum primum Sæculo XI cœptas existimant.*)

6. Tractat de appellationibus ad Sedem Apost. non impediendis.

Obiit 25 Jan. 844, sedis 16. In Galliam abiit, ut pacem inter Ludovicum Pium & filios conciliaret. Sed conatus effectu caruit.

Articulus VI.

Sergius II, 844.

1. *Const.* Drogonem Metensem Archiepiscopum, Caroli M. filium, Vicarium Apost. per Germaniam Galliamque designat.

2. Confirmat bona & privilegia Ecclesiæ Astensi.

Obiit 27 Jan. 847, sedis 3, Ludovicum Lotharii Imp. filium Romam venientem Regem coronavit. In Oriente autem mortuo Theophilo, crudeli Iconoclasta, res Ecclesiæ in melius mutatæ sunt; *Theodora* quippe pientissima impii Theophili vidua, cum filii sui *Michaelis III* tutelam gereret, convocata Cpoli Synodo, cultum sacrarum imaginum, Episcopos exules ac Monachos restituit, ejectoque Joanne Pseudo-Patriarcha, & Methodio viro sanctissimo substituto, uxor bona malum maritum emendavit. Rest. Imag.

Articulus VII.

S. Leo IV, 847.

1. *Constit.* Ordinat, ut omnes Provinciæ, a S. *Anscbario* in Septentrione conversæ, Archiepiscopatui Hamburgensi subjiciantur. Ipsi Anschario Hamburgensi Archiepiscopo, illiusque successoribns confirmat jus Pallii ac potestatem erigendi novos Episcopatus, ordinandi Episcopos. Denique Ecclesiæ Hamburgensi omnes donationes & privilegia confirmat. (an. 849)

2. *Anastasium*, Presbyterum *Cardinis* Pontificii, tituli S. Marcelli, excommunicat & deponit, ob quinquennem a sua Ecclesia contumacem absentiam.

Obiit 17 Jul. 855, sedis 9, Synodum Romæ celebravit pro disciplina restauranda. Ludovicum II Lotharii filium coronavit Imperatorem. Saracenos Romæ imminentes repressit, urbem restauravit, Vaticanum mænibus cinxit, & urbem *Leoninam* a suo nomine appellavit.

Articulus VIII.

Benedictus III, 855.

Electus fuerat legitime, cum tetro schismate intruditur Antipapa *Anastasius*, quem Leo IV depositum, ut mox dixi, anathemate perculerat. Cum enim legati electionis Decretum ad Lotharium & Lu- Anast. Antip.

dovicum Imperatores deferrent, in itinere ab Episcopo Eugubino seducti, Anastasium electum nuntiarunt. His igitur conjuncti Legati Imperiales Romam profecti, Anastasium in Lateranense Patriarchium intrudunt, Benedictum vero, Pontificalibus vestibus per vim exutum, & verberibus exceptum, in carcerem detrudunt, donec Imperiales, Cleri obsistentis precibus & constantia victi, Anastasio, homine scelerato, & sacrarum Imaginum persecutore, dejecto, electioni Benedicti consenserunt.

Constitutiones Benedictus edidit 4. Prima ad Hincmarum, Rhemensem Archiepiscopum, directa, Svessionense Concilium approbat; Archiep. Rhemensem Primatem Galliæ declarat, atque nemini, nisi Apost. Sedi subjectum. 2. Monasterii Corbejensis in Gallia. 3. S. Dionysii, 4. Interamnensium privilegia confirmat.

Fabula de Joanna Papissa. *Obiit* anno 858, sedis 3. Quidam, hæretici & schismatici præsertim, inter Leonem IV, & Benedictum III, collocant quandam *Joannam Papissam*; sed putidam esse fabulam dudum demonstrarunt Leo Allatius, Natalis Alexander, aliique viri eruditi: in antiquis Chronicis Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacensis Abbatis, Martini Poloni, & in Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis, illam non inveniri, sed primum recentioribus exemplaribus fuisse per imposturam insertam. Quod statua fœminæ in templo Senensi inter Pontifices fuerit collocata, rudi ævo & simplici credulitati esse attribuendum. Fabulam vero de sella quadam inde esse ortam, quod, dum electus Pontifex in ea sederet, in choro caneretur: *suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem.* Sellam illam etiamnum in Basilica Lateranensi asservari, sed nequaquam esse pertusam.

Articulus IX.

S. Nicolaus I, 858.

65. 1. *Constit.* Ad preces Ludovici Germaniæ Regis Bremensem Ecclesiam unit Hamburgensi, a Lud. Pio fundatæ, ita ut una sit deinceps Ecclesia, & Metropolitana dignitas apud Hamburgensem remaneat: Verdensi vero restituatur, quod ei pro Bremensi detractum fuerat. S. Anschario dignitatem & jus Pallii confirmat.

2. & 3. Fundationes Monasteriorum confirmat.

4. Belgicas Ecclesias Hincmaro Rhemensi ceu Metropolitano subjicit.

5. 6. 7. Privilegium exemptionis tribus Monasteriis, Corbejensi, S. Carilesi, Sublacensi, tribuit.

8. Vehe-

8. Vehementem ad Hincmarum Rhemensem & Episcopos Galliæ dat Epistolam in causa *Rotbadi* (vel Rothaldi) Episcopi Svessionensis, quem Hincmarus, licet appellasset ad Sedem Apost. ab Episcopatu in synodo deposuit, & in carcerem detrudi jussit. Gravissime hoc tulit Nicolaus Papa, atque prolixe demonstravit Primatum & jura Sedis Apostol. ad quam secundum Canones majores causæ, quales utique sint depositiones Episcoporum, sint deferendæ. Et quamvis casus iste non extaret in corpore Canonum, litteras tamen Decretales Pontificum non minoris esse auctoritatis, uti Epistolas Leonis & Gelasii: non fuisse damnandum Rothadum, præsertim post appellationem, sine consensu Sedis Apost. Causa Rothadi.

9, & 10. Rothadum absolvit, innocentem declarat, depositionem invalidam, & Ecclesiæ suæ restituit, omnesque obsistentes anathemate percellit.

Not. Rothadus, Svessionensis Episcopus, Presbyterum, in stupro deprehensum, deposuerat in Concilio, aliumque Presbyterum substituit. Hincmarus Archiepiscopus, vir doctus, sed superbiæ typho inflatus, depositum restituit, & per decem annos Rothadum graviter persecutus est, donec Nicolaus Papa liti finem imposuit, (*Videri potest Pars IV, de Conciliis Sac. IX.*

Obiit Nicolaus 13 Nov. an. 867, sedis 10, auctoritatis Pontificiæ, si quis alius, vindex acerrimus, rerumque gestarum magnitudine clarissimus. Joannem Ravennæ Archiep. cum in jura Sedis Apost. involveret, & in synodo comparere detrectaret, fidelium communione privavit. Gesta heroica. Lotharium compulit, ut ejecta Waldrada pellice Theutbergam reciperet. Ut Rothado, sic Hincmaro Laudunensi contra Hincmarum Rhemensem adstitit. Balduino Comiti Flandriæ, qui Juditham Caroli Calvi filiam abduxerat, excommunicatus propterea ab Episcopis, obtinuit a Carolo Calvo consensum in matrimonium. Engiltrudem a Bosone Comite, marito suo, divertentem, excommunicavit. Paulum & Formosum Episcopos ad Bulgaros, recens ad Christianam fidem conversos, misit. S. Ignatio, Patriarchæ Cpolitano, adversus Photium invasorem adstitit. Celebris est Epistola, quam in hanc rem de auctoritate Sedis Apost. ad Michaelem Imperatorem scripsit. Verum hæc omnia *Part. III & IV* latius deduximus. Eodem, quo Nicolaus Papa decessit, anno Bardas & Michael Imperator, sæculi sui Sardanapalus, fuerunt interempti.

Articulus X.

S. Adrianus II, 876.

1. *Constit.* Actardo Episcopo Pallium mittit, alias ordinarie solis Archiepiscopis mitti solitum.

2. Anastasium, Sedis Pontificiæ invasorem & spoliatorem, a Leone IV, & Benedicto III jam damnatum & excommunicatum, cum scelera sceleribus addere pergeret, iterum anathemate configit.

Obiit anno 872, sedis V. Per legatos suos præsedit Synodo VIII Oecumenicæ, Cpoli celebratæ, in qua damnato Photio restitutus est Ignatius in Patriarchatum; id quod litteris gratulatus est Adrianus Basilico Imperatori, tam sancti operis potenti promotori. Causam Lotharii Regis inconstantis & Teutbergæ conjugis ac Waldradæ pellicis prosequitur, tandemque ad preces Ludovici Imperatoris, Lotharium, emendationem promittentem, ab excommunicatione absolvit. Cum autem Lotharius anno 868 in Italia mortuus esset, regnum, fratri Ludovico Imperatori debitum, invasit Carolus Calvus, Adrianus Papa id illi per litteras exprobrat. Cum vero idem Carolus Rex filium suum Carolomannum regno expulisset, Adrianus illius patrocinium suscepit. Recepit etiam appellationem Hincmari Laudunensis Episcopi, ab Hincmaro patruo in Synodo Duziacensi depositi, prohibuitque alium lite pendente Episcopum substitui.

Articulus XI.

Joannes VIII, 872.

66. Sicut omnes priores Sæculi IX Pontifices, patria fuit Romanus.

1. *Constit.* Monasterium Fuldense cum omnibus suis Ecclesiis, domibus, bonis, exemptum iterato declarat.

2. Confirmat donationem Caroli Calvi, Monasterio S. Vedasti Attrebati factam.

3. Ovetensem in Gallæcia Ecclesiam Metropolitanam declarat.

4. Frotarium Archiepiscopum Burdegalensem ad petitionem Caroli Calvi Imperatoris & Comprovincialium Episcoporum transfert ad Ecclesiam Bituricensem; quia Burdegalensem provinciam Normanni gentiles prope totam occupaverant.

5. 6. 7.

5. 6. 7. 8. 9. Continent confirmationem donationum, Monasteriis ab Imp. Carolo factarum, & translationem Frotarii ad Bituricensem Ecclesiam vacantem; cum in Burdegalensi propter Normannorum invasiones & persecutiones non amplius utiliter laborare posset.

10. Ansegisum Senonensem Archiepiscopum constituit Vicarium Apost. per Galliam, & Germaniam, cum potestate, ad id munus pertinente, convocandi Concilia, eisque præsidendi, Apostolica mandata exequendi &c.

11. 12. 13. 14. Iterum confirmantur privilegia & donationes, variis Monasteriis factæ.

15. Reprehendit Clericos Græcos, quod in Bulgariam, Romanam provinciam, irrepserint, & varias illicitas ordinationes fecerint. Excommunicationem minatur, nisi excedant.

16. Joanni Papæ, dum in Gallias, pacis conciliandæ gratia, fuisset profectus, noctu equi fuerunt abducti, & vas argenteum furto ablatum. Igitur fures excommunicat, nisi intra triduum ablata restituant.

Sequentes Constitutiones rursus complectuntur confirmationes privilegiorum, & donationum, variis Ecclesiis & Monasteriis factarum.

Obiit Joannes VIII, 17 Dec. 882, sedis 10. Mortuo Ludovico II, præterito Ludovico Germanico, Imperatorem salutavit, coronavitque Carolum Calvum, fratrem ejus minorem, & post hujus mortem ejus filium Ludovicum Balbum an. 878, denique anno 880 Carolum Crassum, Ludovici Germanici filium. Portuensem Episcopum Formosum deposuit. Patriarcha Cpolitano Ignatio defuncto, Photium ad petitionem Basilii Imperatoris restituit; quia hoc necessarium putabat ad evitandum schisma, & pacem Ecclesiæ conservandam, cum præter Imperatorem Orientis Episcopi id precarentur, talibus in casibus in Canonum regulis dispensandum ratus. Putant tamen aliqui cum Baronio, ob nimiam facilitatem erga Photium, a prioribus Pontificibus depositum, Joannem appellatum fuisse *Joannam Papissam*; sed ii, in quorum libris recentioribus de tali Joanna fit mentio, eam Leoni IV immediate successisse dicunt, argumento manifesto, quam bene futilis hæc fabula cohæreat, a prudentioribus etiam Acatholicis, explosa.

Articulus XII.

Martinus II, 882.

Tuscus erat natione, *Martinus II,* & etiam *Marinus*, a multis appellatus. Bullas edidit duas, quibus duobus Monasteriis privilegium exemptionis & alia concedit.

Obiit anno 884, sedis 2, tribus legationibus sub prioribus Pontificibus in Orientem perfunctus, omnium, quæ circa Photium acta sunt, illiusque indolis optime gnarus, quamprimum ad Petri Cathedram evectus est, eundem rursus damnavit, & excommunicavit.

Formosus. Formosum autem, quem Joannes VIII Episcopali sede dejecerat, pristinæ dignitati restituit, eumque a Juramento absolvit, quo coactus Joanni VIII promiserat, se in laica communione perstiturum.

Neque hinc inferat quispiam, ex id genus mutationibus & ordinationibus contrariis Romanorum Pontificum, eos esse fallibiles in doctrina fidei; nam in quibus statuerunt contraria, non agebatur de fide, aut doctrina morum generali, sed de disciplina duntaxat Ecclesiastica, quæ pro varietate & circumstantiis temporum prudenti Oeconomia mutari potest, præsertim si Antecessor in facto aliquo particulari, non dogmatico, sed a fide humana dependente, falso laborarit supposito.

Articulus XIII.

Hadrianus III, 884.

Brevis admodum fuit illius Pontificatus; nam cum invitatus a Carolo Crasso Imperatore iter in Galliam esset ingressus, morbo correptus in Monasterio Nonantulano exspiravit, anno 885, sedis 2. Martini Antecessoris exemplo anathema in Photium renovavit, nec Basilii Imperatoris precibus flecti potuit, ut eum Patriarcham agnosceret.

Articulus XIV.

S. Stephanus V, 885.

Constitutione, quam edidit, unica Placentinam Ecclesiam in protectionem Sedis Apost. recipit, & omnia ejus jura, bona, ac privilegia confirmat. *Obiit* an. 891, sedis 6. Pontifex vitæ sanctimonia & doctrina clarus.

Ejus

Ejus tempore, anno videlicet 886, obiit *Basilius Macedo* Orientis Imperator, ad hoc fastigium evectus, postquam Bardam Augustæ Theodoræ fratrem, Michaelis jussu interemit, ac postea etiam ipsum Michaelem, vitæ suæ insidiantem. Catholicam Religionem protexit. Imaginum cultum restituit. Saracenos non raro superavit. Multas construxit, ac restauravit Ecclesias. Ad Bulgaros & Russos sacerdotes misit. Synodum VIII sua auctoritate promovit, in qua dejecto Photio restitutus est Ignatius. Verum, sicut magni etiam Principes sunt obnoxii deceptionibus, *Santabareni* impostoris præstigiis delusus, pristinas laudes non parum obscuravit. Photio Patriarchatum restituit. Leonem innocentem filium in carcerem misit, ac per septennium in eo detinuit. Liberum tandem, senatorum precibus, dimissum, successorem designavit, qui mortuo patre Imperium adeptus, *Sapientis* ac *Philosophi* cognomen promeruit, dum optimis legibus, quarum 113. Codici annexas habemus, gubernavit Rempublicam.

Basilius. Photius. Santab. Leo Sapiens.

In Occidentali Imperio post Carolum M. Ludovicum Pium, Lotharium, Ludovicum II, Carolum Calvum, & Ludovicum Balbum, (quem tamen aliqui solum Regem Franciæ, non autem Imperatorem fuisse scribunt) Carolus Crassus, Ludovici Germanici filius, electus Imperator, Italiam, Galliam, & Germaniam conjunxit; sed cum adversus Normannos infeliciter pugnaret, Imperio se abdicare coactus est, ad summam inediam & calamitatem redactus. Successit ei Arnulphus, ex Carolomano fratre nepos, in regno Germaniæ.

Carol. Crassus.

Articulus XV.

Formosus, 891.

Ab Episcopatu Portuensi a Joanne VIII fuerat depositus, quod legatione in Bulgariam non satis fideliter functus, atque de conspiratione aliqua fuerit suspectus. Marinus Papa ei relaxaverat juramentum, quo Joanni VIII promittere coactus fuerat, laica se communione contentum ad Episcopatum non regressurum, atque Episcopatum illi restituit. Stephano V mortuo, per majora suffragia contra Sergium electus est Pontifex, a tota Ecclesia acceptatus, eamque in quintum annum probe rexit.

891.

Constit. 3. Dorobernensem seu Cantuariensem Ecclesiam Metropolim ac primam in Anglia sedem declarat. 5. Bremensem Ecclesiam, quam Nicolaus I Hamburgensi univerat, Formosus Coloniensi suffraganeam facit, cum aliquo tamen Hamburgensis jure. Reliquis Constit. firmat privilegia Monasteriorum & exemptionem.

Obiit

Obiit 4 April. 896, condemnationem Photii confirmavit. Episcopos & Presbyteros, ab eo ordinatos, pœnitentes recepit. Widonem & Lambertum ejus filium coronavit Italiæ Reges. Postea vero *Arnulphum* Germaniæ Regem Romam invitavit contra tyrannos Italiæ, eumque Imperatorem coronavit.

Arnulphus Imp.

Articulus XVI.

Stephanus VI, aliis VII, an. 896.

Probi sanctique Pontifices hactenus gubernabant Ecclesiam; at vero sub finem Sæculi IX cœperunt luctuosa tempora, præ omni Ethnicorum Imperatorum tyrannide Ecclesiæ exitiosa. Atque imprimis anno 896 *Bonifacius* quidam, quem sextum numerant, Sedem Apost. occupavit: sed post 15 dies eo depulso *Stephanus VI* vel VII fuit intrusus, quem tamen, ad evitandum schisma Ecclesia acceptavit. Sepulti is *Formosi* corpus exhumatum in jus vocavit, quod relicta contra Canones Portuensi Ecclesia, cujus fuerat Episcopus, ad Romanam gubernandam transierit, damnatumque sacris vestibus exui, & abscissis tribus digitis, in Tyberim projici jussit, ordinatosque ab eo rursus ordinari, coacta synodo, præcepit.

Homo malus.

Ejus acta in corpus Formosi.

Non levem hic difficultatem sentiunt, qui cum Bellarmino defendendum suscipiunt, probabile esse, quod nullus unquam Romanus Pontifex, etiam ut persona privata, in hæresin inciderit. Nam de fide est, quod ordines ab Episcopo, etiam deposito & degradato collati, sint validi: Stephanus autem eos invalidos declaravit, jussitque, quod dictum, ordinatos a Formoso iterum ordinari.

Hanc difficultatem ut solvant, in varias abeunt Scriptores sententias. Aliqui putant, eo tempore necdum fuisse clare & expresse definitum ab Ecclesia, quod ordines, ab Episcopo deposito collati, sint validi; cum Joannes Morinus Oratorii Presbyter novissima ætate in *libro de Ordinatione* scripserit, Sacramenta confirmationis & ordinis, ab Episcopo, hæretico, schismatico & degradato collata, non imprimere characterem, eaque sæpius fuisse iterata. Sed hæc opinio non videtur probabilis.

Quomodo excusandus ab hæresi.

Aliqui existimant, Stephanum Ordines declarasse invalidos quoad effectum; quia ordinatus a deposito fit irregularis, ita ut licite ordines susceptos exercere non possit; quo sensu sæpius ab antiquis pronuntiatum, ordines esse irritos, nempe quoad effectum. Alii volunt, Stephanum præcepisse ordines iterari quoad ceremonias accidenta-

dentales, (dispensando in irregularitate) non autem quoad substantiam, ut nempe illos etiam licite exercere possent.

Cum autem responsiones istæ non videantur omnem difficultatem tollere, dici potest cum Bellarmino, & aliis, Stephanum, hominem malum, ferocem, & ira præcipitem, ex odio, quo ferebatur in Formosum (ut satis ostendit ex actis illis in defuncti corpus) peccasse graviter, non tamen errasse in fide, cum probe sciret, sicut baptismum, ita etiam confirmationem & ordinem, a malo ministro, aut Episcopo deposito collatum, esse validum, illaque tria Sacramenta, propter impressum characterem indelebilem non posse iterari. Unde peccavit ipso externo facto, non autem judicio interno contra veritatem revelatam, sicut homines sæpe peccant ex passione inordinata, licet sciant, se imprudenter agere. Multo minus locutus est ex Cathedra; cum nullum decretum, ad totam Ecclesiam directum ediderit, aut circa fidem aliquid definiverit.

Non autem diu sævire licuit Stephano; nam altero mox anno in carcerem detrusus, ibique strangulatus est propter scelera. (*an.* 897)

Articulus XVII.

Romanus, *an.* 897. *Theodorus II*, 897. *Joannes IX*, 898.

Hi tres Pontifices acta Stephani VI in Formosum irrita declararunt. Brevissimus autem fuit eorum Pontificatus; nam Romanus 4 tantum menses sedit, Theodorus 20 dies, Joannes annos duos.

Hoc tempore (anno 899) obiit Arnulphus Imperator, relicto filio *Ludovico IV* infante. Obiit etiam *Wido*, quem pariter Formosus coronaverat. Vicit is æmulum *Berengarium*, Forojuliensem Ducem, qui ad Arnulphum in Germaniam fugit, ejusque opera *Lambertum* Widonis filium corona privavit. Qualis inter hæc Italiæ facies, hominibus non optimis in Sedem Apost. irrumpentibus, provinciis inter Principes varios bello internecino distractis, facile est divinare.

Nempe cum Carolo Crasso extincta erat legitima propago lineæ Germanicæ, ex Carolo M. deductæ; cum Arnulphus natus esset ex pellice. In Gallia longius quidem protendebatur stamen Carolinum, sed regnum inter Carolum simplicem, Ludovici Balbi filium, & Odonem Comitem Parisiensem distrahebatur. Quare Italiæ Principes Widones, Lamberti, Berengarii, tempus adesse rati, quo coronam sibi imponerent, de eadem cruentis bellis, cum atroci provinciarum pernicie inter se dimicabant.

Italiæ calamitas.

CAPUT XI.

SÆCULUM X.

68. Tetra omnino & aspectu horrida est Sæculi X imago; quo aliqui vitæ malæ homines in Sanctissimam Sedem intrudebantur, a Thusciæ præsertim Comitibus, &, quod dictu fœdum, a prostituti pudoris mulierculis. Ecclesia tamen, ne schismate scinderetur, eos etiam acceptavit, agnovitque Pontifices, qui indigni erant tam sancto fastigio, ad quod aliunde quam per ostium fuerant ingressi. Prudenter quippe judicabat, audiendam hic Divini Magistri vocem: quæcunque dixerint vobis, facite, secundum opera vero eorum nolite facere. Quin dici potest, vigilantem super Ecclesiam suam Divinam Providentiam in sceleratis Pontificibus se signasse patentius, quod nullum eorum sineret incidere in crimen hæresis, necdum illam proponere credendam Fidelibus, imo ne quidem ullam per orbem Christianum toto hoc sæculo, moribus depravato, oriri hæresin.

Articulus I.

Benedictus IV, 900. *Leo V*, 903. *Christophorus*, 903. *Sergius III*, 904.

Benedictus IV, piissimus Pontifex, post obitum Arnulphi Imperatoris coronavit ejus filium Ludovicum IV. *Obiit* anno 903, sedis 4. *Leonem V*, post mensem & dies 26, de sede deturbatum in vincula conjecit *Christophorus*, qui Sedem Apost. invasit. Sed post menses 7, a *Sergio III* dejectus, Monachum induere coactus est.

Sergius III igitur, homo impurus ac sævus, qui jam sæpius irruere in sacrarium Domini tentaverat, armis *Adelberti*, præpotentis Marchionis Thusciæ, ejusque uxoris *Theodoræ*, & filiarum *Maroziæ* & *Theodoræ*, impudicarum fœminarum, lenociniis intrusus est; atque Ordinationes, a Formoso factas, & in Concilio Romano a Joanne IX approbatas, sicut Stephanus IV, cujus erat sceleratæ factionis, malitiose irritas declaravit, facto peccans, mentis judicio contrario.

Quamvis autem malus esset homo, totus tamen Christianus orbis eum ut Ecclesiæ Antistitem venerabatur; nam & Coloniensis & Hamburgensis Archiepiscopus Pallium ab eo petierunt, & cum reverentia filiali recepere. Bremensem quoque Ecclesiam a Jurisdictio-

ne

ne Archiepiscopi Coloniensis exemit, cui a Formoso Papa fuerat subjecta.

Obiit anno 911, sedis 8, quo eodem anno Cpoli ex hac vita migravit Leo Philosophus, Orientis Imperator, 25 anno Imperii. Cum Saracenis & Bulgaris conflixit, sæpius victus quam victor. Photium, a patre Basilio in Patriarchatum restitutum, dejecit, & in locum illius substituit fratrem suum Stephanum. Santabarenum, Monachum nequissimum, cujus præstigiis in carcerem olim a patre detrusus fuerat, flagris cæsum & oculis privatum, in exilium ejecit. Cum quartam uxorem duceret, graviter se opposuit Nicolaus Mysticus Patriarcha, Imperatorem ab Ecclesiæ aditu prohibens; sed dejectus sede sua in exilium ejectus est, substituto Euthimio viro piissimo. Reliquit sub tutela fratris sui Alexandri Constantinum filium. Leo Philosophus. De 4tis nupt.

Articulus II.

Anastasius III, 911. *Lando*, 913. *Joannes X*, 914.

Sedit Anastasius duos duntaxat annos & duos menses: Lando menses quinque. Joannem is in gratiam Theodoræ Senioris, magna Romæ potentia valentis, ab Episcopatu Bononiensi ad Ravennatensem transtulit. Post mortem vero Landonis, ejusdem Theodoræ artibus idem, quem deperiebat, *Joannes* in Petri Cathedram intrusus, dictus est Joannes X, qui melius Pontificatum gessit, quam adeptus est.

Saracenos quippe, jam dudum Romæ totique Italiæ infestos, profligavit, Græcorum copiis adjutus: quartas nuptias esse concedendas, missis Cpolim Legatis, contra eosdem Græcos decidit. Lites inter Episcopos composuit. *Berengarium juniorem* Regem Italiæ & Imperatorem coronavit, regnante in Germania Conrado I, in Gallia Carolo simplice: non tamen laudandus, quod Hugonem puerum quinquennem, ab Heriberto patre, Aquitano Comite, intrusum, in Archiepiscopatu Rhemensi confirmarit. Sed ferreo illo sæculo multa erant dissimulanda, ac dispensanda. Anno 928 a Widone, instinctu *Marozia* uxoris, throno dejectus Joannes, & in custodiam ductus, misere occubuit, cervicali, ut quidam scribunt, suffocatus, postquam annos 15, menses 2, Ecclesiam utiliter rexerat. Gesta Joannis X.

Constitutio ejus in Bullario extat unica, qua confirmat privilegium exemptionis Monasterio B. V. Veronensi.

Articulus III.

Leo VI, *an.* 928. *Stephanus VII*, 929. *Joannes XI*, 931. *Leo VII*, 935.

Leo VI, cum Tuſculanorum Comitum, & muliercularum potentia omnia Romæ miſcerentur, in carcerem truſus *obiit* anno 929, poſtquam ſedit 7 menſes.

Stephanus VII vel VIII, ut aliqui notant, duas Conſtitutiones edidit. 1. Confirmat Abbatiam Bronienſem in Comitatu Namurcenſi. 2. Monaſterium Vulternenſe in Samnitibus. *Obiit* an. 931, ſedis 3 inchoato, Imperante in Oriente Conſtantino VIII Porphyrogenito, Leonis Philoſophi filio, in Occidente Henrico Aucupe.

Joannes XI, ſi fides Luitprando, Sergii ex Marozia filius, intruſus, ab Alberico fratre ſuo in carcerem conjectus, *obiit* anno 936, ſedis 5. Conſtitutione edita Metropolitanæ Eccleſiæ Toletanæ ſua confirmavit privilegia.

Leo VII, Pontifex optimus, atque meliori tempore digniſſimus. 1. *Conſtit.* Vetat, ne Monaſterii S. Martini Turonenſis ambitum ingrediantur fœminæ, niſi orationis gratia. 2. Monaſterio Floriacenſi in Gallia ſua jura, bona, & immunitates confirmat. 3. Monaſterium S. Eraſmi Romæ in monte Cœlio deſolatum cœnobio Sublacenſi donat & unit. 4. Ingemiſcit ſuper collapſa Eccleſiaſtica diſciplina: multa contra Canones fieri, paſtoribus non raro in lupos mutatis. Gerardo Archiepiſcopo ſacra Apoſtolorum limina viſitanti ac dubia proponenti reſpondet, augures, incantatores, maleficos ad pœnitentiam trahendos, &, ſi Eccleſiaſtica Judicia ſpreverint, humanis legibus coercendos: cognationem ſpiritualem eſſe impedimentum dirimens matrimonii declarat: Presbyteris graviter eſſe prohibitum ducere uxores, lamentaturque de morum corruptela. A Chorepiſcopis neque Presbyteros eſſe ordinandos, nec Eccleſias conſecrandas. Conjunctas in tertio vel quarto gradu mulieres non eſſe ducendas. Gerardo, Apoſt. Sedis Vicario obedientiam præſtandam. Eberardum Ducem Bavariæ hortatur, ut Gerardo auxilium præſtet ad priſtinam diſciplinam reducendam.

Leo VII diſciplinam reſtaurare conatur.

Obiit Leo VII, anno 939, ſedis 4 inchoato, lumen in illis tenebris ſplendidiſſimum; quo ut diutius illuſtraretur, dignus non erat mundus, in maligno poſitus.

Articulus IV.

Stephanus VIII, 939. *Marinus II*, 942. *Agapetus II*, 946.

Stephanus VIII, natione Germanus, ab Alberico Thusculano Comite, qui tyrannidem Romæ exercebat, captus, ac crudeliter est habitus. *Obiit* anno 942. confirmavit jura Ravennensis Ecclesiæ. Cum Hugo Magnus, Heribertus, aliique in Gallia Proceres adversus Ludovicum Transmarinum. Caroli simplicis filium, conspirassent, legatione missa, ad obsequendi officium eos revocavit. *Obiit* anno 942, sedis 4.

Marinus II, quem aliqui Martinum III dicunt, Romanus, virtutibus excellens Pontifex, obiit anno 946, sedis quarto. *Const. unica* confirmavit bona ac jura Monasterii Vulturnensis.

Agapetus II, omnes probi & vigilantis Pontificis partes implevit. Constitutiones edidit septem. Prioribus variorum Monasteriorum & Ecclesiarum jura & privilegia confirmat. Ultima litem gravem dirimit inter *Laureacensem* & *Salisburgensem* Ecclesias exortam. Refert in ea, utriusque Antistitem jus Pallii & Metropolitani prærogativam prætendere, cum tamen in una provincia non possint esse duo Metropolitæ aut Archiepiscopi. Fuisse autem antiquitus urbem Laureacensem metropolim & Archiepiscopi sedem. Hanc a Præsulibus jam ab ipsis nascentis Ecclesiæ exordiis inter persecutiones Christianæ fidei rudimenta hausisse, eademque ab iisdem in utramque Pannoniam fuisse propagata, ut adeo Laureacenses Antistites Norici & Pannoniæ fuerint Apostoli & Archi-Præsules, & quidem usque ad irruptiones Hunnorum, a quibus Laureacum & adjacentes regiones funditus sint devastatæ. 69. Lis Laureacensis & Salisburgensis decisa.

Necessitate ista compulsos Præsules Laureacenses alio sedem transtulisse, & Archiepiscopalem titulum deseruisse, Salisburgensem autem Antistitem Arnonem ab Apostolico per Bavariam Vicario renuntiatum fuisse Archiepiscopum. Restaurato autem Laureaco, mandat Agapetus Papa, ut Gerardus Præsul iterum Laureaci sedem figat, eique Archiepiscopi ac Metropolitani dignitatem restituit; atque de novo Pallium concedit, ejusque successoribus.

Quia autem in una provincia non possunt esse duo Archiepiscopi, Noricum in duas provincias dividit, quarum uni præsit Salisburgensis Archiepiscopus, adjecta Occidentali Pannonia, alteri vero Laureacensis cum Jurisdictione Archiepiscopali in Orientalem Pannoniam, atque regionem Avarorum & Sclavorum, in quibus eum Vicarium Apost. Sedis constituit, cum potestate erigendi Episcopatus &c. Si

Heroldus, Salisburgensis Archiepiscopus, aut ejus Successores huic divisioni nollent acquiescere, censuram ipsis minitatur, & utramque Pannoniam Laureacensi adjudicandam.

Obiit Agapetus anno 956, sedis 11.

Articulus V.

Joannes XII, 959.

70. *Octavianus*, Clericus & Patricius Romanus, 18 annorum Juvenis, Alberici, tyrannidem Romæ exercentis, filius, sanctam sedem invasit, &, ad majora evitanda mala, acceptatus ab Ecclesia, *Joannes XII* dici voluit, primus, qui nomen suum mutavit.

Constitutiones edidit tres, quibus jura Ecclesiæ Beneventanæ, Abbatiæ Humolariensis, & Vulturnensis confirmat.

Othonem Imp. creat. *Othonem I*, Germaniæ Regem, postquam Berengarium II dejecit, Imperatorem renuntiavit Romæ ac coronavit, anno 962. Verum altero mox anno, Alberico obnoxius, fidem datam fefellit. Quare Otho Imperator, cum exercitu in Italiam regressus, coacto Romæ conciliabulo, in depositionem Joannis, de gravissimis criminibus accusati, consensit, uti etiam in intrusionem *Leonis VIII* Antipapæ. Leo VIII intrusus. At eo post duorum mensium spatium deturbato, restitutus est Joannes, qui habita Synodo Episcopos, qui Leonem ordinaverant, anathemate fulminavit, atque deposuit.

Obiit 14 Maji 964, sedis 8. Mortem ejus infelicem describit *Luitprandus* Episcopus Cremonensis; sed cum is Othoni M. addictissimus, partibus Leonis Antipapæ adhæserit, merito suspecta esse potest ejus fides, dum gravissima Joanni, aliisque etiam quibusdam Pontificibus impingit scelera. Hoc certum, quod Protestantici Scriptores, qui Mali Pontifices non obsunt fidei Cathol. exemplo Ilreitingeri, Tigurini Ministelli, calamum tanto cum gustu intingunt in sordes quorundam Pontificum, illisque chartam illinunt, nihil proficiant contra Catholicam Ecclesiam, imo neque contra infallibilitatem Pontificum; nam imprimis nullus ex paucis illis, qui fuerunt malæ vitæ Pontifices, ullam doctrinam contra fidem aut bonos mores Ecclesiæ proposuit, vigilante pro illa Divina providentia: dein nullus unquam Pontifex sceleribus æquavit spurcum aliquem Lutherum aut impium Calvinum. Demum non est incredibile, quod Divina providentia assistat Pontifici, malæ etiam vitæ, ne in doctrina fidei aut morum aliquid mutet. Contra vero est prorsus incredibile, quod Deus turpi scurra, & sceleribus contaminato homine utatur tanquam in-

instrumento ad mundandam reformandamque Ecclesiam, novamque doctrinam fidei & morum inducendam.)

Articulus VI.

Benedictus V, 964.

Romani, metuentes, ne Leo VIII Antipapa auctoritate Othonis Imperatoris obturbet, illico post mortem Joannis XII, elegerunt Benedictum V, S. R. E. Diaconum. Otho hoc audito, Romam profectus est, ut de Romanis, qui ei promiserant, se nullum absque ejus consensu creaturos Pontificem, vindictam sumeret. Occlusere Romani portas venienti, sed obsidione & fame pressi, ejus potestati se permisere. Ingressus urbem Imperator Leonem VIII denuo intrusit: Benedictum V vero legitimum Pontificem in Germaniam abductum Hamburgensi Archiepiscopo custodiendum tradidit. *Obiit* ibidem 4 Julii 964, post aliquot mensium luctuosum Papatum. Corpus ejus postea Othonis III mandato Romam translatum est. 71. Hamburgum abductus.

Interea autem *Leo VIII* Antipapa Sedi Apost. sæculari potestate fultus, incubans, conciliabulum coegit, in quo edita ab eo fuisse Constitutio narratur, & Othoni Imperatori ejusque successoribus concessa potestas eligendi summum Pontificem, eumque investiendi, prout ex Gratiano (cui criterium in discernendis Constitutionibus genuinis ab apocryphis defuisse, omnes recte sentientes facile agnoscunt) *dist.* 63 *cap.* 23. Goldastus aliique Protestantes (quibus accessit Petrus de Marca scriptor æquivocus) pro sua in Sedem Apost. devotione, alto clamore ebuccinant. Leo VIII. rursus intruditur. Constit. de jure Othoni concesso.

Verum Card. Baronius aliique plures invictis argumentis demonstrant, Constitutionem illam esse suppositiitiam. Et quid? si permitteretur esse genuina, profecta esset ab eo, quem Ecclesia tanquam Antipapam damnat. Periit is (Leo VIII) eodem anno, quo Benedictus V Hamburgi pie decessit. Suppositiitia.

Articulus VII.

Joannes XIII, 965.

Mortuo Leone Romani Benedictum V repetierunt; sed, cum eum jam obiisse intelligerent, elegerunt Joannem XIII, qui 16 Constitutiones edidit.

1. Magde-

Magdeburg. 1. Magdeburgense Monasterium, ab Othone M. fundatum, ad ejusdem petitionem in Archiepiscopatum convertit, eique Monasterium Merseburgense, in Episcopatum mutatum, suffraganeum subjicit, ad Slavorum conversionem. 2. Confirmat privilegia, Bononiensi Ecclesiæ concessa.

Herold. Salisb. punitus. 3. *Heroldus*, Archiepiscopus Salisburgensis, qui ob proditam Infidelibus suam Ecclesiam oculis fuerat orbatus, atque ab officio suspensus, cum nihilominus sacra perageret mysteria, in Synodo Ravennatensi fuit depositus, Fridericus vero ejus loco Archiepiscopus creatus.

4. Concedit Edgaro, pientissimo Angliæ Regi, ut expulsis Clericis indisciplinatis, in Episcopatu Wintoniensi Monachi substituantur.

Fuld. Primas, 5. Abbati Fuldensi inter omnes Germaniæ & Galliæ Abbates Primatum concedit.

Et Trevir. 7. Sicut Trevirensem inter Episcopos primum declarat; quia illa Ecclesia prima esset erecta a Sanctis Apostolis, Eucherio, Valerio, Materno, a S. Petro ad prædicandum missis.

8. In Synodo Romana Episcopatum Bononiensem in Archiepiscopatum erigit.

10. Uti etiam Pragensem Episcopatum constituit.

In reliquis varias Ecclesias & Monasteria confirmat.

Obiit an. 972, sedis 7, Othonem II coronavit Imperatorem, sub quo Polonia ad fidem conversa est cum Duce suo Wiecislao. Objicitur huic Pontifici a Protestantibus, quod primus campanas *baptizarit*. Absit a voce invidia, non baptizantur, sed benedicuntur.

Articulus VIII.

Benedictus VI, 972. Donus II, 974.

Salisb. Primas. *Const.* 2. Fridericum Archiepiscopum Salisburgensem ejusque Successores Apost. Sedis Vicarios per Noricum, & Superiorem atque Inferiorem Pannoniam constituit.

Post annum unum & tres menses in carcerem trusus & strangulatus est piissimus Pontifex a Francone quodam Theodoræ filio, qui sedem invasit, & *Bonifacium VII* se dixit. Sed hoc post mensem depulso *Donus II* evectus est, qui anno vertente obiit 975.

Articu-

Articulus IX.

Benedictus VII, 975.

Const. 2. Ecclesiam Laureacensem a Jurisdictione Archiepiscopi Salisburgensis iterum eximit. Divisionem limitum utriusque Archiepiscopi, ab Agapeto factam, confirmat. Laureacensem Sedis Apost. Vicarium per Pannoniam constituit, quam dignitatem Benedictus VI Salisburgensi detulerat. Reliquis Constitutionibus privilegia & donationes, pluribus Monasteriis factas, confirmat.

Obiit 10 Julii 984, sedis 10, Imperante in Occidente Othone II, in Oriente Basilio & Constantino, ex *Basilii* Imperatoris stirpe prognatis; nam Basilio Macedoni successit anno 886 *Leo Philosophus* filius, Leoni filius *Constantinus VIII*, qui vel solus vel cum Alexandro patruo, tutore suo, vel cum Romano Seniore, in consortem assumpto, 47 annos imperavit, Religionis & litterarum cultor eximius, sed negligens thori custos ac Reipublicæ. Constantinum Ducam multosque Patritios, ob gestum oscitanter Imperium conspirantes, jussit interfici. Orientis Imperatores.

Constantino successit *Romanus Junior* filius, anno 959, qui Saracenos per Ducem præstantem *Nicephorum Phocam* profligavit. Exhaustis intemperantia viribus obiit anno 963, Imp. 4, succedere tunc debebant ejus filii Basilius & Constantinus, sed spreta eorum tenera ætate, exercitus *Nicephorum Phocam*, victoriis, a Saracenis relatis, clarum, Imperatorem proclamavit, quem Polieuctus Patriarcha coronavit, sed nuptias ejus cum Theophanone Romani vidua approbare noluit, quod diceretur, ejus liberos sacro e fonte suscepisse; sacrorum aditu Imperatori propterea interdixit, donec is ostenderet, liberos uxoris non a se, sed patre suo Barda fuisse levatos. Romanus. Niceph. Phocas. Cognatio Spirit.

At perfida *Theophano*, Joannem Zimiscen deperiens, Nicephorum conjugem interemit. *Zimisces* anno 969 proclamatus Imperator, volente & jubente Patriarcha, Theophanonem in exilium ejecit, *Basilium* vero & *Constantinum*, ejus & Romani Junioris filios, consortes Imperii adlegit. Quamvis autem malus fuerit illius ad Imperium ingressus, numeros tamen omnes boni Imperatoris implevit. Dei gloriam actionum suarum metam posuit, cultor etiam eximius Divinæ Matris. Et respexit cœlum devotam sibi mentem, amplas de Saracenis, Russis, Scythis victorias largitum. Sed religiosissimus Princeps, de omnibus bene mereri cupiens, veneno, a cubiculario suo porrecto, brevi periit, anno 975.

Articulus XI.

Gregorius V, 996.

Bruno, natione Germanus, ex Othonis M. ut plures scribunt, 73.
prosapia oriundus, electus Pontifex sub nomine Gregorii V.

Verum *Crescentius* Romanus Patritius, qui jam ab anno 990 Romæ tyrannidem exercuit, Gregorium an. 997. Roma expulit, & Joannem Episcopum Placentinum, natione Græcum, intrusit, qui se Joannem XVI nominavit. Postquam autem per menses 10 hic usurpator loco non suo incubavit, Otho III, ex Germania cum copiis Romam delatus, eundem, oculis, auribus, naribus mutilatum, atque asello, facie ad caudam versa, impositum, circumduci per urbem jussit; Crescentius autem cum suis asseclis ultimo supplicio est affectus. Gregorius Romam reductus, Othonem coronavit Imperatorem. Crescentii tyrannis.

Constit. 2. Duobus Monasteriis, Stabulensi & Malmundariensi, unum Abbatem vult præsidere, alternative ex uno & altero Monasterio a Monachis eligendum.

4. Antipapa Joannes XVI Placentinum Episcopatum Ravennatensi Metropolitanæ Ecclesiæ subtraxerat: Gregorius eundem rursus eidem subjicit tanquam suffraganeum.

Reliquis Constitutionibus Antecessorum exemplo variis Ecclesiis & Monasteriis privilegia confirmat, augetque.

Obiit, anno 999, sedis 3, Pontifex, qualem tempora illa requirebant, disciplinæ restaurandæ desiderio mirifice flagrans. Dolendum, quod Pontificatus brevitas plura consilia optima præciderit.

Institutos ab eo & Othone III Septemviros seu S. R. I. Electores, multi sunt Scriptores, qui testantur; prout in proœmio ad Partem VII, latius disserui. Instit. Septemvir.

Duas Romæ Synodos celebravit: in prima matrimonium Roberti Galliæ Regis cum Bertha ob consanguinitatis impedimentum declaravit irritum; nec Regem ante ad communionem admisit, quam eandem dimitteret. Altera Septemviratus institutus fertur.

Articulus XII.

Observatio in Sæculum X.

Quamvis ferrugineum hoc sæculum tolerare debuerit aliquos Pontifices, uti Sergium III, & Joannem XII, per abusum sæcularis potestatis intrusos, qui Ecclesiam malæ vitæ exemplis scandalizarunt, 74. Doctrina Integra.

nemo tamen ab Ecclesia propterea separandum se putavit, quin imo hoc ipso sæculo majorem in modum aucta est illa, Polonis, Normanis, Sclavis, Russis, Danis, ad fidem orthodoxam traductis. Vita Monastica per S. Romualdum Camaldulensium fundatorem, & Bernonem Abbatem, qui Cluniacenses instituit, illustrata. Et quot aliis sanctis hæc ætas floruit! Imperatores Germani Conradus, Henricus, tres Othones, Henricus sanctus quanta fide, religione, integritate Principes! Robertus Galliæ, Eduardus Angliæ, Stephanus Hungariæ, Olaus Norvegiæ, Wenceslaus Bohemiæ Reges, quanta vitæ sanctimonia Ecclesiam Catholicam exornarunt! quid sacros Antistites memorem, Udalricos, Conrados, Dunstanos, Adalbertos, Oswaldos, Wolfgangos, Brunones Heribertos Colonienses, Bernardos Hildesienses, Lambertos Ultrajectenses, Elias & Quarinos, sanctissimos Vallesiæ Episcopos? quid sanctos Abbates, Odones, Odilones, Odemaros, Majolos, aliosque viros innumeros, religione, morum probitate, signis etiam & prodigiis coram toto mundo conspicuos? ipse quoque sexus infirmior quot exhibet heroides, illius ævi, palmis & adoreis gloriosas, Mathildes, Adelhaides, Edithas, Kunegundas?

Propagata Ecclesia.

Ordo Monast.

Sancti.

Haberent profecto Acatholici Scriptores, in quæ obtutum defigerent, illustria virtutum exempla, nisi volupe ipsis esset, sordes unde unde congerere, & legentium naribus obtrudere. Scelera erunt in mundo, dum mundus stabit, inimico humani generis optimæ segeti superseminante zizania. In fide nihil mutatum, nihil in doctrina morum, pro disciplina restauranda, optimæ præscriptæ leges. Eandem obscuriore etiam hoc sæculo illustrarunt viri doctissimi, & in Oriente quidem ipse Leo *sapiens* Imperator, & ipsius Logotheta seu Cancellarius Simeon *Metaphrastes*, qui vitas sanctorum ordine concinno scripsit: de hoc opere erudita crisi scripsit Leo Allatius; *Constantinus Porphyrogenitus*, Leonis sapientis sapientissimus filius, in omni studiorum genere versatissimus, multa perdocta opera scripsit de Imagine Christi ad Abgarum Regem Edessæ missa, indeque Cpolim transportata, de moribus, de vita Basilii Imperatoris avi sui, de rite administrando Imperio: 17 Constitutiones Novellas: de virtutibus & vitiis &c. Adhæc Joannes Cameniata, Hippolytus Thebanus, Eutychius, Nicephorus Philosophus, Suidas &c. varia opera reliquerunt.

Docti.

In Occidente Sæc. X floruerunt *Flodoardus* Canonicus Rhemensis, postea Monachus Benedictinus, & Abbas S. Remigii Rhemensis. Scripsit Historiam Ecclesiæ Rhemensis; Chronicon suæ ætatis; de triumphis Martyrum & Confessorum Italiæ, Palæstinæ, & Antiochiæ, ligata oratione; de miraculis item sui temporis.

Scriptores.

Abbo

Abbo Floriacensis Abbas scripsit Epitomen de vitis summorum Pontificum, & sacrorum Canonum: *Aimoinus* Monachus Floriacensis Historiam Francorum: *Herigerus* de reali præsentia corporis & sanguinis Domini in Eucharistia; aliique plures ex Ordine S. Benedicti plura doctissima opera. *Luitprandus* Episcopus Cremonensis reliquit Historiam de gestis Imperatorum & Regum per Europam, sed ea ab alio auctore est interpolata. Plura alia scripta, uti de gestis Romanorum Pontificum, sub nomine Luitprandi edita, Critici eidem denegant.

Burchardus Episcopus Wormatiensis in libris 20 exhibuit veteres Ecclesiæ Canones, quibus dein Gratianus in Decreto suo usus est, quamvis non omnes ex genuinis fontibus essent hausti. Notkerus Balbus Monachus S. Galli, præter alia opera doctissima, edidit Martyrologium, pluresque alii ex eodem jam tunc celeberrimo S. Galli Monasterio præclara doctrinæ monumenta reliquerunt. Collectio Canonum.

CAPUT XII.

SÆCULUM XI.

Articulus I.

Sylvester II, 999.

Gerbertus, natione Gallus, patria Aquitanus, humili genere natus, sed ingenio excellens, Bobiensis Monasterii Abbas, Othonis III, & Roberti Galliæ dein Regis Moderator, tum Rhemensis Archiepiscopatus invasor, a Joanne XVI depositus, a Gregorio V Ravennatensi Ecclesiæ præfectus, demum summus Pontifex electus.

1. *Constit.* Fuldensibus Abbatibus Primatum confirmat: exemptos declarat, & jus appellandi ad Sedem Apost. Episcoporum more concedit.

2. Sacram coronam S. Stephano mittit, eumque Regem Hungariæ renunciat. Crucem ante se præferendi privilegium concedit, prout etiam auctoritate Apostolica constituendi Episcopos, quorum Primatem Strigoniensem designat. Rex vero suum regnum Sedi Apostolicæ offert; Papa illud in protectionem recipit, & Stephano ejusque successoribus gubernandum reddit.

3. Arnulphum Archiepiscopum Rhemensem, a se olim dejectum, restituit.

Fabula de Magia. *Obiit* anno 1003, sedis 5 inchoato. Fabulam de Sylvestri magia & necromantia commentus est Benno Pseudo-Cardinalis, scriptor schismaticus, Pontificum plurium malignus calumniator, eamque pro simplici illa ætate nimis leviter scriptis suis intulerunt Sigebertus, Martinus, Antoninus, Bellovacensis, Platina, multo posteriores, cum tamen nullus scriptor coævus mentionem de ea re faciat. Fabula inde profecta existimatur, quod Sylvester, mathematicis disciplinis probe eruditus, mechanica quædam & optica exhibuerit, ex quorum admiratione rudis ætas dæmonis ope ea patrata existimarit.

Articulus II.

Joannes XVII, 1003. *Joannes XVIII*, 1003.

Joannes XVII, sic dictus, ne confunderetur cum Joanne XVI Antipapa, contra Gregorium V intruso, cujus nomine per totum orbem sparsæ fuerant epistolæ, sedit menses duntaxat 5, dies 25.

Suffectus est *Joannes XVIII*, itidem Romanus, *Constit.* 3, ab Henrico sancto fundatum Episcopatum Bambergensem confirmat, eumque a sæculari potestate eximit, Metropolitano tamen Moguntino subjectum. Episcopus Herbipolensis aliquam Parochiæ sui Episcopatus partem pro novo Episcopatu ultro cessit.

Reliquis tribus Constitutionibus privilegia Monasteriorum confirmat.

Obiit anno 1009, sedis 6.

Articulus III.

Sergius IV, 1009. *Benedictus VIII*, 1012.

Saraceni in Palæst. *Sergius IV*, Os porci antea dictus, septem Constitutiones reliquit, quas, quia nihil, nisi Monasteriorum privatorum confirmationes, & gratias, eis collatas, continent, in hoc brevi compendio prætereundas existimo. *Obiit* anno 1012, sedis 3. Ejus tempore Judæi & Saraceni Basilicam sacri sepulchri, ab Helena Jerosolymis constructam, everterunt, volentes etiam templum Bethleemiticum & Monasterium in monte Sinai diruere, sed prodigiis deterriti, copiam fecerunt Christianis, Ecclesiam S. sepulchri rursus ædificandi, quæ tamen pulchri-

pulchritudine & amplitudine inferior fuit priori, ut testatur Ademarus, temporis illius scriptor.

Suffectus est *Benedictus VIII*, quem tamen Gregorius quidam Antipapa per vim expulit. Benedictus in Germaniam ad S. Henricum confugit, qui in Italiam Romamque movens pulso invasore Benedictum restituit, a quo Imperator est coronatus, & Cunegundis conjux Imperatrix. Bened. restitutus ab Henr. S.

Constitutiones plures publicavit Benedictus VIII, quibus privilegia omnia, a quibuscunque concessa, confirmat Ecclesiæ Bambergensi, Paderbornensi, variisque Monasteriis.

Obiit anno 1024, sedis 12. *Symbolum* in Ecclesia Romana, suadente S. Henrico, cantari jussit; quod ad id usque tempus fuerat omissum, quia Sedes Romana nullo unquam tempore fuerat hæresi ulla fœdata, propter quam causam in aliis Ecclesiis Symbolum fidei fuisset frequentatum. Saracenos & Græcos, Italiam invadentes, fugavit Normanorum ope, qui ex hostibus post conversionem facti sunt defensores Ecclesiæ. Symbolum.

Articulus IV.

Joannes XIX, 1024.

Fuit is Benedicti VIII germanus frater, e statu laicali ad Pontificatum assumptus.

2. *Constit.* Suppresso *Patriarchatus Gradensis* titulo Insulam Gradensem cum Patriarchatu Aquilejensi unit, quem habere vult primatum super omnes Italiæ Ecclesias, primumque locum post Romanam Ecclesiam, & Patriarcham totius Occidentis. Decretum suum de Patr. Grad. revocat.

3. Hoc privilegium & unionem, a Poppone Patriarcha Aquilejensi sub- & obreptitie obtentum, revocat, & Gradensem Patriarchatum, quem Poppo scelerate spoliavit, restituit. Prudenter siquidem & juste agit Sedes Apost. si melius edocta revocet sua Decreta, disciplinam spectantia.

Obiit anno 1033, sedis 10 inchoato. Conradum II Salicum Romæ Imperatorem coronavit. Patriarchæ Cpolitano, titulum *universalis* prensanti, restitit.

Post mortem Basilii & Constantini fratrum Orientis Imperatorum, *Romanus Argyrus* cum *Zoe*, Constantini filia, Imperium obtinuit anno 1028, sed quinto post anno Zoe conjux perfida & adultera veneno eum sustulit, atque *Michaeli Paphlagoni*, cujus consuetudine jam tenebatur, nupta, coronam in dotem attulit. At ille decursis in Imperio, Zoe trium Imp. conjux aut pellex.

Imperio, quod probe administraverat, octo annis, scelerum, quæ cum Zoe commiserat, pœnitens, Monasterium ingressus, vitam sancto fine coronavit. Imperium autem temporale *Michaeli Calaphati*, suo ex sorore nepoti reliquit, qui Zoen Augustam in exilium ejecit. Sed cum male administrasset Rempublicam, eo dejecto, revocata Zoe ad gubernaculum, *Constantino Monomacho* nupsit, qui profligatis hostibus, magna cum laude 12 annis imperavit, rejecto, quod Michael Cerularius instauraverat, schismate, ut postea dicetur.

Articulus V.

Benedictus IX, 1039. *Gregorius VI*, 1044. *Clemens II*, 1046.

75. Malus homo. Jam nubila redeunt tempora; Benedictus, Alberici Comitis Tusculani filius, Benedicti VIII, & Joannis XIX nepos, 18 annorum Juvenis, per Simoniam ingressus ad sacrum Principatum, homo fuit, Stephano VI, Sergio III, & Joanni XII comparandus: acceptatus nihilominus pacis gratia ab Ecclesia.

Turbæ. Postquam autem 10 annis sedit, contraria Tusculanis factio, Ptolomæo Consule Duce, Joannem Episcopum Sabinensem Antipapam intrusit, qui dici voluit *Sylvester III*, hunc Benedictus IX, suorum Tusculanorum ope tres menses expulit, & sedem suam recepit.

S. Sedis invasiones. Tertius actor in scenam prodiit *Gratianus*, Archipresbyter S. Joannis ante portam latinam, qui bona intentione, ut Ecclesiæ pacem redderet, promissa pecunia obtinuit, ut tam Benedictus IX, quam Sylvester III, Pontificatu se abdicarent. Electus tunc ipse Gratianus, dictus *Gregorius VI*, ab omnibus pro legitimo Pontifice habitus, licet forte per Simoniam esset electus.

Sed necdum turbarum finis; nam postquam Gregorius VI in tertium annum Pontificatum administrasset, in Synodo Sutriensi anno 1046, vel tanquam dubius Pontifex fuit depositus, vel, quod verosimilius, ut ex integro pacem daret Ecclesiæ, se ultro Pontificatu abdicavit, electusque est in illa Synodo *Suidgerus*, natione Saxo, Episcopus *Bambergensis*, qui Clemens II est appellatus; sed 9 tantum mensibus & 26 diebus rexit Ecclesiam; nam postquam Henricum III coronasset Imperatorem, cum eodem in Germaniam profectus est, cumque inde in Italiam rediret, in itinere obiit; corpusque Bambergam translatum sepulchro ibidem est illatum.

Clem. II.

Ecclesiæ Calamitas.

Clemente II mortuo intrusus est tertio Benedictus IX, qui per octo adhuc menses sedem occupavit.

Isti autem Pontifices complures Constitutiones ediderunt; & quidem] Benedictus IX. *Const.* 1. Confirmavit Canonicis Florentinis bona, ab Episcopo ipsis concessa. 2. Benedictionem Abbatis Cassinensis sibi reservat. 3. B. Simonem Siracusanum albo sanctorum inserit. 6. Rescindit quamcunque Bullam, Popponi Patriarchæ Aquilejensi concedentem jus in Insulam Gradensem.

Gregorius VI confirmavit aut contulit privilegia variis Monasteriis, uti Perronensi, Perrusino S. Petri, Farfensi.

Clemens II, 1. Fuldensi Monasterio suas exemptiones rursus confirmat. 2. Ravennatensi Archiepiscopo primum post Romanum Pontificem locum in synodo dandum decernit. 5. Ecclesiæ Bambergensi omnia jura & privilegia confirmat.

Articulus VI.

Damasus II, 1049. *S. Leo IX*, 1049.

Post obitum Clementis II Benedictus IX, quod dixi, Sedem 76.
Apost. invasit, & per 8 menses detinuit. Tum vero electus est *Poppo* natione Bavarus, Episcopus Brixinensis, *Damasus II*, commendatione Henrici III Imperatoris: sed is post 23 dies a sua inauguratione obiit. Dam. II.

Henricus III Imp. intellecta Damasi morte, cum timeret, ne indignus aliquis rursus intruderetur, in Conventu Wormatiensi nominavit *Brunonem*, Episcopum Tullensem, e nobilissima Comitum *Dachsburgicorum* in Alsatia ortum prosapia, virum, uti litteratura, sic virtute præstantem. Sed noluit acceptare Pontificatum, donec intelligeret, Clerum & populum Romanum consentire. Romam absque ornatu Pontificio nudis pedibus cum Hildebrando ingressus, summa omnium voluntate fuit exceptus, ac *Leo IX* appellatus. Leo IX.

Complures Constitutiones vulgavit, quarum notabiliores sunt, *sexta*, qua privilegia & exemptionem Monasterii *Agaunensis* in Vallesia, per quod in Italiam transiit, confirmat, commendatione Henrici III Imp. *Nona*, qua confirmat fundationem Monasterii S. Crucis Donawerdæ, sanctæque Crucis particulam perpetuo ibidem asservari præcipit. *Undecima*, donationes Ecclesiæ S. Martini & Laurentii in Hesse, a consanguineis suis factas in Alsatia, approbat: cum ibi sit sepulchrum suæ familiæ. 13tia. Continet Canonizationem B. Gerardi Exemptio Agaun.

Tullensis Episcopi. 25ta. Hermanno Archiepiscopo Coloniensi dat titulum Cancellarii S. R. E. In Ecclesia autem Coloniensi creantur septem Presbyteri Cardinales, totidemque Diaconi & Subdiaconi, qui Dalmaticis induti ministrent. 30ma. Bambergensi Episcopo usum Pallii concedit. 31ma. Cum olim 205 Episcopi Concilio Carthaginensi interfuisse memorentur, nunc 5 tantum in tota Africa Episcopos esse deplorat. Synodos, in quibus agitur de Episcopo deponendo, solius Rom. Pontificis auctoritate convocari posse, ostendit. 33tia. Qui bona sua ad pias causas vult applicare, non omnia Monasteriis debet donare, sed partem mediam parochiæ.

Obiit 19 April. 1054, sedis 6 inchoato, ætatis 50. Pontifex singulari vitæ sanctimonia clarus, cujus vitam scripsit Wibertus, Ecclesiæ Tullensis Archidiaconus.

Articulus VII.

Victor II, 1055.

Post mortem Leonis IX per annum vacavit sedes, cum tandem ab Hildebrando, S. R. E. tunc Subdiacono, in Germaniam misso, **Eust. Episc.** designatus fuit *Gebbardus* Suevus Eustettensis Episcopus, consentiente Imperatore Henrico III, Clero & populo Romano: sed duobus tantum annis & mensibus tribus frui Ecclesiæ eodem licuit. Nam *obiit* in Thuscia 28 Julii 1057. Celebravit aliquot Concilia in causa Berengarii hæretici, prout Parte V, de Conciliis Sæculi XI, fuit relatum.

Cerularius schisma inducit. Hoc tempore *Michael Cerularius* Photianum Græcorum schisma renovavit. Obtendebantur quidem abusus aliqui latinæ Ecclesiæ de azymis, de additione vocis *Filioque* in Symbolo, de quadragesima, de matrimonio, aliaque, quæ non erant abusus sed usus legitimi; verum longe alia erant, quæ Cerularium præcipitarunt: ambitio videlicet, qua Romano Pontifici volebat æquari, & dominatus supremus in Orientali Ecclesia; prout hæc omnia fusiori calamo descripsi *Part. III, de Concilio Lugdun. III.*

Articulus VIII.

Stephanus IX, 1057.

Lothar. Post 4 Pontifices Germanos, insignes omnino virtute & doctrina, commendatione Henrici III receptos, suffectus est Lotharingus, *Fridericus* videlicet, Gonzolonis, Lotharingiæ Ducis, filius, *Stephanus*

nus IX appellatus, qui a Leone IX creatus fuerat S. R. E. Cancellarius, missusque Cpolim ad Constantinum Monomachum, ut Cerularii schisma averteret. Vitam dein Monasticam in monte Cassino professus, a Victore II creatus est Cardinalis, demumque electus Pontifex.

Quatuor Constitutionibus Ecclesiarum & Monasteriorum jura confirmavit. Restituendæ disciplinæ desiderio Concilia indixit, quibus Consanguineorum & Clericorum connubia prohibuit; proprietatis labem a Monachis avellere conatus est; Petrum *Damiani*, Monachum doctum æque ac sanctum Cardinalem Episcopum Ostiensem, quantumvis reluctantem, renuntiavit; Unionem cum Græca Ecclesia, a Cerulario scissam, reducere omni studio adlaboravit.

Obiit Florentiæ morte præmatura 29 Martii 1058, postquam octo prope menses Ecclesiam rexerat. Leo Ostiensis miraculis eum fulsisse post mortem memorat.

Articulus XI.

Nicolaus II, 1058.

Gerardus is erat, natione *Burgundus*, Episcopus Florentinus, electus Senis. Interea autem Romæ a factiosis quibusdam pecunia corruptis intrusus fuerat *Mincius*, Veliternensis Episcopus, qui Benedictum X se compellavit, incubavitque 9 menses, donec a synodo Sutrina depositus & in ordinem fuit redactus. 79 Mincius Antip.

Synodos plures habuit Nicolaus, in quibus actum de disciplina. Celeberrima est Romana, in qua editi sunt 13 Canones.

1. Statuitur, ut electio Romani Pontificis deinceps sit penes Cardinales Episcopos; accedente consensu Cleri & populi.

2. Moriente summo Pontifice vel Episcopo, nemo facultates ab eo relictas invadat, sed successori reserventur.

3. Nullus Missam audiat Presbyteri, quem certo scit habere concubinam, aut subintroductam mulierem. Clerici vero concubinarii deponuntur ab Officio & Beneficio.

4. Clerici simul manducent, & in eadem habitatione dormiant, & quidquid illis ab Ecclesia venit, communiter habeant.

5. Decimæ, primitiæ, & oblationes Ecclesiis fideliter reddantur a laicis, secus excommunicandis. Administratio pertineat ad Episcopum.

6 Clerici Ecclesias a laicis nullo modo obtineant, nec gratis nec pretio.

7. Nemo fiat Monachus ex promiſſione aut ſpe Infulæ.
8. Nec Presbyter duas Eccleſias obtineat.
9. Per Simoniacam hæreſin nemo ordinetur aut promoveatur.
10. Laici non ſint Judices Clericorum.
11. Conſanguineam nullus ducat uſque ad generationem ſeptimam, vel quo uſque parentela cognoſci poterit.
12. Laicus uxorem habens & concubinam non communicet Eccleſiæ.
13. Nullus laicus ad gradum Eccleſiaſticum repente promoveatur; ſed poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturna converſatione inter Clericos prius ſit comprobatus.

Addit Nicolaus Papa Decretum contra Simoniacos, ſtatuitque, ut Simoniace ordinati ſecundum Canones deponantur; de iis vero, qui a Simoniace promotis gratis ordinantur, propter multitudinem eorum contra rigorem Canonum diſpenſat, ut in Officiis & Beneficiis, gratis obtentis, permanere poſſint, ſic tamen, ut hæc diſpenſatio in futurum non trahatur in exemplum.

Obiit Nicolaus II, 22 Julii 1061, ſedis 3. Excomiaſten habere meruit Petrum Damiani, qui fruſtra Cardinalis officio liberari rogaverat: quin Nicolaus *Deſiderium* quoque Caſſinenſem Abbatem, virum celebrem, eodem munere donavit.

Excerpta ex Bullarii Romani

TOMO II.

Ab anno 1061, ad 1181.

CAPUT XIII.

Reliquæ Conſtitut. Sæc. XI.

Articulus I.

Alexander II, 1061.

80. Anſelmus Mediolanenſis, Epiſcopus Lucenſis, electus fuerat a Cardinalibus, ſubſequente conſenſu Cleri & populi. Hoc ubi audivit Agnes, Henrici IV Regis mater, graviter tulit, ut ait Leo Oſtien-
Cadalous Antip. ſis, id ſine auctoritate ſua eſſe factum, atque *Cadaloum*, Epiſcopum Parmen-

Parmenſem, a Placentino duntaxat & Vercellenſi Epiſcopo eligi faciunt in Papam, accedente Pſeudo-Synodo Baſileenſi; Honorii II nomen is uſurpavit, Romamque non ſemel aggreſſus, retuſus eſt, atque in Conciliis Papienſi, Florentino, Isborienſi, & Mantuano damnatus, per duos annos in Caſtro S. Angeli detentus, indeque aufugiens miſere periit.

Alexander II in pace deinceps gubernavit Eccleſiam, multasque Conſtitutiones edidit; notabiliores videntur 2da: qua reprobat errorem quorundam legiſtarum, qui aſſerebant, quod gradus conſanguinitatis non tantum in ordine ad ſucceſſiones hæreditarias, ſed etiam in ordine ad contrahenda matrimonia computandi ſint ſecundum leges civiles Juſtianæas, ita, ut numerentur ſingulæ generationes ſeu perſonæ ex utraque linea, totque ſint gradus, quot perſonæ, dempto ſtipite, atque ſic fratres ſint in ſecundo gradu, fratrum filii in quarto, fratrum nepotes in ſexto. Unde inferebant, gradus prohibitos ultra fratrum nepotes ſe non extendere. Papa autem jubet, gradus in ordine ad matrimonia computari ſecundum Canones, ita, ut fratres ſint in primo gradu, patrueles in ſecundo, horum filii in tertio, & ſic deinceps uſque ad ſeptimum gradum, quouſque tunc adhuc prohibita erant matrimonia. Gradus conſanguinitatis.

18. Archiepiſcopo Salisburgenſi propter amplitudinem Diœceſis concedit, ut Epiſcopatum in ea poſſit erigere, ita tamen, ut novus Epiſcopus Salisburgenſi ſit ſubjectus, atque ab eo eligi, ordinari, & conſecrari poſſit.

Reliquæ Conſtitutiones complectuntur confirmationes, exemptiones, privilegia ac jura particularium Eccleſiarum & Monaſteriorum.

Obiit Alex. II 21 Aprilis 1073, ſedis 12. Cantuarienſi Eccleſiæ primatum ſuper omnes Angliæ Eccleſias contra prætenſiones Eboracenſis confirmavit: Monachos in Cathedralibus Angliæ turbari noluit in poſſeſſione, a S. Greg. M. confirmata, & jam a tempore S. Auguſtini, Angliæ Apoſtoli continuata. S. Petrus Damiani ab Alex. II tandem obtinuit, ut Oſtienſi Epiſcopatu depoſito, liceret ſibi in eremum ſecedere, ex qua tamen non raro Reipublicæ cauſa extractus eſt.

Articulus II.

Gregorius VII, 1073.

Hildebrandus S. R. E. Archidiaconus, qui ſub Leone IX, Victore II, Stephano IX, Nicolao II, Alex. II, varias legationes ac 81.

 munera

munera obierat, electus est: cujus cum Henrico IV, & Guiberto Antipapa certamina, & in defendenda Ecclesiastica libertate constantiam Parte III, ad Concil. Lateran. I, descripsi.

Constitutiones publicavit plurimas: aliquas ad eruditionem magis utiles delibabimus 1. Comiti Rocejo eam Hispaniæ portionem attribuit, quam Mauris esset erepturus. 3. Gotheiredum in Ecclesiam Mediolanensem involantem, excommunicat.

5. Quamvis Orientales schismati suo pertinaciter insisterent, hortatur tamen Occidentales, ut eis adversus barbaros assistant.

6. Hortatur Hispanos, ut Officium Romanum recipiant.

8. Sub anathemate præcipit, Monasterio Augiensi restitui bona, eidem erepta.

10. Illegitimos ad Ecclesias promoveri vetat.

13. Synodo habita Clericos conjugatos & concubinarios Ecclesiæ Ministerio & Beneficiis privat. Simoniacos deponit.

14. 15. Hoc Decretum ad Ecclesiam Aquilejensem, Coloniensem & Magdeburgensem mittit.

16. 17. 18. Hermannum Bambergensem, & Othonem Constantiensem deponit, tum ob Simoniam, tum propter inobedientiam, & negligentiam in executione Decreti, contra Simoniacos, & concubinarios Clericos promulgati in synodo.

19. Excommunicat Henricum IV Imp. subditos a juramento fidelitatis absolvit.

27. Hortatur Principes Germaniæ, ut Henricum Imp. ad pacem cum Ecclesia permoveant. Si vero in schismate permaneat, cum eo non communicent. (*Datum an.* 1076)

28. Prosequitur idem argumentum. Hortatur, ut Principes conversioni Henrici studeant; si autem contumax perstiterit, dignum Imperio præficiant, a se confirmandum.

29. Nuntiat Principibus Germaniæ, quid Canusii cum Henrico IV actum sit, quodque pœnitentem ab excommunicatione absolverit.

33. Tractat de non acceptandis Investituris a laicis.

39. In Synodo Romæ habita designat mittitque legatos in Germaniam, ut pacem componant.

40. Restituit plures Episcopos Gallicanos, qui a Vicario Sedis Apost. vocati ad synodum non comparuerant.

41 Excommunicatos denuntiat eos, qui se opponunt conventui Germaniæ Principum, in quo discutiatur causa Henrici & Rudolphi. (1078)

42. Galli-

42. Gallicani Episcopi (de quibus Const. 40) coram Romano Pontifice aut ejus legato Romano causam se dicturos asserunt; quod autem alteri subjicere se debeant, pugnare cum suo privilegio. Ostendit autem Greg. se cuicunque vices suas delegare posse, hortaturque ut obediant.

44. In Synodo Romana deponitur Episcopus Ravennæ propter scelera & contumaciam adversus Sedem Apost.

47. Confirmat Primatum Lugdunensis Ecclesiæ super Provincias, Senonensem, Rothomagensem, & Turonensem. *Constit.* sequenti tractat idem argumentum, asseritque, ab antiquis jam temporibus competere Lugdunensi primatum: pluraque addit de Hierarchia Ecclesiastica.

50. Refert Greg. se invitum ad summum Pontificatum fuisse pertractum, atque in eo gravissimis calamitatibus oppressum, maxime ab Henrico IV & Episcopis Germaniæ & Longobardiæ, eidem adhærentibus. Venisse Henricum *Canusium* supplicem & pœnitentem, ac propterea ab excommunicatione fuisse absolutum, non vero revocatum Decretum Synodi, quo regno esset privatus, & subditi a juramento relaxati. Relatio Congressus Canusiani cum Henr. IV.

Cum autem Henricus nihil eorum, quæ promiserat, servaret, ultramontanos, de ejus emendatione desperantes, elegisse sibi in Regem *Rudolphum*, sine Papæ consensu. A Rudolpho promissam sibi illico fidelitatem. Henricum pariter rogasse, ut sibi contra Rudolphum Papa Greg. assisteret. Statutum a se, ait Greg. ut in Germania haberetur colloquium, in quo causa utriusque competitoris examinaretur, cum prohibitione gravi, ne quis illud impediret. Et earum, quæ sunt secuta.

Ab Henrico, causæ suæ diffiso, colloquium illud fuisse impeditum, & sic incursum ab illo decretum anathema, afflictas Ecclesias, regnumque Theutonicum in graves calamitates præcipitatum.

Quibus narratis Pontifex Henricum rursus anathemate ferit, omnesque ejus fautores, atque rursus regno privatum, & subditos ab obedientia absolutos pronuntiat: Rudolphi vero electionem confirmat. (*Datum Romæ an.* 1080) Addit aliqua de potestate in regna & Principatus.

54. Ducem Robertum *Guiscardum Normannum*, Nicolai II, & Alexandri II exemplo, investit de Apulia, Calabria & Sicilia, subjungitque hæc verba: *de illa autem terra, quam injuste tenes, sicut est Salernus, Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo.* Robertus vero promittit fidelitatem & defensionem Pontifici & Romanæ Ecclesiæ, cum pensione annua. Guiscardum investit.

Obiit

Obiit Salerni.

Obiit S. Pontifex Salerni, quo a Roberto Guiscardo Henrici iræ ereptus confugerat, 25 Maji 1085. Quanta fuerit ejus constantia in vindicandis Ecclesiæ juribus, & restauranda collapsa disciplina, demonstrant ea, quæ gessit ad tollendos Investituræ abusus, ad extirpandam Simoniam, in Italia, Germania, Gallia late grassantem, atque ad cœlibatum Clericorum, passim abjectum, revocandum. Vitam ejus scripsit Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis. Sanctorum fastis adscriptum omnes novimus. Calumniæ in eum sparsæ a Benone, Pseudo-Cardinale, a Guiberto Antipapa creato, infiniti Scriptores confutarunt. Ab hodiernis nihilominus Protestantibus identidem recoquuntur.

Articulus III.

Victor III, 1086.

Exemplum singularis modestiæ.

Desiderius, ex Principibus Beneventanis, primum Abbas Cassinensis, dein Cardinalis invitus creatus, per vim prope Pontificiis vestibus ornatus, iis depositis Cassinum fugit, ubi per annum prope reluctatus, donec tandem in Concilio Capuano precibus victus Pontificatum recepit, Romamque profectus anno 1087 est consecratus. Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, & Rithardum Abbatem Massiliensem, sibi obtrectantes, in Synodo Beneventana a sacris suspendit. Multa etiam a *Guiberto Antipapa*, quem Henricus IV intruserat, est perpessus. Misso exercitu Christiano in Africam, centum Maurorum millia cecidisse fertur.

Obiit in Monasterio Cassinensi altero Pontificatus sui anno 1087.

Articulus IV.

Urbanus II, 1088.

Insistit principiis Gregorii VII.

Odo Rhemensis a Greg. VII factus Cardinalis Episcopus Ostiensis, electus Pontifex, rursus excommunicavit Henricum IV, & Guibertum Antipapam, quem *hæresiarcham Ravennatem* appellat, eorumque sectarios schismaticos, quorum erant plurimi, ita, ut teste Bertholdo Constantiensi, quinque tantum Episcopi in Germania, Constantiensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Passaviensis, Metensis, essent omnino integri.

Data autem ad Gebhardum Constantiensem, cui vices suas per Germaniam delegaverat, epistola, certos gradus designat; in 1 po-

nit

nit Henricum & Guibertum; in 2 eorum fautores & adhærentes: in 3 eos, qui cum iisdem communicant: hos non excommunicat proprie, a sua tamen communione arcet, donec pœnitentiam egerint. Ab excommunicatis Episcopis ordinati ad altiores ordines non promoveantur. Criminosi ab altaris ministerio arcendi, præsertim si commiserint crimina, quæ per leges morte puniuntur. Gebhardo potestatem Episcopalem in Insulam Augiam concedit.

Corsicam Insulam Episcopo Pisano subjicit. Rhemensem & Suffraganeos monet, ut Regem a polygamia absterreant.

Epistola, ad Tullensem Episcopum data, statuit I, ut Episcopi omnia Beneficia & Officia Ecclesiastica gratis distribuant. Quisquis autem ea pretio dederit, depositioni sit obnoxius.

II. Subdiaconi &c. qui uxoribus vacant, ab Ordine, Officio, & Beneficio deponuntur.

III. Presbyterorum filii ab altaris ministerio arcendi, donec in cœnobiis se probaverint.

IV. Ab excommunicatis Episcopis ordinati absque Simonia, interim in suo gradu relinquendi, non tamen ad altiorem promovendi.

V. Episcopi & Clerici Simoniaci ab Officiis & Beneficiis removendi. Ecclesiæ & Altaria, ab illis consecrata, a Catholico Antistite consecranda.

VI. Episcopi discretioni relinquit, an ii, qui sunt ordinati sine Titulo, sint permittendi exercere ordines.

VII. Bigami & viduarum mariti a sacris ordinibus sunt arcendi.

Obiit Urb. II Romæ 29 Julii 1099, sedis 12. Multas celebravit synodos (*Part. V de Conciliis Sæc. XI*) præsertim ad extirpandam Simoniacam pravitatem, & restituendum cœlibatum Clericorum. Celeberrima autem est Clarimontana, in qua decreta est expeditio in terram sanctam. (*Parte III ad Concilium Lateran. IV*)

Articulus V.

Observatio ad Sæc. XI.

Corrupto hoc sæculo Ecclesiam gubernarunt Pontifices, doctrina & virtute præstantes, (Benedictum IX intrusum si excipias) qui murum firmissimum se opposuerunt pro Domo Dei, & restituenda disciplina Ecclesiastica, contra Simoniacos maxime & concubinarios Clericos, contra hæreses, quas invexerant Berengarius & Michael Cerularius. In Hungariam aliasque Europæ provincias, & ipsam adeo 82. Propagata Ecclesia.

Palæstinam producta sancta Religio; quam singulari vitæ sanctitate & miraculis illustrarunt, Emericus sancti parentis sanctus filius, S. Canutus, S. Eduardus, S. Margaritha, coronatæ sanctitatis illustria Sydera: S. Benno, S. Stanislaus, qui mortuum judicio stitit, de agro a se vendito dicturum testimonium. Propogatus quoque ordo Monasticus per Joannem Gualbertum Vallis Umbrosæ cultorem: per Ordinem Grandimontensem in Gallia institutum; per S. Brunonem, Coloniensem, qui Ordinem Carthusianorum, per S Robertum, qui Ordinem Cistercienseм in Burgundia fundavit, a S. Bernardo deinceps mirifice propagatum.

Sancti.

Cæterum observare hic liceat, Hiacynthum Amat de Graveson aliosque Zelotes prædicare rigorem disciplinæ, Sæculo X & XI a summis Pontificibus & Episcopis aliisque Præsulibus per Constitutiones suas severas præceptum, fatentur nihilominus, mores fuisse corruptissimos: fateantur ergo pariter oportet, non dependere semper hominum mores a rigore disciplinæ, & inique agere eos, qui morum dissolutionem ultimorum sæculorum, licet multo minorem tribuunt doctrinæ morum benigniori; cum manifeste prioribus temporibus mores fuerint laxiores, ubi Simonia, concubinatus Clericorum, &, ut loquitur Graveson, crudelitas, ambitio, rapinæ, incestus, sacrilegia, proditiones, aliaque scelera in immensum grassabantur. Postquam autem Patres Dominicani aliique rigorem cum discretione temperabant, melior multo tum in sacris asceteriis, in quibus disciplina ferme fuerat profligata, tum in aliis etiam locis, mundus est redditus. Si enim quæramus apocham temporum, a quibus Religiosi Ordines ad eximiam, quam læti hodie aspicimus, disciplinam sunt reformati, inveniemus profecto, ab eo id factum tempore, quo prudens discretio severitatem cum mansuetudine miscuit.

Crisis in rigorem.

Declinanda extrema; media incedendum via. Proscripserunt Alex. VII & Innoc. XI propositiones nimium laxas, Alex. VIII nimium rigidas. Damnavit Ecclesia laxitatem in Gnosticis, severitatem in Montanistis. Qui identidem cum Jansenistis plorant & ingemiscunt de remissa morum doctrina, non semper moribus sunt optimi. Michael ille Cerularius, cum aliis Græcis miram doctrinæ severitatem præseferebat, arguitque Ecclesiam latinam de disciplinæ laxitate, quod jejunia debita non servet, quod Monachis carnes permittat, quod quartas nuptias ratas habeat, quod suffocata comedat, & immundorum animalium carnes, quod duobus fratribus duas sorores concedat, quod Romani Episcopi nimis facile nimisque frequenter dispensent,

Rigidi non semper optimi.

sent, canonumque severitatem relaxent. An laudandus propterea, an factus melior?

Quin eo audaciæ prorupit, ut conciliabulo coacto legatos Leonis IX anathemate fulminaret, & nomen summi Pontificis sacris e Diptychis eraderet. Dedit quoque litteras calumniarum plenas adversus Romanam Ecclesiam ad alios Orientis Patriarchas, ut eos in suum schisma pertraheret.

Constantinus Monomachus Imp. Legatos Pontificis initio cum honore excepit, restititque Cerulario Patriarchæ, schisma inducere laboranti; quia sperabat, Pontificem auxilio sibi futurum contra Robertum Guiscardum, qui Apuliam Græcis ereptum ibat. At, ubi Pontificem permovere non poterat, ut sibi assisteret, faciles Patriarchæ aures præbuit, & ciendo schismati adjutor accessit.

Post ejus mortem *Theodora* Zoes soror admota Imperio consortem adlegit Michaelem *Stratiotam*, quem *Isaacius Comnenus* dejecit. Qui tertio Imperii anno Monasterium Studitarum ingressus, *Constantinum Ducas* successorem designavit, anno 1059. Fuit hic litterarum magis quam rei militaris amator. Obiit an. 1067. Eudoxia ejus vidua contra juratam fidem nupsit *Romano Diogeni*, nobili Cappadoci, maluitque Imperium marito in dotem afferri, quam filiis propriis patrimonium. Diogenes gemino prælio Turcarum victor, tertio victus captusque, benignius a barbaris est habitus, quam a filiis suis privignis; nam a Sultano liber dimissus, a *Michaele Ducas* oculis & vita privatus est, Eudoxia in Monasterium retrusa (*anno* 1071). Præmium parricidii Imperium fuit, sed cum Turcæ in Asia & Robertus Guiscardus varia in Italia loca occuparent, Monasterio inclusus sceptrum *Nicephoro Botoniati* relinquere debuit. Dejectus is ab *Alexio Comneno* (an. 1081) qui 28 annis imperavit, magnis virtutibus magna intexens vitia, in Occidentales cruce signatos perfide grassatus. Ejus vitam scripsit Anna Commena filia, libris 15 *Alexiados*. Orientis Imperatores.

Videre ex his licet, quam turbatum fuerit Orientale Imperium, cruentarum tragœdiarum scena, ascendentium & descendentium perpetua periodus. Turcæ florentissimas Asiæ provincias depasti, semper magis magisque imminebant Bizantio; Græci nihilominus in schismate contumaces, auxilia Occidentalium, a quibus solis liberari poterant, sacris præsertim in Orientem expeditionibus, ibant perditum, proniores barbaris Infidelibus, quam Christianis, ab eo maxime tempore, quo Normanni eis Siciliam, Calabriam, Apuliam eripuerant. Perversitas Græcorum.

Scriptores Græci.

Litteras Sæc. XI illustrarunt in Oriente *Leo Grammaticus*, qui Chronographiam Theophanis continuavit ab anno 813 ad 1008, *Joannes Scyliza* ab initio Sæculi IX ad medium Sæculi X, *Cedrenus* Monachus compendium Historiarum ab orbe condito ad annum 1062 compilavit ex Syncello, Theophane, Scyliza. *Xiphilinus* Historiam Dionis Cassii in compendium redegit. *Theophylactus*, Bulgariæ Metropolitanus, & *Eumenius* S. Scripturam sunt interpretati, prout etiam *Nicetas Serron* Heracleensis Archiep. Pro Cerularii schismate scripserunt *Nicetas Pectoratus*, Monachus Studita, de azymis, jejunio sabbatorum, nuptiis sacerdotum: cum quo Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ disputavit. Michael *Psellus*, quam doctus tam pertinax schismaticus, præter Historiam Bizantinam varia opera edidit: *Nicolaus Methonensis* Metropolita de processione Spiritus S. contra Latinos scripsit. Præcipuus vero Cerularii in scindenda Ecclesia adjutor fuit *Leo* Acridæ Archiep. Bulgariæ Metropolita, qui acerrimam contra Latinos ad Tranensem in Apulia Episcopum dedit epistolam.

Latini.

In Occidente complures Sæc. XI floruerunt Scriptores; & quidem in *Italia*, præter summos Pontifices, vitæ integritate & doctrina conspicuos, duo eminuisse videntur viri clarissimi, *Petrus Damiani*, & *Anselmus Lucensis* Episcopus: ille humili loco Ravennæ natus, & a Damiano quodam adoptatus, obscuritatem Natalium virtute, eruditione, & præclaris in Ecclesiam meritis illustravit: Monachus primum & Fontis Avelani Abbas, dein Cardinalis Ostiensis Episcopus, sub septem Pontificibus floruit, variis perfunctus legationibus, velut Oraculum consulebatur. Scripta ejus doctissima, in tres Tomos distributa, orbi litterato sunt notissima. *Anselmus Lucensis* multa scripsit in defensionem Gregorii VII, contra Guibertum Antipapam. Attribuitur illi etiam a quibusdam Collectio Canonum Ecclesiasticorum.

Petrus Damiani.

Anselmus Lucensis.

In *Germania*, ubi 4 Imperatores, Henricus sanctus, Conradus Salicus, Henricus Niger, & Henricus IV integrum sæculum absolverunt, præter alios, eruditionis laude inclaruerunt, *Hermannus Contractus*, Nobilis Suevus, ac pientissimus in Augia Divite Monachus, præter alia opera doctissima soluta & ligata oratione scripta edidit celeberrimum *Chronicon* a Christi Nativitate ad annum 1053, quod *Bertholdus* Constantiensis Presbyter usque ad annum 1100 continuavit, eaque, quæ inter Gregorium VII, & Henricum IV contingere, fideliter est complexus: pluraque alia edidit opuscula pro Greg. VII, a Gretsero typis commissa.

Hermannus Contractus.

Bertholdus.

Lamber-

Lambertus Schafnaburgensis, Monachus Hirsehfeldensis, scripsit *Historiam rerum Germanicarum* usque ad annum 1077, quam postea Monachus quidam Erfordiensis ad annum usque 1472 est prosecutus. *Adamus Bremensis* Canonicus concinnavit Historiam de Bremensi, Hamburgensi & aliis quibusdam Diœcesibus; *Gerochus Reicherspergensis*, & *Paulus Bernriedensis*, de Greg. VII, Henrico IV & V. Benno Pseudo-Cardinalis, calumnias in S. Greg. VII spargens, memoriam inter Scriptores Germanos non meretur.

Lambertus. Adamus Brem. Gerochus. Paulus Bernried.

In *Gallia* *Ademarus* Monachus Chronicon scripsit de Monarchia Francorum ad an. 1028. *Glaber Rodulphus*, itidem Monachus, Historiam ab anno 990 ad 1046. Taceo Hugonem, Adelmannum, Durandum, Troarnensem Abbatem, qui contra Berengarii hæresin scripserunt. In *Hispania* Sampirus Chronicon ab anno 866. In Anglia *Marianus Scotus*, Ord. S. Benedicti Chronicon a Christi Nativitate ad annum 1083. Continuatum a *Dodechino* Abbate ad annum 1200. Quidam Marianum Scotum Fuldensem Monachum fuisse testantur.

Ademarus. Glaber. Marianus Scotus. Dodechinus.

CAPUT XIV.

SÆCULUM XII.

83. Exhibet hoc sæculum frequentes cruce signatorum in Orientem expeditiones, gravissimas de *Investituris* dimicationes, initamque tandem Sacerdotium inter & Imperium concordiam; novas exortas hæreses, & consueta adversus illas remedia, impensam restaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ curam, sapientissimas Constitutiones; quæ omnia non aliunde melius, quam ex Apostolicis Decretis hauriri possunt.

Articulus I.

Paschalis II, anno 1099.

Reinerius ante appellatus, Natione Tuscus, Monachus Cassinensis, Cardinalis Tituli S. Clementis, electus 13 Aug. 1099. Constitutiones complures edidit, quibus varia Ecclesiarum & Monasteriorum jura confirmat. Florentinum Archiepiscopum plures de Capitulo Simoniæ accusaverant, conspiratione contra eum inita; sed cum crimen probare non possent, depositi sunt ab Officiis, Archiepiscopus

Constitutiones.

vero absolutus (*Const.* 6) B. Petrum Anagniæ Episcopum Catalogo sanctorum inserit. (*Const.* 38)

Captivus Henrico V indulget Investituras.

Notabilis est Constitutio 44 & 45. Priore, dum esset captivus, concedit Henrico V Imperatori privilegium conferendi Episcopis & Abbatibus Investituras de Regalibus per baculum & annulum, modo libere & absque Simonia id fiat. Posteriore vero, cum libertati jam esset redditus, voluit, ut Episcopi & Abbates feuda ac Regalia, quæ a Carolo M. Ludovico Pio, ab Othonibus & Henrico sancto acceperant, Imperatori restituant, quoniam non deceat, Præsules Ecclesiasticos, in Curiis Principum versari, aut curis temporalibus occupari, sed disciplinæ Ecclesiasticæ, sacris officiis, & curæ animarum invigilare. Sed hoc erat velut viscera e corpore evellere. Res postea aliter est composita, prout dictum ex instituto Parte III, ad Concilium Later. I. Excusatur Paschalis ab ea inconstantia ob temporum circumstantias; nam, cum Henricus tum ipsum, tum Cardinales, postquam fuerat coronatus, captivos in castra abduxit, schisma & urbis spoliatio erat timenda, & aliunde non agebatur de fide, sed disciplina, ad tempus connivendum putavit, prope gnarus, promissiones per vim & metum injuste extortas, ipso jure esse nullas, aut saltem rescindibiles.

Dein vero mandat, ut feuda Imperatori restituant.

Obiit Paschalis II 21 Jan. 1118, sedis 19. Ejus tempore *Guibertus* Antipapa in schismate pertinax interiit; sed non interiit schisma; tres enim sibi invicem successerunt Pseudo-Pontifices, Albertus, Theodoricus, & Maginulphus, qui omnes justo Dei judicio misere perierunt.

Articulus II.

Gelasius II, 1118.

Dictus ante fuerat Joannes Cajetanus, natione Campanus, primum Monachus Cassinensis, subin Cardinalis, ac Pontifex creatus 25 Jan. 1118.

Burdinus Antip.

Henricus V vero intrusit Antipapam Mauritium *Burdinum*, Episcopum Bracharensem, a Paschali II in Concilio Beneventano excommunicatum, ac postea rursus a Gelasio in Synodo Capuana, & a Callisto in Rhemensi: a quo captus in Monasterium detrusus est, & anno 1124 in arce Fumonis interiit. Dici voluit Greg. VIII.

Constit. 4. Gelasius, postquam Ravennates, schismate ejurato, sub obedientiam legitimi Pontificis redierant, Gualterum, electum ab iis Archiepiscopum, confirmavit, misso Pallio, eamque Ecclesiam pristinæ Dignitati & Jurisdictioni restituit.

Uno duntaxat anno in Pontificatu exacto *obiit* Cluniaci in Gallia, quo declinans persecutionem Henrici profugerat. Toto Papatus sui anno immensis calamitatum procellis fuit jactatus; nam vix electus fuerat, cum a schismaticis, quorum princeps erat *Cencius Frangipanes*, effractis Ecclesiæ valvis, pugnis calcibusque percussus in carcerem trusus est; inde vero a civibus liberatus, cum Henricus Imperator Romæ immineret, primum Cajetam, dein vero in Galliam fugit, ubi, quod dictum, brevi ad vitæ terminum pervenit.

Articulus III.

Callistus II, 1119.

Guido is fuit, Burgundiæ Comitis filius, Archiepiscopus Viennensis, & S. R. E. Cardinalis, Paschalis II per Gallias Legatus Apost.

Constit. 10. Consecrationem Episcoporum in Corsica Sedi Apost. reservat. Urbanus II gratiam pro obsequiis relaturus Pisanis, honorem illum Ordinationis Corsicanæ Archiepiscopo Pisano detulerat. Sed ea res gravissimas inter Genuenses & Pisanos concivit discordias, ipsique Corsi consecrationem Pisani respuebant. Quare idem Urbanus decrevit, ut Corsicani Antistites a solo Romano Pontifice ordinarentur: idque Paschalis II quoque tempore observatum. Gelasius II vero suum Pisano consecrationis privilegium restituit, a Callisto II etiam eidem confirmatum; cum autem cruenta propterea bella, inter Genuenses & Pisanos exorta, Saracenis Italiam invadendi vastandique occasionem facerent, Callistus prudenti ad rationem temporum Oeconomia utendum ratus, consilio mutato, consecrationem Episcoporum in Corsica Sedi Apost. in perpetuum reservavit. *Jus consecrandi Corsicanos Episcopos Pisano data & adempta.*

Const. 19. Præpositus & Canonici *Berchtelsgadenses*, sanctioris vitæ desiderio, Institutum Canonicorum Regularium amplexi sunt. Hanc mutationem Callistus Papa confirmavit, ea tamen lege, ut Archiepiscopo Salisburgensi, ordinario suo, subjecti maneant, & Sedi Apost. annuatim unum aureum in recognitionem solvant, ac demum, ut nullus sine Præpositi licentia ab eo Instituto, etiam prætextu strictioris ordinis, recedere valeat. *Berchtelsgadensis mutatio.*

Const. 22. Continet Reconciliationis formulas, inter Pontificem & Imperatorem initæ: quas formulas *Parte III ad Concilium Lateran. I, num. XI* exhibui; sicque reddita est Sacerdotium inter & Imperium pax, quæ multo tempore exulaverat.

Const.

Conft. 24. Approbat Inftitutum Canonicorum Regularium in *Bernried* Diœcefis Auguftanæ, electionemque Præpofiti, a Canonicis faciendam: omnia item bona, ab Othone Duce & Adelhaide conjuge, eidem Canoniæ donata confirmat, cum onere unius albæ & cinguli, fingulis trienniis Capellæ Lateranenfi folvendæ.

Obiit 13 Dec. 1124, fedis 6, anno Pontificatus tertio ex Gallia in Italiam reverfus, fuis & Normannorum viribus Burdinum Antipapam Sutrii obfedit, captumque fecum Romam duxit includendum, ne porro Ecclefiam turbare poffit. Ecclefiæ Viennenfi in Gallia, cujus fuerat Archiepifcopus, Primatum fupra plures Primates Calliftus contulit: unde Viennenfis fe *Primatem Primatum* fcripfit.

Articulus IV.

Honorius II, 1124.

Lambertus Bononienfis, Epifcopus Oftienfis, electus Pontifex 21 Dec. 1124. *Conftit.* 8. Ademptam a Pafchali II Archiepifcopo Pifano confecrationem Epifcoporum in Infula Corfica eidem reftituit, quod difcordiæ & bella Pifanos inter & Genuenfes propter refervationem Pontificiam non ceffarint.

Conft. 10. Damnat pravam confuetudinem exigendi pecunias a receptis in Canonicos, afferens exemplum Chrifti, ementes & vendentes ejicientis e templo.

Obiit 14 Febr. 1130, fedis 6 inchoato. Electus cum eo fuerat Theobaldus Cardinalis, fed is, ne fchifma oriretur, mox omni jure fe abdicavit. Pontium Abbatem Cluniacenfem, turbas cientem, ab omni officio & dignitate Ecclefiaftica depofitum, Romæ in carcerem mifit Honorius.

Articulus V.

Innocentius II, 1130.

84. Petrus Leonis Antip. Gregorius Romanus Card. electus 15 Febr. altera die *Petrus Leonis*, Presbyter Cardinalis fanctam fedem invafit armis, igne, pecunia, *Anacleti II* nomine ufurpato: in variis Conciliis damnatus atque excommunicatus poft feptem fchifmatis annos periit. Sed necdum turbarum finis; nam Pfeudo-Cardinales Antipapæ Anacleti alium quendam in fcenam produxerunt, fub Victoris IV nomine. Sed is depofitis poft duos menfes ad Innocentii Papæ pedes infignibus, pacem Ecclefiæ reliquit.

Conft.

Const. 3. Confirmat Innocentius omnia bona, Canonicis Regularibus Inderstorffii in Diœcesi Frisingensi ab Othone Comite Palatino donata, aut in futurum a quibuscunque donanda, atque privilegium eligendi Præpositum.

Const. 5. Sanctorum Albo inserit Gothardum Hildesiensem in Saxonia Episcopum.

Const. 7. Confirmat omnia privilegia, Patriarchis Aquilejensibus a Sede Apost. concessa.

Const. 14. Præcipit Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Islandiæ, Grönlandiæ, Episcopis, ut Hamburgensi Archiepiscopo, tanquam Metropolitano suo obediant.

Const. 16. Privilegia omnia Fuldensi Ecclesiæ confirmat, & Abbatibus usum mytræ & annuli concedit.

Const. 36. Patriarchatum Gradensem confirmat cum jure Pallii, & delationis S. Crucis ante Patriarcham.

Const. 38. Confirmat privilegia Monasterii S. Crucis Werdæ, & 39, S. Georgii Prüflingæ.

Const. 57. Numero sanctorum adscribit B. Sturmium Abbatem Fuldensem.

Const. 61. Laudat gentem Normannicam ab obsequiis, Ecclesiæ præstitis, atque Rogerio II, Roberti Guiscardi ex fratre Rogerio nepoti concedit Siciliam, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, eique Regium titulum confert, ac proin hic Rogerius primus erat Rex utriusque Siciliæ, sub obligatione homagii ligii, & census annui Cameræ Apostolicæ præstandi. **Roger. Rex utr. Siciliæ.**

Const. 68. Errores Petri Abaelardi damnat.

Const. 73. Monasterium Reichersbergense, & 79 Rotense sub protectionem Sedis Apost. assumuntur.

Const. 83. Bona allodialia, a Comitissa Mathilde S. R. E. donata, in feudum concedit Lothario II Imperatori ejusque genero Henrico (*Superbo*) Bavariæ Duci; sic tamen, ut post eorum decessum ad Ecclesiam redeant.

Obiit Innoc. II. 24 Sept. 1143, sedis 14, a singulari virtute & doctrina singularem apud omnes laudem promeritus. Postquam Petrus Leonis, homo spurcus, caput adversus eum extulit, in Galliam fugit. Sed brevi omnes Principes, præter Rogerium Ducem Siciliæ, & Ducem Aquitaniæ, adnitente potissimum S. Bernardo, Innocentium Legitimum Pontificem sunt venerati. Prævaluit nihilominus Romæ Antipapæ potentia, ut usque ad illius mortem, annum videlicet 1138, Pisis Innoc. morari cogeretur. Captus dein a Rogerio II Du- **Innoc. captus a Roger. o.**

ce Siciliæ, utramque Siciliam ab eo impetravit. Celebravit Innoc. Concilium Lateran. I, de quo alias dictum.

Articulus VI.

Cœlestinus II, 1143.

Guido Thuscus Card. S. Marci, electus Papa 26 Sept. 1141. *Const.* 3. Fratres S. Sepulchri seu Templarios sub protectionem suam recipit, omniaque bona, quæ habebant Jerosolymis, Tyri, Ptolomaide, Antiochiæ, Trojæ, Brundusii, Beneventi &c. ipsis confirmat.

Obiit 9 Martii 1144, post 5 mensium regimen laudatissimum. Absolvit Galliam ab Interdicto, cui Innoc. II illam subjecerat.

Articulus VII.

Lucius II, 1144.

Gerardus Bononiensis, Canonicus Regularis, Cardinalis, Pontifex, *Const. VIII.* Ecclesiæ Gradensi confirmat omnia bona, quæ habet Constantinopoli, in Istria, Venetiis. Ultimo loco ponuntur litteræ Lucii Papæ ad Alphonsum Regem Portugalliæ, quibus Regnum suum dedicat S. Petro, sub censu annuo a se possidendum.

Obiit Lucius 25 Febr. 1145, sedis mense 12. Multa Romæ tulit a seditiosis Arnaldistis, qui priscam Senatorum auctoritatem cum Patritiatu restituere nitebantur, & omnes Cameræ Apost. proventus eisdem attribuere, obtendentes, Pontificem, Cardinales, totumque Clerum de Decimis & oblationibus vivere oportere. Pontifex contra eorum vim imploravit protectionem Conradi III Imperatoris, tanquam supremi Ecclesiæ advocati.

Articulus VIII.

Eugenius III, 1145.

85. Petrus Bernardus, Pisanus Ordinis Cisterciensis, Abbas Monasterii ad Aquas Salvias, S. Bernardi Discipulus, electus 27. Febr.

4. *Constit.* Monasterium Schyrense in Bavaria Ord. S. Benedicti in protectionem Sedis Apost. recipit, eique omnia bona sua confirmat, adjectis novis privilegiis.

6. Sam-

6. Samsonem Archiepiscopum Rhemensem redarguit, quod Regem Franciae Biturigibus coronarit, spreta appellatione Archiepiscopi Bituricensis ad Sedem Apost. pluraque alia contumaciae & variarum usurpationum ei objicit crimina; unde usu Pallii eidem interdicit, citatque illum cum Episcopis complicibus Romam.

8. Cum Edessa, pluraque alia in manus barbarorum recidissent, Urbani II exemplo sacrum bellum indixit, contulitque Cruce signatis indulgentias ac privilegia.

14. Confirmat donationes ac bona Monasterii Reicherspergensis Ord. Can. Reg. S. Aug. 15. Hallensis. 16. Widbergensis. 17. Osterhovensis. 18. Prüflingensis. 19. Ranshovensis. 22. Allerspacensis. 32. Altachensis Inferioris, seu ad Quercum Inferiorem. 35. Tegernseensis. 36. Raitenbuchensis. 39. Fuldensis. 40. Rotensis. 45. Rorensis.

Constit. ultima solenni Canonizatione inter sanctos refert S. Henricum Imperatorem, postquam in vitam sancti sufficienter inquisivit & testes audivit.

Obiit Tibure 8 Junii 1153, sedis 9. Cum Arnaldistae Haeretici Romanos adversus Pontificem commovissent, suo pertinaciter insistentes consilio, remisso Papa & Clero ad sacrorum curam, antiquam Reipublicae Romanae formam libertatemque restaurandi, Eugenius mox a sua electione ad Monasterium Farfense fugit, ibique consecratus est: inde Viterbium, ac demum, cum sui ibidem non esset securus, more antecessorum, quos persecutio adegit, in Galliam se recepit, ibique Concilia aliquot celebravit ad extinguendas haereses, & suscipiendam in Orientem sacram expeditionem. **Rom. Remp. restituere cogitant**

Porro Arnaldistarum, quos dixi Romae tumultuatos, Dux erat *Arnaldus a Brixia*, acris ingenii & promptioris homo, sed ad omnem temeritatem projectus, & quamvis esset Clericus, totius Ordinis Ecclesiastici hostis infensissimus: nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos, possessiones habentes, salvari posse dicebat, cunctaque haec Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum laicorum cedere oportere. Praeter haec, teste Othone Frisingensi *de gestis Friderici I*, de sacramento altaris, & baptismo parvulorum non recte sensit: quapropter cum Brixiensem Ecclesiam conturbasset, ab illius Episcopo Romano in Concilio accusatus, atque damnatus est. Deserta proin Italia, Galliam Germaniamque pererravit. **Duce Arnaldo a Brixia,**

Cum autem in Italiam penetrans, Romanos adversus Pontificem & Clerum rursus concitasset, atque ut Cardinalium domos spoliarent atque diruerent, vulneratis etiam illorum aliquibus, effecisset, jussu **Concremato**

Friderici I captus, & ab urbis Præfecto ad rogum damnatus est, ejusque cineres in Tyberim sparsi, ne schismatici iis abuterentur.

Articulus IX.

Anastasius IV, 1153.

Conradus Romanus Can. Reg. Card. Sabinensis Episcopus, electus 9. Julii; Constitutiones complures edidit, quibus variarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Religiosarum Domorum fundationes, bona ac privilegia confirmat.

Obiit 2. Dec. 1154, postquam annum unum & 4 menses Pontificatum gessit. Wilhelmum Archiepiscopum Eboracensem, ab Eugenio III ex mala informatione depositum, restituit.

Articulus X.

Hadrianus IV, 1154.

Natione Anglus, tenui fortuna natus, inopia pressus in Galliam profectus, Canonicum Regularem induit, factusque Abbas, Romam propter lites cum suo Monasterio venit, ubi Eugenius III Cardinalem & Episcopum Albanensem creavit; missus inde in Norvegiam, Ecclesiam ibi tanta cum laude ordinavit, ut Anastasio IV fuerit Papa suffectus.

Constit. 5. Concedit Henrico II Angliæ Regi, ut Hiberniam, cujus jus directum ad Ecclesiam Romanam spectaret, occuparet, eamque vera fide bonisque moribus informaret.

9. Canonicis Regularibus Ord. Præmonstratensis in Steingaden sua bona ac privilegia confirmat, ac nova concedit.

16. Ecclesiæ Genevensi confirmat bona, a Friderico I Imp. eidem donata.

Obiit Anagniæ 1 Sept. 1159, sedis 5. Sub eo jacta sunt semina diuturnæ discordiæ cum Friderico I Imp. & secuti schismatis, de quo *Parte III ad Concil. Lateran. III* latius disserui. Toletana Ecclesia ante Maurorum irruptionem haud dubie potiebatur Primatu inter Hispanas Ecclesias; at ubi lente rursus & successu temporum expulsi sunt Mauri, plures Ecclesiæ subjectionem negabant. At Adrianus IV, sicut plures alii Pontifices, Primatum, tanquam jure postliminii eidem debitum, adstruebant.

Articulus

Articulus XI.

Alexander III, 1159.

Magnus hic Pontifex *Rolandus* ante vocatus, Natione Thuſcus, Cardinalis S. Marci, electus 7 Sept. 1159. Secutum eſt ſchiſma, quod 21 annis duravit, quatuor Pſeudo-Pontificibus intruſis. Nam cum Alexander III electus fuiſſet, duo Cardinales, Joannes & Guido, elegerunt *Octavianum* Cardinalem S. Cæciliæ, qui *Victor IV* dici voluit. Facile poterat hoc ſchiſma ſopiri, niſi Fridericus I Imp. Alexandrum exoſus, Octaviano adhærens, illud foviſſet, atque in Conciliabulo Ticinenſi Epiſcopos in partes Antipapæ pertraxiſſet. Secuta eſt mutua Papam inter & Antipapam excommunicatio, atque dejectio Præſulum, Alexandro adhærentium. 161

Schiſma Octaviani.

Interiit quidem Octavianus ſchiſmatis ſui anno quinto, ſed ex cineribus ejus merſit novum monſtrum, *Guido* Cremenſis, qui Octavianum elegerat, *Paſchalis III* compellatus, atque ab Epiſcopo Leodienſi conſecratus. Hic Carolum M. ſanctum declaravit; cujus poſtea cultus tacita permiſſione per plures provincias invaluit, Friderico præſertim mandante. Guido, poſtquam 4 annis Eccleſiam laceraſſet, miſere periit. Sed corruptio unius rurſus erat generatio alterius.

Guidonis.

Nam illi ſuffectus a ſchiſmaticis eſt Joannes *Abbas Strumienſis* ſub *Calliſti III* nomine. Qui poſtquam decennio deliravit, ad ſanam mentem rediens, inſignia ſua ad pedes Alexandri Papæ pœnitens depoſuit, anno 1178.

Abbatis Strum.

Sed necdum tumultuatum ſatis. Schiſmatici, qui tamen pauci remanſerant, intrudere conati ſunt quartum, *Landonem* Clericum, cui nomen *Innocentii III* impoſuerunt. Hic anno 1180 captus, & in exilium eſt deportatus. Fridericus autem Imp. jam triennio ante cum Pontifice Alexandro III in concordiam Venetiis rediit.

Landonis.

At Alexander non diu poſt partam Eccleſiæ pacem *obiit* 30 Aug. 1181, Pontifex non tantum doctiſſimus, & de Jurisprudentia Canonica præclare meritus, ſed etiam virtute, fortitudine, conſtantia adverſus omnes ex adverſo impetus invictus.

Conſtitutiones multas edidit. Ego notabiliores ſolummodo, quæ in Bullario Romano extant, breviter hic indico.

1. Suam electionem, & Octaviani violentias atque furores in invadendo Papatu annuntiat.

2. Cassinensi Monasterio primatum super omnia Italiæ Monasteria tribuit.

5. Canonizatio S. Eduardi Regis Angliæ.

15. S. Bernardi Abbatis Clarevallensis.

36. Destinat Legatos Apostolicos in Angliam, ut discordias, inter Henricum II Regem & Thomam Cantuariensem exortas, componant, cum mandato, ut Ministros Regios ab excommunicatione absolvant.

37. Hortatur omnes Christianos Principes, ut terræ sanctæ, miserum in modum afflictæ, succurrant.

41. Episcopis Angliæ prohibet, ne filio Henrici II Regis coronam imponant, nisi juret, Ecclesiastica jura se conservaturum.

42. Regis Angliæ coronationem ad Cantuariensem pertinere declarat, vetatque, ne Eboracensis, aut alius quiscunque Episcopus coronationem illam attentare præsumat.

47. Matrimonia sine benedictione sacerdotali fieri vetat.

Episcopos Angliæ suspendit.

49. Vehementem dat epistolam ad Eboracensem, aliosque Episcopos Angliæ, eisque exprobrat, quod, expulso Thoma Cantuariensi, consenserint in prætensas regni consuetudines, in libertatem Ecclesiasticam iniquas, atque Regis filium coronarint, non exacto juramento de conservandis Ecclesiarum juribus, contra ac Sedes Apost. mandasset; quare eos ab omni Dignitate Episcopali suspendit, ex eo etiam capite, quod in jus alienum involarint, cum ad Cantuariensem, tanquam Primatem totius Angliæ, spectet, Regem coronare.

58. Terram Regis Angliæ cismarinam Interdicto subjicit, propter cædem, S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo illatam.

66. Eundem Thomam Martyrem in album sanctorum refert.

Militia S. Jacobi.

80. Approbat Institutum *Militiæ S. Jacobi* de Spatha in Hispania. Utriusque sexus homines in eam assumuntur, sub obedientia unius supremi Magistri seu commendatoris. Nihil proprium habent in particulari, bene vero in communi, ad primorum Christianorum exemplum. Conjugati castitatem conjugalem vovent; cœlibes matrimonium inire non possunt sine consensu Magistri. Finis est defendere & propagare Ecclesiam contra Saracenos aliosque Infideles. Bona, quæ isti ante hominum memoriam Christianis abstulerant, militiæ tribuit Pontifex, si ea Mauris rursus eripuerint: pristinos tamen Episcopatus vult restaurari.

88. Approbat Institutum Carthusianorum, eosque in protectionem Sedis Apost. recipit.

90. Pa-

90. Pacem & concordiam, cum Frid. I Imp. Venetiis initam, nuntiat; aliaque refert, quæ inter Pontificem & Imperatorem familiariter & amice ibidem sunt acta. (*Datum Venetiis* 16 *Julii* 1177)

94. Indicit Concilium Generale Lateran. III, pro disciplina & contra hæreses.

99. Canonicis Coloniensibus usum Dalmaticæ & Mitræ concedit.

102. Alphonso Portugalliæ Duci Regius Titulus defertur, ejusque regnum sub protectionem Sedis Apost. recipitur.

111. Templariorum Ordinem & Institutum laudat, ac singularibus privilegiis locupletat.

112. Constitutiones Ordinis Cisterciensis, quem adversus schismaticos fidelissimum expertus est, ac privilegia confirmat.

Excerpta ex Bullarii

Tomo III, Part. I.

Ab anno 1181, ad 1271.

CAPUT XV.

Reliquæ Constitut. Sæc. XII.

Articulus I.

Lucius III, 1181.

Mortuo Alexandro III post diem unum electus est Humbaldus 27.
Lucensis Thuscus.

Const. 1. Absolvit Wilhelmum Regem Scotiæ ab excommunicatione, quam in eum tulerat Archiep. Eboracensis, Regnumque Interdicto liberavit.

8. Damnat Catharos, Patarinos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josepios, Arnaldistas, omnesque alios Hæreticos cum eorum fautoribus.

13. Equitibus Templariis confirmat donationes, a Godefredo I & II Ducibus Brabantiæ factas.

14. Mandante, lite necdum contestata, moriente, extinguitur mandatum.

Obiit

Primus a solis Cardd. electus.

Obiit Veronæ 1185, sedis 5. Fridericum I Imp. Reges Galliæ & Angliæ hortatus est ad sacram expeditionem, Salandino Ægypti Calipha Palæstinam invadente. Notat Onuphrius Panvinius, Lucium III primum fuisse, qui a solis Cardinalibus fuerit electus, Clero & populo omnino exclusis, legem de duabus suffragiorum tertiis observatam ad cavenda deinceps schismata, quæ antea erant frequentia.

Articulus II.

Urbanus III, 1185.

Electus a Cardinalibus Umbertus Crivellus, Lombardus, Archiep. Mediolanensis, Urbani III nomen assumpsit. *Const.* 4. Vetuit, ne domus Canonicales laicis, præsertim mulieribus, locentur.

9. Declarat, per mortem delegantis non cessare Officium Judicis delegati, si ante mortem facta jam fuerit citatio, licet necdum facta sit litis contestatio; eo quod per citationem negotium quasi cœptum sit. *Cap. Gratum 29 de Offic. & potest. Jud. Deleg.*

11. In Beneficio non debet filius immediate succedere: & qui successerunt, ab ea Ecclesia sunt removendi.

12. Post interpositam appellationem innovata in pristinum statum oportet restituere.

Obiit 19 Oct. 1187, Reg. 2, cum Friderico Ænobarbo Imp. collisus est, quod hic patrimonium Comitissæ Mathildis occupasset, & spolia Episcoporum sibi arrogaret. Cum nuntium accepisset de expugnata a Saladino Jerosolyma, mœrore obiit Ferrariæ.

Articulus III.

Gregorius VIII, 1187. *Et Clemens III*, 1187.

Greg. VIII altero jam sedis mense decessit Pisis, postquam publicas pro Palæstina preces indixit, omnesque ad novam expeditionem est hortatus.

Altera mox die Pisis electus est Paulus, Prænestinus Episcopus, Romanus 19 Dec. 1187. Scoticam is Ecclesiam *Const.* 3 exemit, ac Sedi Apost. immediate subjecit. Regibus quoque Scotiæ privilegium dedit, ut a nemine, nisi summo Pontifice censura notari possint.

4. Archiepiscopo Bremensi suffraganeos designat, Lubecensem, Sverinensem, Raceburgensem.

11. San-

11. Sanctis adscribit Othonem Episcopum Bambergensem, Pomeraniæ Apostolum: & 16 Malachiam Hiberniæ Episcopum, cui famosa prophetia ænygmatica de futuris Pontificibus adscribitur.

Obiit Clem. III 27 Martii 1191, sedis 4. Friderico I Imp. Philippo Galliæ & Richardo Angliæ Regibus sacræ expeditionis auctor fuit; quæ tamen non eum, qui sperabatur, fructum tulit. Felicior fuit Clemens in sancienda pace cum Senatu populoque Rom.

Articulus IV.

Cœlestinus III, an. 1191.

Constit. 1. Irritavit ea, quæ Archiep. Cantuariensis egerat contra privilegia Monachorum Cantuariensium.

2. In Catalogum sanctorum refert Ubaldum, Eugubinum Episcopum: & 11 Bernwardum Hildesheimensem Episcopum. 15. Joannem Gualbertum fundatorem Monachorum Vallis Umbrosæ.

18. Eboracensem Archiepiscopum propter contumaciam ab officio suspendit, & administrationem Ecclesiæ Decano demandat. Delatus is fuerat ad Pontificem, quod loco muneris sui Archiepiscopalis, venationibus & negotiis sæcularibus toto anno vacet. Ubi Cœlestinus querelam veram esse comperit, Romam eum citavit; at cum elapsis terminis, etiam prorogatis, non compareret, eum a munere Archiep. suspendit. 19. Hac de re edocet Clerum Eborac. & 20 Lincolniensi Episcopo executionem delegat.

25. Decano Rothomagensi respondet ad aliqua Juris dubia. 1. Si causa committatur, remota appellatione, reus autem reconveniat actorem coram eodem Judice, an actor possit appellare? *Resp.* Negative; quia eadem debet esse actoris & rei, conventionis & reconventionis conditio. 2. An Judicem tanquam suspectum recusans debeat causam allegare & probare? & coram quo Judice? *Resp.* Causam allegare debet coram Judice, quem ut suspectum recusat. Probatio vero facienda coram aliis Judicibus, in quos partes debent compromittere. Si causa coram his probata fuerit, supersedendum Judici suspecto. Si non fuerit probata, fungatur suo officio. Quia ipsa ratio dictat, suspectos & inimicos non debere esse Judices. Dubia Juris.

3. Si causa commissa sit tribus, ita, ut, si tertius interesse nequiverit, duo procedant, an duo procedere possint, si non constet satis, an tertius interesse possit? *Resp.* Negative. Secus dicendum, si

per certum nuntium aut litteras, vel aliunde certo constet, tertium interesse non posse. Ratio est tenor mandati.

Obiit 8 Jan. 1198, sedis 7. Magnopere institit, ut sacra expeditio instauraretur ad recuperandam terram sanctam. Graviter etiam Leopoldum Austriæ Ducem monuit, ut Richardum Angliæ Regem, quem ex Palæstina revertentem captivum detinebat, libertati restitueret. Henricum VI Imp. & Constantiam ejus conjugem coronavit, postquam restitutionem integram Patrimonii S. Petri, & jurium Ecclesiasticorum conservationem juraverant.

CAPUT XVI.
SÆCULUM XIII.
Articulus I.
Innocentius III, anno 1198.

83. Sequenti mox die electus est *Lotharius* Anagniensis Italus, ex Comitum Signiæ prosapia, Cardinalis Diaconus. IX. Calend. Martii ordinatus est Presbyter, & Dominica sequente consecratus Episcopus, atque coronatus Pontifex. Pleni sunt libri Decretales doctissimis Constitutionibus, quibus Ecclesiam instruxit; nos hic tantum aliquas notabiliores, quæ insertæ sunt Bullario Romano, attingemus.

1. *Constit.* Ecclesiam edocet de legitima sua electione. 2. Confirmat sententiam excommunicationis, quam Legati Apost. vibrarunt in Marcovaldum, contumacem libertatis Eccles. & patrimonii invasorem. 3. Confirmat regulas Canonicorum Regul. Perusiæ. 4. Confirmat Archiepiscopo Pisano jus Metropoliticum in Corsicanas Ecclesias. 7. Confirmat fœdus & concordiam inter Philippum Regem Franciæ & Balduinum Comitem Flandriæ, qui fidem clientelarem assecurat. 11. Confirmat Institutum & Regulas Canonicorum Regularium Ord. Præmonstratensis, cum largitione privilegiorum.

13. Commemorat Siciliæ in Sedem Apost. merita, & in gratiam Henrici & Constantiæ regnum Siciliæ præscribit modum eligendi Episcopos. Nempe sedem vacantem Capitulum significet Regi: eligat personam idoneam, cui Rex petitum dare debeat assensum. Ante hunc electus non inthronizetur: nec ante confirmationem Pontificiam administrationi se misceat.

15. Lundensi Archiepiscopo Primatum concedit in omnes Sveciæ Ecclesias, sic tamen, ut Pallium per nuntium Roma accipiat, & obedien-

obedientiam Sedi Apost. juret. 18. Canonizatio S. Homoboni. 24. Compostellana Ecclesia erigitur in Metropolitanam. 25. Conqueritur Pontifex, quod pluribus libris S. Scripturæ, in linguam Gallicam versis, homines abutantur, & in privatis conventiculis de iis viri & mulieres sermonem instituant, cum neglectu & contemptu Sacerdotum, quorum est eis publice verbum Divinum exponere. Addit eam esse S. Scripturæ profunditatem, ut rudes intellectum illius non assequantur, nisi ii, quibus ex officio incumbit, eis panem frangant, & secundum rectum sensum porrigant. De lect. S. Scripturæ.

27. Marcovaldum cum sociis Teutonicis & Latinis, qui statum Ecclesiasticum & Siciliam, ad Romanam Ecclesiam ratione dominii directi pertinentem, spoliaverant, ab excommunicatione absolvit, utpote pœnitentem & compensationem damni illati promittentem.

30. Exhibetur oratio in genere deliberativo, cui, Imperio Rom. per mortem Henrici VI vacante, sit favendum, an puero (Friderico II Henrici VI filio) an Philippo Henrici fratri, an vero Othoni, Saxoniæ Duci, inter quos Electorum Suffragia variabant? pro Friderico militabat patris & avi Imperium, cum jurato promisso, patri facto ab Electoribus. Sed obstabat infantilis ætas. Philippo objiciebatur persecutio Romanæ Ecclesiæ, tum ab ipso, tum a fratre & patre exercita. Igitur Innoc. III Othonem Saxonem præferendum putavit. Delib. de eligendo Imp.

31. Canonizatio S. *Kunegundæ* Imperatricis, sponsi sancti sponsæ sanctæ. Ut autem quis Sanctis adscribatur, duo sunt necessaria, virtus morum, & signorum, seu meritorum & miraculorum.

32. Othonem IV Imperatorem agnoscit & confirmat, datis ad eum & Principes Germaniæ litteris. (1201)

38. Colo- Joannem Regem Bulgarorum renuntiat, missis insignibus Regiis, cum potestate cudendi monetam, & coronam recipiendi ab Archiep. Innovitano.

39. Postquam Rex Bohemiæ, desertis Philippi, a quo coronatus fuerat, partibus, ad Othonem transiit, Innoc. III eum Regem agnoscit.

40. Erigit celeberrimum Hospitale S. Mariæ in Saxia pro pauperibus, quod sequentes Pontifices multis privilegiis & opibus locupletarunt.

42. Refert, quomodo Latini, occupata Constantinopoli, Balduinum Flandriæ Comitem coronarint Imperatorem Orientis, ad quem Occidentales invitantur, ut inde expeditio in Palæstinam adornari possit. (an. 1205)

43. Cum multi Græci a ſchiſmate receſſiſſent, Balduinus Imp. ab Innoc. III petiit Religioſos viros, qui Miſſalia, Breviaria, Ritumque debitum introducant.

45. Petrus Rex Aragoniæ Romæ coronatur: daturque Archiepiſcopo Tarraconenſi in futurum poteſtas, Reges Aragonum coronandi.

50. Reſcindit omnes leges, a laicis contra Canones latas in præjudicium perſonarum Eccleſiaſticarum.

52. Petrus Aragonum Rex electiones Eccleſiaſticas vult eſſe liberas; id ſolum exigens, ut libere & Canonice electus Regi ſe ſiſtat. Hanc ceſſionem Innoc. III confirmat. (an. 1207)

55. *Comitem Toloſanum*, hæreſis Albigenſium fautorem excommunicat, quod Legatum Apoſt. Petrum a Caſtro novo interemiſſet, ſubditoſque a fidei Sacramento abſolvit. (*an.* 1208)

57. Longa erat controverſia de electione Epiſcopi Gurcenſis; quæ tandem jubente Innoc. III tranſactione finita eſt. Archiepiſcopus Salisburgenſis tres proponat: ex his Capitulum Gurcenſe unum eligat, ab Archiepiſcopo confirmandum.

64. Fideles hortatur ad capienda arma contra rebelles Albigenſes.

65. Athenienſi Archiepiſcopo Pallium mittit, & privilegia concedit.

67. & 68. Archiepiſcopo Strigonienſi confirmat privilegia, & jus coronandi Regem Hungariæ, aut, ſi non poſſit, delegandi Colocenſem.

70. Indulgentias confert, pugnaturis ſub Simone de Monteforti contra Albigenſes, per Provinciam graſſantes. (1209)

71. Rex Daniæ ſub protectione Sedis Apoſt. recipitur.

74. Militiæ S. Jacobi in Hiſpania dat facultatem ducendi uxores.

81. Innoc. III omnem auctoritatem ſuam adhibuerat, ut Otho IV Imperator eligeretur; ſed cum is poſtea ad jura Eccleſiaſtica & immunitatem manum extenderet, eundem excommunicatum & ejus acta irrita declaravit. (*an.* 1213)

82. Archiepiſcopum Theſſalonicenſem Primatem declarat, & Vicarium perpetuum Sedis Apoſt.

83. Reges ac Regnum Portugalliæ, de Eccleſia præclare meritum, ſub protectione Sedis Apoſt. recipiuntur, omniaque illis confirmat, quæ de manibus Saracenorum vindicaverint.

85. Henricus Imperator Cpolitanus vetuerat, ne quis ſive per actum inter vivos, ſive per ultimam voluntatem, aliquid Eccleſiis largiatur. Mandat igitur Papa, ut hanc Conſtitutionem, tam Di-

vinis

vinis quam humanis legibus inimicam, Legati Apost. irritam & inanem declarent.

91. Abbatibus Ordinis Cluniacensis mandat, ut collapsam disciplinam restaurarent, & æternis potius quam temporalibus divitiis inhient.

92. Hortatur Fideles ad suscipiendum sacrum bellum in Palæstinam.

93. Indicit sacrum Oecumenicum Concilium Lateranense IV ad extinguendas hæreses, reducendam pacem, restaurandam morum corruptorum disciplinam, & adornandam sacram expeditionem in terram sanctam. (*an.* 1214)

96. Approbat pacem & concordiam, inter Regem & Ecclesiam Anglicanam initam.

97. Joannes Rex Angliæ Regnum Sedi Apost. obtulit, illudque ab Innoc. III recepit sub censu annuo mille marcharum, salvo denario B. Petri. 102. Proceres, Regi suo Joanni rebelles, excommunicatos denunciat. 103. Joannes libertatem electionum Ecclesiasticarum concedit. Papa ejus Diploma confirmat. 106. Irritat concessiones in præjudicium Regni a Joanne Rege Baronibus suis factas.

107. Indicit bellum sacrum pro recuperatione terræ sanctæ, jubetque, ut Cruce signati ali. se congregent Brundusii, alii ad Messinam in Sicilia, vel locis propinquis. Clericis comitantibus concedit perceptionem fructuum suorum Beneficiorum, aliis Indulgentias. Ipse vero triginta librarum millia largitur, cum navigio, & eleemosynis ad sacrum hoc opus contributis. (*an.* 1215)

Obitus Innocentii III.

Obiit Perusii magnus hic & doctissimus Pontifex 16 Julii 1216, sedis 19. Rebus ejus gestis describendis nulla sufficit penna. A prima juventute in Academia Parisiensi & Bononiensi omni litteratura excultus, in S. Scripturæ intelligentia, atque Theologia vix parem habuit, in sacra vero Jurisprudentia, imo & civili ante omnes excelluit, Doctor Doctorum ab omnibus habitus. Tota prope Europa eum amabat ut patrem, ut Dominum venerabatur, cui & regna, fiduciario jure possidenda, subjiciebantur. Philippum II Franciæ Regem opportune importune compulit, ut dimissa Maria, Meraniæ Ducis filia, superinducta, a se dimissa, Inseburgim, conjugem legitimam, quam repudiaverat, reciperet. Joannem *Sine Terra*, Angliæ Regem, Clericos & Ecclesiam persequentem anathemate ad obsequium flexit. Gesta. Eandem auctoritatem in Othonem IV Imp. cui contra Philippum Sueviæ Ducem eximie faverat, cum a se ipso descisceret, & statum Ecclesiasticum invaderet, exercuit.

Siciliam Clientelare Regnum Romanæ Ecclesiæ contra Marcualdum tyrannum sacris ac profanis armis defendit, eoque Constantiam Imperatricem & Fridericum ejus filium (postea Imperatorem) investivit. Petrum Aragoniæ Regem propriis manibus coronavit. Bulgaros ad Romanam Ecclesiam reduxit, Calo-Joanne regnum suum eidem subjiciente. Leonem pariter Armeniæ Regem, ad Ecclesiam cum regno suo redeuntem, paterno amplexu recepit. Sed nihil majus, quam reductio Orientalis Imperii, Cpoli occupata a Latinis, ad unum ovile & unum pastorem.

Quid dicam de Albigensium hæresi & Comite Tolosano, ipsius industria victis, ac per Concilium Lateranense IV debellatis? quid de Epistolis ejus Decretalibus, quas magno numero Juri Canonico insertas veneratur tota Jurisprudentum natio.

Articulus II.

Honorius III, 1216.

89. Una duntaxat die vacavit sedes, cum electus est Perusii 18 Julii 1216, Card. *Cencius*, Romanus, ex Sabella Familia. Constitutione

1. confirmat Monasterio Cassinensi omnia sua bona & privilegia.

Approbatio Ordinis S. Dominici.

2. Approbat Ordinem Canonicum B. Dominici Tolosæ erectum sub Regula S. Augustini. Dat facultatem possidendi bona, Ecclesias parochiales, sepulturam liberam omnibus, assumendi in Ordinem Clericos & Laicos. Eximit a Decimis Novalium, aliisque exactionibus: post mortem B. Dominici eligendi Priorem. Chrisma vero, oleum sacrum, Ordines, consecrationes altarium & Basilicarum a Diœcesano Episcopo suscipiantur, &, illo detrectante, a quovis Episcopo Catholico (*an.* 1216)

5. Indicit cruciatam pro subsidio terræ sanctæ.

6. Coronat Imperatorem Cpolitanum, salvo jure Patriarchæ Cpolitani.

12. Marchiam Anconitanam concedit in feudum Azzoni VII Marchioni Estensi, sub annuo censu centum librarum.

17. Postquam Genuenses & Pisani diuturno inter se bello collisi fuerant, pacem componit, atque arma in Saracenos verti monet.

22. Canonizatio Wilhelmi Archiep. Bituricensis.

23. Regem Bohemiæ a censuris absolvi jubet, præstita satisfactione Pragensi Ecclesiæ.

37. Ebraudo

37. Ebrhardo Archiepiscopo Salisburgensi dat facultatem, Praeposituram *Seccoviensem* erigendi in Episcopatum, sub collatione & Investitura Archiepiscopi, fundatoris. (1219) Seccoviensis Epis.

41. Ecclesiam S Sixti Romae concedit Ordini Praedicatorum.

42. Canonizatio Hugonis Lincolniensis Episcopi.

44. & 45. Hortatur Religiosos, ut ad Livones & Borussos, recens ad fidem ex Paganismo conversos, proficiscantur, in Religione confirmandos.

46. Mortuo Erico Rege Sveciae, Joannes Dynasta regnum invasit, fuitque ab Episcopis inunctus. Sed Waldemaro Rege Daniae pro Nepote suo, Erici filio, ad Honorium III appellante, Episcopi ad dicendam causam ab eo citati sunt. (1220)

47. Frid. II Imperator & Rex Siciliae haereditatem Mathildis, quae Patrimonium S. Petri appellatur, Pontifici restituit. (1220)

48. Confirmat leges, quas Frid. II Imp. pro Ecclesiastica immunitate tulerat. Nam irrita & inania Imperator declarat omnia statuta & consuetudines, eidem contrarias, prohibetque eam violari sub poena bis mille marcarum, ac violatores infames declarat. Addit: *Nulla potestas, publica aut privata, collectas aut exactiones Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut personis Ecclesiasticis imponere, aut invadere bona Ecclesiastica praesumat*, sub poena tripli & Banni Imperialis. Eadem poena statuitur in insordescentes per annum in excommunicatione. Friderici II leges pro libertate Ecclesiastica.

Item statuimus, inquit porro, *ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione aut civili trahere ad Judicium saeculare praesumat, contra Constitutiones Imperiales & Canonicas sanctiones. Quod si fecerit actor, jure suo cadat, & judicatum non teneat, & Judex sit ex tunc judicandi potestate privatus. Statuimus etiam, ut, qui Clericis justitiam denegaverit, ter requisitus, Jurisdictionem amittat.*

Haereticos omnes, notatos infamia, ex Imperio proscribit, relatis in Fiscum eorum bonis. Graves quoque poenas imponit Dominis, in terris suis eos tolerantibus, ac juramentum super hoc Magistratibus injungit. Hoc Edictum, quod vult esse perpetuum, Frid. II Imperator edidit ipso die, quo ab Honorio III Imperii Diadema accepit. (1220)

50. 51. 55. Varias terras Status Ecclesiastici variis Nobilibus in feudum concedit, sub obligatione alicujus census annui, Camerae Apost. persolvendi.

67. Approbat Ordinem & Regulam S. Francisci, ab Innoc. III jam approbatam, quae praecipit *Evangelium observari, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam* Approbatio Ordinis S. Francisci.

Honorio

Honorio Papæ, ac successoribus ejus, canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ, & alii Fratres teneantur Fratri Francisco & ejus successoribus obedire. - - - Ne solliciti sint de bonis temporalibus - - - jejunent a Festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini - - - quadragesima incipiat ab Epiphania Domini ad continuos 40 dies. Qui nolunt, aliam jejunent usque ad Resurrectionem Domini. Aliis autem temporibus non teneantur jejunare, nisi feria sexta. Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur Fratres jejunare. - - - Non debent equitare, nisi manifesta necessitate aut infirmitate cogantur.

Regula. Cap. 4. Sic loquitur S. Franciscus: *Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios aut pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam.* Jubet ex eleemosynis vivere. *Cap.* 8. Teneantur semper habere Generalem Ministrum, unum de Fratribus, & ei teneantur firmiter obedire; ejus electio fiat a Ministris Provincialibus, & custodibus in capitulo Pentecostes. Adduntur multa alia; & in fine testamentum S. Francisci, ex quo sancta quidem simplicitas, sed Spiritus Divinus elucet humillimi Servi Dei. Vult autem, sanctam suam regulam pure & simpliciter observari sine glossa.

73. Eximit Ordinem Cistercienſem a solvendis Decimis.

75. Unam præbendam reservat in singulis Franciæ Ecclesiis pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ.

77. Canonizatio Laurentii Archiep. Dublinensis Regis Hiberniæ filii.

Approbatio Ord. Carmelitarum. 78 Approbat Regulam Ordinis B. V. de Monte Carmelo.

Obiit Honorius III Romæ 18 Martii 1227, sedis 11. Cruciatam in terram sanctam expeditionem adornavit. Felix illius erat initium: expugnatum Pelusium, seu Damiata, urbs Ægypti celebris; sed ortis inter Christianos dissidiis iterum amissa, & omnia retro lapsa sunt. Unde Honorius ad Frid. II Imperatorem conversus, ut votum, suscipiendi expeditionem adversus Saracenos exsolveret, maximopere instabat. At ille moras ex moris trahens, in apertam tandem cum Pontifice discordiam erupit, Ecclesiamque vexare cœpit. Henricum III Angliæ Regem, Joannis filium, in tutelam Sedis Apost. receptum, adversus Philippum & Ludovicum Galliæ Reges defendit.

Frid. III urget ad votum exsolvendum.

Tres Ordines celeberrimos approbavit, Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum. Et quidem *S. Dominicus*, Fidei Inquisitor in Galliam adversus Albigenses missus a Pontifice, in partibus Tolosanis grassantes, munere sibi imposito præclare functus est. Instituit precandi formulam, quam *Rosarium* dicimus, quamvis aliqui antiquiorum eum ritum existiment. Cum Ordine S. Dominici cœpit S. Inquisitionis

Ordo S. Dominici.

ſtionis Officium, & Magiſtri S. Palatii, quod utrumque primus S. Dominicus tempore Honorii III geſſiſſe fertur, majori deinceps auctoritate & poteſtate auctum, ſemperque in Prædicatorum Ordine retentum. *Ordo Seraphicus*, quamvis ſtrictiſſimam ex S. ſui Fundatoris regula profiteretur paupertatem, mirifice propagatus eſt. S. Franciſco Miniſter Generalis ſucceſſit *Helias*, qui murum arctiſſimæ paupertatis, quem S. Fundator conſtruxerat, laxitate perfregiſſet, niſi S. Antonius, S. Bonaventura, aliique viri ſanctiſſimi obſtitiſſent. Atque inde tot diviſiones & reformationes ſancti hujus Ordinis ſecutæ ſunt, quod alii laxius alii arctius Regulam S. Franciſci obſervarent, alii bona ſtabilia in communi poſſidenda cenſerent, alii hæc a S. Fundatore interdicta putarent. *Carmelitæ* Ordinis ſui originem ad Eliam & Eliſæum alioſque montis Carmeli habitatores referunt. Hoc certum, quod B. Albertus, Solymitanus Patriarcha, eremitis, in monte Carmelo diſperſis, dederit regulam, ſub initium Sæculi XIII, quam Honorius III approbavit anno 1226.

S. Franciſci.

Carmelitarum.

Articulus III.

Gregorius IX, anno 1227.

Altera ab obitu Honorii die electus eſt *Hugo* Card. Epiſcopus Oſtienſis, Campanus ex Comitibus Signiæ 19 Martii 1227. Conſtitutiones multas edidit, quinque libris Decretalium, ipſius auctoritate collectis, inſertas. Aliquas tantum in Bullario contentas, inſinuamus. 90.

1. Cremonenſem Eccleſiam ad Mediolanenſem Provinciam reducit. 2. Declarat, populos, noviter ad fidem converſos, Romanæ Eccleſiæ eſſe immediate ſubjectos, & ſub ejuſdem protectione recipi. 5. Hoſpitale Ord. S. Mariæ Teutonicorum ſub protectione ſua recipit. Spolia, Infidelibus erepta, illis addicit; ut caſte, ſine proprio, ſub obedientia vivant, monet. 7. Epiſcopi contra Clericos concubinarios procedant, non obſtante appellatione ad Sedem Apoſtolicam.

De Ord. Teut.

8. Frid. II Imperatorem ſub conditione excommunicat, & ſubditos a Juramento fidelitatis abſolvit, niſi votum ſuſcipiendæ expeditionis in terram ſanctam exolvat, & alia delicta emendet.

12. Canonizatio S. Franciſci de Aſſiſio.

21. Cum gaudio annuntiat conciliationem Friderici II Imperatoris cum Eccleſia Romana.

26. Præſcribuntur regulæ, Univerſitati ſtudiorum Pariſienſi obſervandæ.

31. Canonizatio S. Antonii de Padua, Ord. Minorum Conventualium.

33. Adhortatio ad Germanum Patriarcham Cpolitanum, ut ad Ecclesiam revertatur, & Primatum Romani Pontificis agnoscat.

35. Reformatio Monachorum Cluniacensium, a disciplina regulari descifcentium.

40. Canonizatio S. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum.

45. Canonizatio S. Elisabeth, Andreæ Hungarorum Regis filiæ.

52. Refert nova delicta Frid. II Imperatoris in Ecclesiam & personas Ecclesiasticas, atque sententiam excommunicationis de novo in ipsum pronuntiat. (1239)

Decret. Greg. IX. Obiit Greg. IX prope centenarius 21 Aug. 1241, de Ecclesia optime meritus, ex eo etiam capite, quod post varias Canonum collectiones, eos per S. Raymundum a Pennafort, in quinque Decretalium libros, & Capitula redegerit, serfituros pro communi scholarum & fori Ecclesiastici usu. Multum illi negotii cum Frid. II Imp. quem censura adegit ad exsolvendum votum expeditionis in terram sanctam. Suscepit tandem illam; nec infelix fuit; sed, cum probrosa pace cum Saracenis inita reverteretur, & in Ecclesiæ jura involaret, eum rursus anathemate perstrinxit; quo ille irritatus, *Gibellinorum*, qui ejus partes sequebantur, & *Guelphorum*, qui a parte Pontificis stabant, factionibus Italiam miscuit, & *Eccelinum* virum sævum Longobardiæ præfecit, qui Patavium, Veronam, Brixiam, Tarvisium, Tridentum, & alias urbes 34 annis detinuit.

Gibellini & Guelphi. Eccelinus.

Gregorius vero Papa inter Fridericum & Longobardiam, Florentinos inter & Senenses, ipsosque Romanos, in diversas partes scissos, inter Angliæ denique & Scotiæ Reges, pacem conciliare omni conatu adlaboravit. Cum esset ipse doctissimus, litteratorum amator ex æquo & æstimator, Academiæ Parisiensis leges renovavit: Tolosanam, a Raymundo juniore erectam, confirmavit. Sedit annos 14 menses quinque, apud omnes meliores Jureconsultos memoria æterna dignus.

Articulus IV.

Cœlestinus IV, an. 1241.

Postquam sedes per duos prope menses vacaverat, electus est Gaufridus Mediolanensis, Card. Episcopus Sabinensis, ex Ordine Cistercienси, vir Throno Apostolico dignissimus. Verum post 17 ab electione dies, antequam pro more coronaretur, ex hac vita migravit.

Vaca-

Vacavit tum sedes per duos ferme annos, quia Frid. II Imp. aliquot Cardinales Amalphitano carcere detinebat; donec illis tandem liberatis, 24 Junii 1243 electus est Sinibaldus de Flisco Genuensis, qui nomen *Innocentii IV* assumpsit.

Articulus V.

Innocentius IV, *anno* 1243.

1. Mittit per Ecclesiam encyclicas de sua electione. 2. Frid. II gravissimas decernit pœnas in hæreticos; has Papa approbat. 4. Hortatur Regem Franciæ, ut impium Talmud aliosque blasphemos in Christum Judæorum libros comburi jubeat. 91.

5. Indicit Concilium Generale Lugdunense I, pro 24 Julii 1245, atque ad illud citatum Frid. II Imp. nunciat. 6. Eundem iterum excommunicat &c. memorat oblatas ei æquissimas pacis conditiones, Querelæ in sed omnes a contumace & perjuro despectas, S. R. E. Cardinales, alios-Frid. II. que Ecclesiasticos, ad Concilium euntes, captos, & in carceres detrusos; spretas censuras Ecclesiæ, claviumque potestatem: Ditiones varias Ecclesiæ invasas, etiamnum ab eo detineri, contra juramentum, dum Siciliam in feudum ligium ab Ecclesia Romana reciperet, & dum Romanum adiret Imperium, emissum: fractam toties pacem: impeditas in Sicilia electiones, expilata templa: inita cum Saracenis fœdera: pensionem, ratione Siciliæ jure clientelari Rom. Ecclesiæ debitam, per 9 jam annos non solutam. Propter hæc aliaque crimina alium eligendum Imperatorem: de Siciliæ autem regno se provisurum. (*Datum Lugd. in Concilio* 1245)

7. Proceres Portugalliæ petebant, ut regni administratio in Alphonsum *Sancii* fratrem juniorem transferretur. Annuit Innocentius Papa, propter subditos oppressos, libertatem Eccles. graviter læsam, contemptas admonitiones & censuras, reservato tamen Sancio ejusque, si quem sit habiturus, legitimo filio, regni jure.

10. Abbatibus Cistercienfibus conceditur, ut succedant in bona Monachorum, in quibus hi successissent, si in sæculo mansissent.

11. Canonizatio Eadmundi Cantuariensis Archiep.

19. Fratres Minores vult appellari *Conventuales*. 28. Concedit illis Ecclesiam S. Mariæ de *Ara Cæli*. 31. Canonizatio S. Petri Martyris Veronensis Ord. Prædicat. 34. Canonizatio S. Stanislai Episcopi Cracoviensis. 40. Et aliis Constitutionibus multas leges fert contra hæreticos, atque Inquisitoribus fidei magnam dat potestatem.

Jurisprud. illustrat. Obiit Innoc. IV Neapoli 7 Dec. 1254, sedis 12, ibidem in Cathedrali sepultus. *Pater Juris* appellatus, quod doctissimis commentariis illustravit. Ut Friderici II Imp. insidias vitaret, ad S Ludovicum in Galliam se recepit, ibique Concilium Lugd. I celebravit, nec ante mortem Friderici Imperatoris in Italiam rediit, ibique *Eccelinum*, crudelissimum tyrannum, ac Friderici pessimum administrum, & persecutionis incentorem, hæreticum vitandum declaravit. Conradum Friderici filium, & persecutionis hæredem, ut Sicilia depelleret, Regnum illud Carolo Andegavensi, S Ludovici fratri, certis conditionibus in feudum obtulit. At Carolus a Conrado armis victus est.

Fugit in Galliam.

Approbat Ordinem Servorum B. M. V. Approbavit Ordinem Servorum B. V. Mariæ, cui circa annum 1233 initium dederant septem viri Nobiles Florentini, qui Regulam S. Augustini cum habitu nigro a loci Archiepiscopo acceperunt. Hunc deinceps Marianum Ordinem, Matri Dolorosæ devinctissimum, totique Ecclesiæ utilissimum, S. Philippus Benitius, aliique viri, vitæ sanctimonia & excellenti doctrina præstantes, illustrarunt.

Articulus VI.

Alexander IV, *anno* 1254.

92. Post 17 dierum intervallum electus est Neapoli 21 Dec. 1254 Raynaldus Anagniensis, ex Comitibus Signiæ, Card. Episcopus Ostiensis.

1. *Const.* Christiano orbi nuntiat suam electionem.

2. Revocat litteras Innocentii IV, quibus prohibuerat, ne Regulares alienos parochianos in Ecclesias suas admitterent diebus festis & Dominicis, nec Confessiones audirent sine parochorum licentia, aut prædicarent in aliena Ecclesia: neque omitterent parocho de Sepulturis Canonicam portionem solvere. (*Datum Neapoli* 1254)

4. Rigensi Ecclesiæ in Livonia Metropoliticam Dignitatem confirmat. 6. Vetat, nequis ultra numerum in Canonicum assumatur, licet haberet litteras Apost. 8. Promotus ad Ecclesiam Episcopus infra 6 menses consecrationem accipiat. 9. Salmanticensem Universitatem confirmat. 11. Lites inter Universitatem Parisiensem & Ordines Mendicantes componit. Exclusi isti fuerant ex Academia. Papa eos restituit.

12. Sancit, ut nemo contra Franciæ Reges censuram ferre possit sine speciali licentia Summi Pontificis. (*Datum Neapoli* 1255)

16. Ere-

16. Eremitis S. Augustini certum habitum præscribit. 17. Eorumque Statuta confirmat. 20 Canonizatio S. Claræ. 22. Confirmat veritatem stigmatum S. Francisci. 24. Confirmat Statuta Carmelitarum. 25. Declarat, Hospitalarios S. Joannis Hierosol. non comprehendi ullis Constitutionibus, nisi specifica eorum fiat mentio.

28. Ordo Servorum B. V. M. sub protectione Sedis Apost. recipitur. 29. Diversæ erant Eremitarum species, quorum aliqui S. Guilielmi, alii S. Augustini, alii Joannis Doni, alii de Fabali, alii vero de Britinis censebantur. Hos omnes unit sub nomine Eremitarum S. Augustini, omnibusque communem regulam habitumque præscribit. (*Datum Laterani* 1256)

33. Datis ad Electorem Moguntinum litteris sub excommunicatione prohibet, ne eligatur in Imperatorem Conradus (seu Conradinus) quatuor tunc annorum puer, Conradi IV Imp. filius, Friderici II nepos, Henrici VI pronepos, Friderici I seu Barbarossæ abnepos, eo quod omnes isti persecuti sint Ecclesiam, cum debuissent vi juramenti esse ejusdem Advocati: ab infecta stirpe non esse speranda meliora in Conradino. Adhæc puerum non esse aptum regendo Imperio, & rem fore plenam periculi, alienis manibus Imperii habenas dirigi: quomodo possit tot populos regere infans, & protectionem præstare Ecclesiæ, qui se ipsum non posset regere? alium proin dignum eligendum edicit, additque, quanta prudentia & discretione opus, ut idoneus tantæ rerum moli eligatur. (*Datum Anagniæ anno* 1256) Monet, ne Conradinus eligatur Imp.

35. Damnat librum Guilielmi a S. Amore, *de periculis novissimorum temporum* in Hierarchiam Ecclesiæ & Ordines Mendicantes maledicum. Armavit hic auctor Academiam Parisiensem in Ordines Mendicantes, ut eos ex Cathedris Academicis amoveret. Unde graves turbæ.

38. Episcopus Uratislaviensis cum pluribus Canonicis a Boleslao Duce Lignicensi fuerat captus & carceri mancipatus. Monitiones, ut eos libertati restitueret, cum Dux sperneret, ab Archiep. Gnesnensi fuit excommunicatus. Profectum nihil, nisi ut pejor evaderet, duriusque captivos haberet. Quare Alex. IV cum arma spiritualia contemnerentur, ad materialia conversus, cruciatam contra contumacem expeditionem adornavit. (*an* 1257)

39. Academia Parisiensis Regulares a Scholis & Doctorum Collegio exclusit; Papa rescisso hoc Decreto recipi eos mandat, cui ægre paruerunt.

40. Excommunicat eos, qui in Gallia Statuta aut consuetudines, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam, observant,

 Post.

Postquam in posterioribus Constitutionibus multa tractavit de auctoritate & potestate Inquisitorum, obiit 25 Maji 1261 Viterbii, sedis 7. Extinguendis Albigensium reliquiis, Mauris ab Hispania depellendis, Lithuanis aliisque gentilibus e Polonia, Græcis Ecclesiæ uniendis, dando Imperio capiti, omnem adhibuit industriam.

Articulus VII.

Urbanus IV, anno 1261.

Post Alex. IV Cathedram Apost. conscendit 29 Aug. 1261 Jacobus Pantaleon Trecensis Gallus, humili loco natus, sed virtutum veris ornamentis illustris Virdunensis Episcopus, atque Patriarcha Hierosolymitanus, Alexandri IV per Orientem & Septentrionem Legatus, ac demum Pontifex electus, licet nunquam fuerit Cardinalis.

Constit. 3. In Canonem sanctorum retulit Richardum Episcopum Cicestrensem in Anglia.

5. Renovat mandatum Alexandri IV ad Archiep. Moguntinum missum, ne in Regem Rom. eligatur Conradinus, Conradi Imp. filius, Friderici II Imp. Nepos. *Videatur Constit.* 33. *Alex. IV, quæ hic confirmatur.* (1262)

12. Civitatem Recanatensem, quod adversus Marchiam Anconitanam contumaciter conspirasset, dignitate Episcopali privat.

13. Cum quidam Imperii Proceres Alphonsum Castellæ Regem, alii Richardum Cornubiæ Comitem, Henrici III Angliæ Regis fratrem, in Regem Rom. elegissent, Urbanus IV statuit, utrique titulum Rom. Regis tribuere. (*Datum apud Urbem Veterem* 1263)

19. Instituit Festum SS. Corporis Christi, feria V post octavam Pentecostes quot annis solennissime celebrandum. (*an.* 1264)

20. Ordo, quem S. Clara, dirigente S. Francisco, instituerat, diversis nominibus appellabatur. Urb. IV autem *Ordinem S. Claræ* denominari præcipit, eique Regulam tradit mitiorem, quam S. Franciscus dederat. (1263)

Sicilium in Carol. Andeg. transfert.

Obiit Urbanus IV Perusii 2. Oct. 1264, sedis 4, ibidem sepultus, eximiæ vir probitatis. Manfredum, Friderici II nothum, Siciliæ incubantem excommunicavit, cumque cum Saracenorum suppetiis in Campaniam irrumpentem per Cruce signatas copias repulit. Regnum autem Siciliæ, Ecclesiæ Romanæ feudum, in Carolum Andegavensem S. Ludovici fratrem transtulit 1263. Sub illius Pontificatu Michael Palæologus, Imperium Orientale, capta Cpoli, Latinis eripuit.

puit. Urbanus autem Papa facram contra eum expeditionem indixit. At callidus Princeps, miffa ad eum legatione, mirum defiderium uniendi Græcam Ecclefiam oftendens cum Latina, Pontificem placavit.

Articulus VIII.

Clemens IV, anno 1265.

Mortuo Urb. IV per 5 ferme menfes Ovile Chrifti fupremo paftore caruit, cum tandem Viterbii fubrogatus eft Guido, natione Gallus, qui poft mortem uxoris, ex qua duas filias fufceperat, facris Ordinibus initiatus, Archidiaconus & Epifcopus Anicienfis, Archiepifcopus Narbonenfis, Cardinalis Epifcopus Sabinenfis ab Urb. IV, ac tandem Pontifex fuit electus, abfens in Legatione Anglica. (1265) 93.

Conftit. 2. Declarat, Henricum III Regem Angliæ, ejufque filium Edmundum nunquam habuiffe jus in regnum Siciliæ; nam licet Innoc. IV de eo tractatum cœpiffet, nunquam tamen fuiffe abfolutum, & adjectas conditiones nunquam impletas, liberum proin effe Sedi Apoft. de eo regno, ad fe devoluto, difponere.

3. Fulginatenfi Ecclefiæ reftituitur Dignitas Epifcopalis, qua privata fuerat ob adhæfionem Friderico II Imperatori.

8. Afferit, omnium quidem Beneficiorum collationem ad Sedem Apoft. pertinere, fibi tamen fpecialiter refervat vacantia apud Curiam Romanam.

11. Continet Infeudationem Caroli Andegavenfis in regno Siciliæ, & terra ultra Pharum ufque ad terminos Status Ecclefiaftici, excepta civitate Beneventana ejufque diftrictu. Apponit Pontifex conditiones, quinam poffint fuccedere: illegitimi excluduntur: præftandum juramentum fidelitatis & homagium ligium: Regnum nunquam dividendum: Rex Siciliæ non fiat Imperator, nec poffideat Lombardiam vel Thufciam: nec fœmina in regno fuccedens nubat Imperatori. In minoritate Regis regnum adminiftret Pontifex. Cenfus annuus perfolvatur Pontifici cum parafreno albo. Auxilium eidem præftandum ad nutum. Bona omnia Ecclefiafticis reftituenda. Libertas electionum omnimode relinquenda, fine ullo Regis affenfu aut interventu. Caufæ Ecclef. fuo foro permittendæ; nec Clerici conveniendi coram Judice laico. Ex Ecclefiis vacantibus nulla Regalia, nec aliud quidpiam exigendum. Regnicolæ obtineant privilegia ac jura, quibus tempore Guilielmi II fruebantur. Exules revocentur, eifque bona erepta reftituantur. Nullum fœdus in præjudicium Rom. Ecclefiæ ineundum.

Conditiones Carolo Andegavenfi impofitæ.

Facien-

Facienda contestatio a Carolo, se regnum ex mera gratia & liberalitate Rom. Ecclesiæ obtinere. Hæ conditiones etiam successores in feudo obligent. (*Datum Perusii* 1265)

13. Albanensem Episcopum delegat, ut Carolum ejusque uxorem coronet Reges Siciliæ.

16. Revocat indulta, quibuscunque personis concessa, quod interdici vel excommunicari non possint, aut terræ earum interdicto Ecclesiastico supponi.

18. Agit contra quæstores, litteris Apost. abutentes, & eleemosynas extorquentes, Indulgentiarum prætextu.

20. Canonizatio S. Hedvigis Ducissæ Poloniæ.

26. Accusatus Conradinus, quod Imperium affectarit; titulum Regis Siciliæ sibi arroget: concitet populos: pacem Ecclesiæ turbet: cum exercitu Italiam sit ingressus: Veronam, Papiam, aliaque Lombardiæ loca occuparit: mandata Pontificis spreverit. Vetat igitur Pontifex, ne Italiæ Proceres ejus partibus accedant; Conradinum vero excommunicat, & Italia excedere jubet &c. Quod autem in crudeli ejusdem cæde partem habuerit, nullo argumento probatur.

Obiit Clemens IV Viterbii 29 Nov. 1268, sedis quarto: sepultus ibidem in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, quibus, uti etiam Minoritis magnas contulit gratias & privilegia, quam parcus erga suos consanguineos, tam liberalis in pauperes. Jurisprudentiæ decus a quibusdam appellatur; certe viros doctos eximie coluit. S. Thomæ Aquinati Archiepiscopatum Neapolitanum obtulit. Manfredum cum suis Gibellinis per Carolum Andegavensem cecidit, uxore ejus multisque Nobilibus captis. Accepto nuntio de calamitoso Christianorum in Palæstina & Syria statu, omnes Principes, S. Ludovicum maxime, ad succurrendum est adhortatus. Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem datæ fidei pro tollendo schismate admonuit.

Excerpta

Excerpta
ex Tomi III Parte II.
Ab anno 1271, ad 1431.
CAPUT XVII.
Reliquæ Constitut. Sæc. XIII.
Articulus I.
Gregorius X, anno 1271.

A morte Clementis IV vacavit sedes per tres fere annos, Cardinalibus in partes scissis. Tandem sex Cardinales, in quos reliqui compromiserant, 1 Sept. 1271 elegerunt Theobaldum, Placentinum, Leodiensem Archidiaconum, in Syria tunc absentem; qui dein 27 Martii Romæ consecratus est Episcopus & coronatus Pontifex. 94.

Constit. 3. Indicit Concilium Generale Lugdunense II pro unione Græcorum, auxilio terræ sanctæ, instauranda disciplina; prout uberius diximus Part. III.

5. Civitati Pisanæ restituitur Archiepiscopalis Dignitas, qua privata fuerat, quia Conradino adhæsit, Gibellinorum partes secuta.

6. Componit Guelphorum & Gibellinorum dissidia, Florentiæ bona utrinque erepta restitui jussa; Gibellini a censuris absoluti, & Carolo Andegavensi Regi Siciliæ conciliati. A Guidone & Symone Comitibus dati obsides fidei. (1272)

8. Gratulatur Michaeli Palæologo Imperatori Orientis unionem cum Ecclesia Latina, in Concilio Lugdunensi confectam, hortaturque, ut schisma penitus extinguat. Respondet Imperator, & fidei professionem Catholicam, cum subjectione ad Sedem Apost. mittit. *Græci Imp. subjectio.*

9. Ordinationes ad manutenendam in Portugallia immunitatem Ecclesiasticam, graviter violatam.

Obiit Aretii 10 Jan. 1276, sedis quinto. Celeberrimum illius opus est convocatio Concilii Lugdunensis, in quo Oriens cum Occidente unitus; terræ sanctæ promissa auxilia, saluberrimi concepti Canones. Rudolphi Habspurgici electionem in Imperatorem ratam habuit. Ut, extinctis Guelphorum & Gibellinorum factionibus, arma in Saracenos obverterentur, omnem conatum adhibuit. Ut Cardina- *Conclavis initium.*

les, defuncto Pontifice, conclavi includerentur, in Concilio ſtatuit; ne tanto deinceps tempore Eccleſia capite careret. Gregorium X miraculis poſt mortem claruiſſe, plures ſunt Scriptores, qui cum S. Antonino teſtentur.

Articulus II.

Innocentius V. Hadrianus V. Joannes XXI. Nicolaus III.

Annus 1276 quatuor vidit Pontifices, Greg. X cum prioribus tribus nominatis; nam 20 Jan. electus Petrus a Tarantaſia, Burgundus, ex Ord. S. Dominici, doctrina clariſſimus, dictus *Innoc. V*; ſed vix electionem ſuam Eccleſiæ nuntiaverat, cum infida mors eum rapuit 22 Junii, ſedis menſe ſexto inchoato.

Brevior adhuc Pontificatus fuit Hadriani V, qui 18 Auguſti obiit, poſtquam menſem unum & dies 7 aſpexit potius Cathedram Petri, quam poſſedit.

Poſt menſis intervallum 15 Sept. ſuffectus eſt *Joannes XX*, dictus XXI, Luſitanus; qui poſt menſes octo defunctus, locum reliquit Joanni Cajetano de Urſinis, qui *Nicolaus III* dici voluit. Sed neque illius diuturnum fuit Regimen; nam 25 Nov. 1277 electus, obiit 22 Aug. 1280, ſedis 3.

Quatuor autem iſti Pontifices propter brevitatem Pontificatus, vix Conſtitutionem memorabilem ediderunt, niſi qua nuntiarunt, electos ſe eſſe. Nicolaus III Regulam Fratrum Minorum explicavit, aſſeruitque, eorum, quæ ipſis donarentur, nullum eos accipere dominium, ſed nudum uſum facti, ad Sedem autem Apoſt. pertinere dominium, quod deinde Joannes XXII abdicavit.

Poſt mortem Hadriani V & Joannis XXI vacavit diutius ſedes, quia duo illi Pontifices Conſtitutionem Gregorii X de includendis pro electione Cardinalibus in Conclavi ſuſpenderunt.

Articulus III.

Martinus IV, anno 1281.

Simon de Bria, natione Gallus, 22 Febr. electus *Conſtit.* 3 excommunicat Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, ceu ſchiſmatis

tis antiqui fautorem. Aliqui tamen putant, id factum, quia Petro Aragoniæ Regi contra Carolum Andegavensem, Regem Siciliæ, faveret.

5. Petrum Aragonium jure regni excidisse declarat ob Vesperas Siculas, & subditos a juramento fidelitatis absolvit. Narrat Siculorum facinus, auctore Petro Aragoniæ Rege, ut ait, patratum: Fridericum II Imp. in Concilio Lugd. I ab Innoc. IV omni dignitate privatum: a filio Conrado nihilominus regnum Siciliæ, ad dominium Romanæ Ecclesiæ spectans, occupatum: eo mortuo a Manfredo Principe Tarentino, Friderici II filio illegitimo, contra fidem datam invasum, sub ficta tutela Conradini nepotis: propter hoc & alia facinora ab Alex. IV excommunicatum, bonisque privatum: at illum Saracenis fœderatum, non amplius ut tutorem Conradini nepotis, sed proprio nomine regnum usurpasse: post ejus interitum Conradinum adversus Carolum Andegavensem, Siciliæ Regem, insurrexisse & bello Italiam turbasse; excommunicatum propterea a Clemente IV. Turbæ Siculæ.

Conradino sublato Panormitanos & eorum exemplo alios Siculos, signo rebellionis elato, inauditum facinus patrasse: Petrum vero Aragoniæ Regem clientelari nexu Ecclesiæ obnoxium, prætextu uxoris, Manfredi filiæ, cum exercitu in Siciliam appulsum, spretis Pontificis, Domini Siciliæ dehortationibus, regem Siciliæ coronatum: adhibitas dehortationes minasque adversus Aragoniæ Regem & Michaelem Palæologum ejus socium; sed eas spretas: propterea coactum se ad pœnas privationis, excommunicationis & interdicti progredi. (*Datum apud Urbem Veterem* 1283)

Obiit Martinus IV Perusii 29 Martii 1285, sedit annos 4, dies 6.

Articulus IV.

Honorius IV, *anno* 1285.

Successit Jacobus Sabellus, Romanus, electus Perusii 2 April. Romæ consecratus 15 ejusdem. Considerans is, Siculos gravibus oneribus pressos a Friderico II ejusque posteris, ac demum etiam a Carolo Andegavensi, ut ad desperationem tandem adacti, crudelem illam lanienam Gallorum adornarint, *Constitut.* 2 varias ordinationes tam quoad temporalia, quam spiritualia pro miti Siciliæ regimine, & populi levamento præscribit. (1285)

3. Carolus II Rex Siciliæ Constitutionem edidit in favorem jurium Ecclesiasticorum. Hanc Papa approbat.

 5. Greg.

5. Greg. X in Concil. Lugd. I prohibuit Religiosos Ordines, post Concil. Lateran. IV absque Sedis Apost. auctoritate introductos, vetuitque, novos introduci. Cum autem quidam sub nomine Ordinis Apostolici circumvagentur mendicando, aliique assumpto habitu populum scandalizent, eos prohibet.

Obiit 3 Aprilis 1287, sedis 2. Ladislao Regi Hungariæ anathema est comminatus, ni pellicem dimitteret. Falsum autem est, quod sparserunt quidam hæretici, eum approbasse Vesperas Siculas; quin imo Jacobum Aragoniæ Regem & Constantiam matrem ejus excommunicavit, quod Siciliam detinerent.

Articulus V.

Nicolaus IV, anno 1288.

Post menses decem electus est Hieronymus Asculanus, ex Ministro Generali Ord. Minorum factus Cardinalis Episcopus Prænestinus, ex Cardinale Pontifex 22 Febr. 1288.

Const. 3. Proventus Ecclesiæ Romanæ in duas partes dividi, & alteram Cameræ Apost. alteram Cardinalibus, quorum dignitatem super omnes alias exaltat, jubet tribui.

Regulæ tertii Ordinis S. Francisci.

4. Approbat regulam tertii Ordinis S. Francisci, pro fratribus & sororibus secularibus, in propriis domibus viventibus, *Tertiariis* nuncupatis. Tractant hæ regulæ de suscipiendis in Ordinem seu Fraternitatem: de mulieribus nuptis non recipiendis sine consensu mariti: de habitu modesto ex vili panno: de vitandis spectaculis ludicris & choreis: de abstinentia ab esu carnium feria 2. 4. 6. & sabbato, item a festo S. Martini usque ad Nativitatem Domini, nisi infirmitas, vel iter &c. aliud suadeant: de confessione & communione peragenda ter in anno, puta, Nativitate Domini, Resurrectione, Pentecoste: de dicendis horis canonicis: de condendo mature testamento, ne intestati decedant: de Missa quotidie audienda, ac semel in mense in Ecclesia Conventus, ubi singuli Missario dent denarium, pro fratribus & sororibus pauperibus, infirmis, funerandis: de visitatione & correctione delinquentium, & ejectione contumacium. Pro defuncto quivis Tertiarius Sacerdos Missam offerat: sæculares dicant 50 Psalmos, illiterati totidem Pater Noster. Infra annum tria sacra curent celebrari pro fratribus & sororibus vivis & defunctis. Regulæ istæ non obligent sub peccato mortali.

7. Confirmat erectionem Academiæ Olyssiponensis.

11. Ex-

11. Expeditionem in terram sanctam adornat sub Eduardo I Rege Angliæ, capta jam Acaone seu Ptolemaide. (1291)

Obiit Nicolaus IV 4 April. 1292, sedis quinto inchoato: primus ex Seraphico Ordine Pontifex, doctrina ac probitate conspicuus. Omni ope incubuit, ut turbæ Siculæ componerentur, atque ut Carolus II. *Claudus* appellatus, Rex Siciliæ e carcere Barcinonensi, quo captus bello detinebatur, liberaretur; liberatus est, sed asperis conditionibus, quas Papa rescidit; & Carolum Siciliæ & Apuliæ Regem coronavit. Unde bellum acrius recruduit inter Carolum & Jacobum Aragoniæ Regis fratrem.

Articulus VI.

Cœlestinus V, 1294.

Post obitum Nicolai vacavit sedes ob Cardinalium dissensiones annis duobus, tribus mensibus, quia leges conclavis, a Greg. X in Concilio Lugd. II positæ, non amplius observabantur; tandem vero 5 Julii 1294. Perusii electus est Petrus de Murrone Anachoreta, Congregationis *Cœlestinorum* auctor, ex aspera Apuliæ eremo extractus, & Aquilæ consecratus.

Constitutionem quæ sit in Bullario, edidit unicam, qua Ordinem suum Cœlestinum confirmavit, & amplissimis privilegiis locupletavit. Aliam autem publicasse fertur, qua declaretur, fas esse Pontifici, Papatum abdicare.

Postquam igitur menses 5, dies 8, Ecclesiam gubernasset, turbarum pertæsus, solitudinis sanctæque contemplationis amans, accedente Cardinalium consensu, Neapoli Pontificatum abdicavit 12 Dec. 1294 Scribunt quidam, id factum suasu Benedicti Cajetani, Papatum appetentis. Sed aversio a Bonif. VIII hoc dictasse videtur. Certe fabula est, eum voce per tubum velut cœlitus emissa, Cœlestino, ut Pontificatum deponeret, persuasisse. Abdicat Papatum.

Obiit in eremo Fumonis 19 Maji 1296, eumque Clemens V in album sanctorum retulit. Narrant quidam Acatholici & etiam Catholici, eum, a Bonifacio VIII successore, arci Fumonis inclusum, dixisse de eodem suo successore: *intravit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur ut canis.* Sed fabulam esse, a malevolis procusam, plerique Critici existimant; cum nec Platina, nihil certe dissimulans, nec alii, qui Pontificum vitas scripserunt, quidquam ea de re memorent.

Articulus VII.

Bonifacius VIII, anno 1294.

95. Lapsis a cessione Cœlestini V diebus XI, Neapoli electus est *Benedictus Cajetanus*, Anagninus patria, 24 Dec. 1294.

1. *Constit.* Notificat liberam ac spontaneam cessionem Cœlestini V suamque electionem.

2. Excommunicat omnes, qui ad obtinendam a Sede Apost. gratiam vel justitiam aliquid dant vel promittunt, sive parvum sive magnum, uti etiam recipientes aliquid, item scientes & non revelantes.

5. Martinus IV Petrum III Aragoniæ Regem propter Vesperas Siculas regnumque Siciliæ invasum, communione fidelium moverat, regnumque Aragoniæ, & Valentiæ cum Catalaunensi Comitatu Philippo III, ejusque filio Carolo Valesio tradiderat. Bellum inde ortum gravissimum, inter Galliam & Arragoniam, donec Jacobus Petri filius pacem iniit cum Philippo IV Rege Galliæ & Carolo Claudo, Caroli I Andegavensis filio; qua Siciliam & Neapolin cessit Carolo Claudo, Carolus Valesius vero cessit jure in Aragoniæ regnum: Bonifacius igitur VIII ne pacem retardaret, Jacobo Aragoniam, Valentiam, cum Barcinonensi Comitatu restituit.

6. Tolosanus Archiepiscopatus dismembratur, & Diœcesis Apamiarum erigitur.

10. Sardinia & Corsica Jacobo Aragonum Regi beneficiario jure possidendæ traduntur, sub annuo censu, & aliis conditionibus, Ecclesiæ Romanæ præstandis. (1297)

12. Canonizatio S. Ludovici Regis Franciæ. (1299)

14. Canonicis Regularibus in Ecclesia Lateranensi sæculares subrogantur Canonici.

15. Instituit Jubilæum pro anno 1300, & quolibet deinceps centesimo. Exigit, ut Romani trigesies, peregrini vero quindecies visitent Basilicas SS. Apost. Petri & Pauli. (1300)

18. Compositis dissidiis, ob cæsum Adolphum Nassovium Imp. exortis, confirmat electionem Alberti I Regis Rom. in Imperatorem electi.

19. Declarat, regnum Hungariæ ad Mariam, Stephani V Hungariæ Regis filiam ejusque nepotem Carolum pertinere, non vero ad Wenceslaum Bohemiæ Regis filium, utpote linea & gradu remotiorem. Citaverat Bonif. VIII partem utramque litigantem, ut per se vel per Procuratores compareant: comparuit Mariæ Procurator, non

autem

autem Wenceslai. Pontifex cauſa examinata in poſſeſſorio Mariæ regnum adjudicavit, petitorio reſervato Wenceslao; ſimulque declaravit, ex electione nullum huic jus fuiſſe quæſitum, eo quod regnum ſit hæreditarium.

Nota. Stephanus V Hungariæ Rex duos reliquit liberos, Ladislaum, qui ei ſucceſſit, ſed improlis obiit, atque extincta in eo eſt ſtirps maſcula. Maria nupſit Carolo Claudo, Regi Siciliæ, atque ex eo genuit Carolum Martellum, qui Rex Hungariæ fuit coronatus; is anno 1301 decedens reliquit filium Carolum Robertum, Mariæ nepotem. Ex altera parte idem Stephanus V habuit 4 ſorores, inter quas tertia Anna, cujus pronepos erat Wenceslaus V. Ex quibus patet, Mariam in primo gradu fuiſſe junctam ultimo poſſeſſori Ladislao, utpote fratri, Wenceslaum, qui pariter ex fœmina, nempe prædicta Anna, jus ſuum derivavit, eidem Ladislao fuiſſe conjunctum in quarto gradu. Ingentia nihilominus inter memoratas fœminas & earum poſteros propter ſucceſſionem in regno Hungariæ orta ſunt bella, ut ſacra omnia profanis miſcerentur. Quibus commotus Pontifex, ut partes judicio coram ſe contendant, citata utraque parte, imperavit, & ſententiam, quam dixi, tulit.

20. Academiam Romæ erigit, & Avenione.

22. Philippus IV *Pulcher* cognominatus, Rex Franciæ a fidelium cœtu ſacriſque ſegregatus declaratur. Se leniter ac paterne cum eo egiſſe, inquit Pontifex, ſed incaſſum adhibita monitionum remedia: Clerum & Eccleſiam Gallicanam graviter ab eo læſam, Romam ad Sedem Apoſt. euntes & redeuntes gravibus affectos moleſtiis, oblatam abſolutionem a cenſuris fuiſſe contemptam, Legatos Pontificios violatos, in ipſum Pontificem ſparſa verba aſpera & indigna, de Clero quosdam carcere detentos, duos Cardinales Columnenſes, Sedis Apoſt. hoſtes excommunicatos, a Rege receptos protectoſque &c. (8 *Sept.* 1303) Excommunicat Philipp. Pulchrum.

Pagius exiſtimat, hoc Decretum non fuiſſe publicatum, eo quod dicatur editum 8 Sept. cum tamen jam pridie, 7ma. videlicet Sept. Bonif. Papa a Sciarra Columna, & Nogareto Equite Gallo, aliisque conjuratis Anagniæ fuerit captus, & in cuſtodiam abductus. Alii vero reſpondent, hoc argumentum non eſſe firmum; nam 8vam. Sept. fuiſſe litteris inſertam, quia ea die Pontifex illas publicaturus fuiſſet, ſi fuiſſet liber. Certum autem eſſe, quod poſt tertium diem ab Agnaninis fuerit e captivitate liberatus, & ultra menſem adhuc ſupervixerit, quo tempore publicari potuerint litteræ.

Nam

Nam mortuus est Romæ 11 Oct. 1203, sedis 9, & quidem pie ac vere Christiane. Quod enim caput muro impegerit, digitos corroserit, desperato ac furenti similis animam efflarit, commentum est & calumnia atrox, ab inimicis maligne conficta. Constat siquidem ex S. Antonino, Platina, Paulo Æmilio, aliisque Historicis a partium studio alienis, fuisse Pontificem vitæ integerrimæ, purumque criminum, quæ ei Columnenses aliique impegerunt, crederemque inter optimos Pontifices laudandum fore, nisi ea intercessisset cum Philippo Pulchro collisio. Cum etenim esset Jurium scientissimus ac Defensor acerrimus, imperterriti magnique animi, noluit a Rege in Ecclesiis Gallicanis exerceri Regalia, vacantium fructus abstrahi, Columnenses defendi, Romipetas vexari, Clericos capi. Cum igitur, ut inter fervescentes magnosque spiritus solet contingere, utrinque fortassis ultra placidum moderamen procederetur, litteræque acriores volitarent, acta sunt inter Patrem Filiumque Christianissimum, quæ nunquam acta esse omnes boni optarent.

CAPUT XVIII.

SÆCULUM XIV.

Articulus I.

Benedictus XI, anno 1303.

96. Dierum XI intervallo electus est Nicolaus Bucasinus patria Tarvisinus Card. Episcopus Ostiensis, antea Magister Generalis Ord. Prædicatorum, 22 Oct. 1303.

1. *Constit.* Mittit pro more litteras encyclicas, electionis suæ testes.

2. Confirmat iterum Ordinem Servorum B. M. V.

3. Congregationem Cœlestinorum Ord. S. Benedicti sub protectionem Sedis Apost. recipit.

Obiit Perusii 6 Julii 1304, exactis in Pontificatu 8 mensibus, 15 diebus. Rescissis is, quæ Bonif. VIII in Philippum Regem decreverat, sacerdotium inter & Regnum concordiam reduxit. *Exemplum modestiæ.* Humili genere cum esset natus, matrem suam, pretiosis vestibus ornatam, ad se accedentem, agnoscere noluit. Venientem postea vestimentis plebejis indutam filiali pietate excepit.

Articulus

Articulus II.

Clemens V, anno 1305.

Cardinalibus inter se divisis vacuum stabat per annum ferme supremum fastigium, cum tandem electus est Perusii Bertrandus de Gotto, natione Gallus, Archiepiscopus Burdegalensis, commendatione Philippi Pulchri, cui veniam dedit actorum in Bonif. VIII, prout etiam Columnensibus, & aliis ejusdem inimicis; Decimas in quinquennium Regi concessit; adduci tamen non potuit, ut memoriam Bonifacii VIII damnaret.

2. *Constit.* Confirmat sententiam Bonifacii VIII, qua regnum Hungariæ adjudicavit Mariæ & Carolo Roberto ejus nepoti, Siciliæ Regibus; quia vero tumultus Hungariæ non quiescebant, mortuo etiam Wenceslao Rege Bohemiæ, sed aliqui eligebant sibi Regem Ottonem Ducem Bavariæ, ex Elisabetha, quarta Stephani V sorore natum, eumque Regem coronarunt, ideo Clemens V eundem citat, ut jus suum, si quod se habere putet, judicio prosequatur (1306).

3. Excommunicat Andronicum, Michaelis Palæologi filium, Græcorum Imperatorem ceu fautorem schismatis antiqui, quod in Concil. Lugd. abjuraverat. (1307)

4. Indicit Concilium Generale Viennense; multaque recenset gravia crimina Templariorum, a Rege Philippo Pulchro ejusque Ministris, ac aliis ad se delata. Conc. Vienn.

5. Lateranensi Ecclesia combusta, implorat opem Fidelium, propositis Indulgentiis 10 annorum.

6. In civitate Perusina erigit Academiam.

7. Confirmat electionem Henrici VII Luxemburgici in Imperatorem.

9. Ferraria, sub diversis detentoribus multa perpessa, redit ad antiquam Ecclesiæ Romanæ subjectionem. Clemens V eam recipit & confirmat, adjectis saluberrimis legibus.

10. Recipit juramentum Henrici VII Imperatoris, quo ad omnes hæreses exterminandas, Sedem Apost. defendendam, & omnes donationes priorum Imperatorum, Ecclesiæ Romanæ factas manutenendas se obligat.

14. Ordinem Templariorum in Concilio Viennensi extinguit, & eorum bona magnam partem Hospitalariis S. Joannis, qui hodie Melitenses dicuntur, applicat: aliqua dispositioni Sedis Apost. reservat. Templarii.

15. Sanctis adscribit Petrum de Marrone seu Cœlestinum V, magis gloriosum dimisso quam recepto Pontificatu.

Obiit Clemens V Carpentoracti 20 Aprilis 1314, sedis 9, electus Perusii, coronatus Lugduni. Dum autem coronationis suæ die solenni pompa per urbem veheretur, muri collabentis ruinis oppressi sunt Joannes Dux Britanniæ, Gaillardus de Gotto frater Pontificis, multique Nobiles, cum plebe promiscua, Carolo Valesio Regis fratre graviter sauciato.

Sedem figit in Gallia. Clemens V Pontificiam sedem in Galliam, patriam suam, transtulit, modo Lugduni, modo Burdegalæ commoratus, potissimum vero Avenione. Robertum Siciliæ Regem contra Henricum VII Imperatorem defendit. Propter sedis in Galliam translationem, & Templariorum extinctionem varia de illo sparsa sunt, quæ calumnias & fabulas redolent. Certe Pontifex fuit doctissimus ac de Jure Canonico optime meritus, quod *Clementinis* locupletavit.

Articulus III.

Joannes XXII, *anno* 1316.

97. Postquam sedes in annum tertium propter Cardinalium dissensionem vacaverat, tandem 7 Aug. 1316 Lugduni in Monasterio Prædicatorum electus est *Jacobus de Ossa*, Cadurcensis Gallus, ex Episcopo Avenionensi creatus Cardinalis Episcopus Portuensis.

1. *Constit.* Vetuit, ne vacante Romano Imperio ullus sibi nomen aut munus Vicarii vendicet, cum ad Summum Pontificem pertineat, eo tempore Imperium administrare. (*Datum Avenione* 1317)

2. Sanctum pronuntiat Ludovicum Tolosanum Episcopum, Caroli Claudi Siciliæ Regis filium, Ord. Minorum S. Francisci.

3. Angliæ & Scotiæ Regibus inducias imperat.

Gesta. 4. Dismembrat plures Ecclesias Cathedrales, novasque erigit, præsertim in Gallia. Sic Tolosanum Episcopatum in 4 Episcopatus dividit Montalbanum, S. Papuli, Lumbriacensem, & Rivensem, Tolosanum vero erigit in Metropolitanum, cujus 4 illi novi Episcopatus sint Suffraganei. Præterea erigit Castrensem, San-Florentem, Condomiensem, Vabrensem, Limosinum (quem mox iterum supprimit) Electensem, S. Poncii, Cortonensem; Cæsaraugustanum dismembrat a Tarraconensi, Tutellensem a Lemovicensi, Malleacensem & Linconiensem a Pictaviensi.

10. Contra Apostatas a fide a S. Inquisitione esse procedendum, tametsi in Ecclesiam confugiant.

13. Damnat quosdam, Ordini S. Francisci rebelles, & in varios errores prolapsos.

23. Collationi suæ reservat Episcopatus, Prioratus &c. in Dominio Romanæ Ecclesiæ existentes.

24. Sub excommunicatione prohibet, Hiberniam armis impeti aut perturbari. (*Avenione* 1319)

25. Canonizatio B. Thomæ Episcopi Herfordiensis in Anglia, Romæ mortui.

26. Cum Sede Pontificia in Gallias translata in Italia ac maxime Romæ Nobiles, aliique Domos Cardinalium inhabitarent, Joann. XXII sub excommunicatione vetat, id fieri.

29. Alias alienationes in Statu Ecclesf. prohibet.

33. Ecclesia Monasterii Cassinensis erigitur in Cathedralem. (*Avenione* 1322)

34. Canonizatio S. Thomæ de Aquinate, cum vitæ descriptione. (*ibid.* 1323)

36. Approbat Congregationem Olivetanam Ord. S. Benedicti.

40. Vetat fœdera cum hæreticis. (*ibid.* 1326)

44. Confirmat erectionem Academiæ Cadurcensis in sua patria. (*ibid.* 1332)

Obit Joannes XXII Avenione 4 Sept. 1334 nonagenarius, sepultus ibid. in Ecclesia Cathedrali, postquam Ecclesiæ præfuit annis 18 & 4 mensibus. Natus est Cadurci ignobili genere, patre sutore, atque cum ingenio valeret, per varios gradus ad summum in terris dignitatum apicem est eluctatus. Figmentum tamen est inficetum, quod, compromisso Cardinalium in se facto, se ipsum nominaverit, cum constet, a Cardinalibus fuisse electum.

Gravissimo dissidio collisus est cum Ludovico V Imperatore, quem fidelium communione movit, quod nollet coronam Imperialem deponere. Unde acerba in utramque partem scripta prodierunt; pro Imperatore calamos acuerunt Marsilius Patavinus, Joannes Jandunus Perusinus, viri politici, quibus operam junxerunt Michael Cesænas, Guilielmus Ockamus, & Bonagratia, Minoritæ: pro Joanne XXII vero Paludanus, seu Petrus de Palude, aliique ex Ord. Prædicatorum. Quare Dominicani gratia valebant apud Joannem Pontificem, Franciscani vero apud Ludovicum Imperatorem. Recentiori tempore contra Ludovicum scripsit Abrahamus Bzovius, cui respondit Herwartus. *Collisio cum Lud. V Imp.*

Excitatus est contra Joannem Pontificem Romæ Antipapa *Petrus Corbarius*, Minorita ex Ara Cœli 12 Maji 1328, sub nomine Nicolai V. Sed is biennio post primo Pisis, dein Avenione laqueo collo injecto procidens ad pedes Pontificis, veniam precatus, eandem obtinuit, servatus tamen in custodia, ne schisma instauraret, donec anno 1333 decessit. Plura de hoc dissidio non addo; quia in utramque partem est odiosum.

Corbarius Antip.

Aliam controversiam sub Joanne XXII moverunt quidam Minoritæ de paupertate Christi & Apostolorum; nam Michael Cesænas Generalis Minister cum aliis quibusdam docuit, Christum & Apostolos nihil habuisse proprium, ne quidem in communi; hanc propositionem damnavit Pontifex, exauctoratoque Michaele, in Capitulo Generali, anno 1329 Parisiis habito, electus est Gerardus Odonis, qui cum toto Capitulo Michaelem Cesænatem, Petrum Corbarium, Ockamum, Bonagratiam, Franciscum de Esculo, aliosque segreges & contumaces tanquam Apostatas condemnavit, eorumque scripta contra Pontificem reprobavit; prout etiam Postillam in Apocalypsin Joannis Petri *Olivi*, cui errores inseruit contra Ecclesiam & Pontifices, quos deinde Fratricelli, Beguini & Beguinæ adoptarunt, Joannes Papa damnavit. Angelus vero Clarenus in Græciam profugit, ut pœnas Ecclesiæ evitaret, si fides est Gravesono, qui Clarenum Fratricellorum signiferum appellat, eumque secutos Petrum de Mecenata, & Petrum de Foro Sempronio Apostatas sacri & Seraphici Ordinis S. Francisci, qui de Ecclesia præclare meritus, sanctissimisque Institutis suis inhærens, discolis quibusdam de gremio suo ejectis, puritatem doctrinæ semper retinuit.

Lis de paupertate Christi cum aliquib. Franciscanis.

Joanni XXII objicitur error de statu animarum sanctarum post mortem, quas, licet a maculis sufficienter purgatas, crediderit cælo excludi, & carere visione Dei beata usque ad ultimum Judicii diem, quo a Christo in cælum sint assumendæ. Verum in hac re certum est 1 hanc materiam tempore Joannis XXII necdum ullo Ecclesiæ judicio fuisse eliquatam: certum est 2 Joannem nullum unquam Decretum de hac re edidisse. 3. Probabile est, neque ut privatum Doctorem id firmiter credidisse, sed dubitasse, & in utramque partem privatim disseruisse, ut veritas erueretur: alia vero ab inimicis suis, quorum multos habebat, eidem fuisse afficta, præsertim tempore schismatis Corbariani.

Vindicatur ab errore de statu animarum post mortem.

Ita dicendi ratio est multiplex; nam 1 duabus epistolis, anno 1333 & 1334 ad Regem & Reginam Galliæ datis, quas refert Odoricus Raynaldus, Baronii continuator, ad annos memoratos, aperte

testatur,

testatur, ut veritas melius possit inveniri, se interdum mentionem fecisse, nec verbum proferendo ex proprio capite, sed dicta S. Scripturæ & sanctorum: Cardinales etiam de hac materia pro & contra disputasse.

2. Cum dein malevoli istas disputationes in malam partem accepissent atque Pontifici hæreseos notam affricuissent, 3 Jan. 1334 publicum Cardinalium Consistorium indixit, in quo, præsentibus etiam Notariis publicis, expresse protestatus est, nunquam suæ intentionis fuisse in materia de visione intuitiva sanctorum post mortem aliquid decidere vel credere, quod esset quovis modo S. Scripturæ vel fidei orthodoxæ contrarium: & si forsan in sermonibus vel collationibus aliqua essent prolata contraria, præter intentionem id factum dicit & asserit, eaque revocat expresse, non intendens, illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.

Die 3 Dec. ejusdem anni 1334 lethali morbo correptus, hoc testimonium edidit: *fatemur & credimus, quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus, sunt in cælo, & vident Deum ac Divinam essentiam facie ad faciem.* Utramque hanc contestationem & fidei professionem Joannis XXII Benedictus XII, ejus successor, Constitutioni suæ, datæ Avenione anno 1335 inseruit.

Jam dudum antea, cum S. Thomam Aquinatem, S. Ludovicum Tolosanum, S. Thomam Herfordiensem solenni apotheosi canonizaret, in Bullis canonizationis est contestatus, sanctos illos cum Christo regnare in cœlis, & visione Dei beatifica frui: sic de S. Thoma Aquinate ait: *animam ejus cælum jam possidere credimus.* (1323) De S. Ludovico Tolosano: *applaudant cæli cives, quorum cætibus sanctus hic sole splendidior est insertus.* (1317) De S. Thoma Herfordiensi: *Confessor iste in Dei throno corona gloriæ decorus sedet. - - - Plaude Herfordia; nam quem in terris habuisti Pastorem, nunc obtines in cælis sedulum Patronum.* (1320)

Hæc sane prævalere debent Calvino & quibusdam Scriptoribus schismaticis, quamvis synchronis, prout etiam auctoribus posterioris ævi, Joanni Gersoni, & Jacobo ab Alliaco: quibus insuper opponuntur Ptolomæus Lucensis lib. 24. Hist. Eccles. Joannis Villani lib. 11. Hist. testibus Joanni XXII synchronis, nulloque partium studio abreptis. Videri potest Raynaldus in annalibus illius temporis.

Articulus IV.

Benedictus XII, anno 1334.

92. Post 15 dierum Inter-regnum electus a Cardinalibus est Avenione in palatio, ubi decesserat Joan. XXII, Jacobus Furnerius, Gallus, patre molitore natus, ex Ord. Cisterciensi, Doctor Sorbonicus, Apamiensis, mox Miropiscensis Episcopus & Cardinalis, coronatus in Ecclesia Prædicatorum 8 Jan. 1335.

Primis Constitutionibus multa tractat de Religiosis Ordinibus, & fusissime de Ordine Cisterciensi, cujus olim membrum fuerat.

Definitio de animarum beatitudine.

5. Refert, agitatam tempore Joannis XXII quæstionem de statu animarum, in quibus nihil erat purgandum, aut purgatum jam fuerat ante mortem, an sint in cœlis, & fruantur visione beata: Joannem, Antecessorem suum ea de re cum Cardinalibus deliberasse, sed morte præventum nihil determinasse. Benedictus autem XII definit, eas animas mox post mortem recipi in cœlum ad visionem *facialem* seu beatificam. (*Datum Avenione* 1336)

6. Multas Ordinationes facit pro Ord. S. Benedicti.

Fratricelli.

7. Sectam *Fratricellorum*, damnatam a Sede Apost. committit processibus S. Inquisitionis. *Nota:* Orta est illa Sæculo XIII patriarcha, ut fertur, Joanne Petro Olivi (de quo supra) cujus ossa jussu Joannis XXII exhumata & concremata dicuntur; prout etiam 4 hujus farinæ Massiliæ combusti sunt.

A Cœlestino V facultatem impetrarant, vitam eremiticam agendi sub regula S. Francisci. Bonif. VIII eos, in errores lapsos, jussit ad obedientiam Ministri Generalis redire, secus in eos tanquam Hæreticos animadvertendum. Non paruerunt: a nemine se cogi posse ad deponendos habitus, quos assumpserant cum parvis capuciis, curtos, squallidos habitus, & nimia brevitate ridiculos: doctrinam suam esse a Spiritu Sancto asserebant; 4 fratres suos Massiliæ ad rogum damnatos esse Martyres.

Eorum nomina.

Huic Fratricellorum sectæ se agglomeravit ingens plebejorum multitudo ex colluvie hominum, sub specie ementita Evangelicæ paupertatis & orationis otiose circumvagantium, ut testatur Alvarus Pelagius Ord. S. Francisci *lib. de Planctu Ecclesiæ cap. XI.* Variis autem nominibus appellabantur isti circumcelliones, *Bizochi*, *fratres de paupere vita*, *fratres spirituales*. Postquam e Sicilia, ubi erant frequentes, & Italia, metu Inquisitionis, in Germaniam fugerant, dicti sunt *Beguardi*

guardi & *Beguini*, ad quorum sectam se aggregarunt. Quæ varia Fratricellorum nomina exprimit Joannes XXII *cap. Sancta Romana. Extravag.*

Inter errores autem hujus fæcis erat, hominem in hac vita ad tam sublimem perfectionis gradum posse pertingere, ut peccare amplius non possit, nec ulterius in gratia progredi: quod nec jejunia observare, nec ullam mortificationem adhibere amplius debeat, qui est in hoc perfectionis apice: quod nullis amplius humanis præceptis obligetur. Quod homo in hac vita tantam possit felicitatem assequi, qua major non sit in cœlo: quod virtutis exercitium sit hominis adhuc imperfecti, non autem perfecti: quod libidinis actus, ad quos inclinat natura, vitio careant: quod Christo Eucharistico non debeat perfectus genu flectere; ne de quieto contemplationis statu dimoveatur. Ecce Gnosticorum exemplum præteritum, & Molinosii futurum. Ex his autem progenitæ sunt aliæ sectæ non minus turpes, Segarellinorum, Dulcinorum, Pongiluporum, Turpilupinorum &c. quarum principium erat, nihil pudere quenquam debere eorum, quæ a natura accepimus, ex quo fœda quæque sequebantur. Errores.

11. Multa ordinat, & disponit pro bono Regimine Fratrum Minorum S. Francisci, ubi etiam sub excommunicatione jubet, ut quidam segreges & superioribus contumaces, deposito indecoro habitu, ad obedientiam redeant, & aliis se conforment.

12. Statuta plurima condit pro regulanda Pœnitentiaria Apostolica.

13. Uti etiam pro bono regimine Canonicorum Regularium S. Augustini.

14. Instituit studium Generale Veronæ.

15. Et Gratianopoli.

18. Multa statuit de Monachis Nigris.

Obiit Bened. XII Avenione 25 Aprilis 1342, sedis 8. Insubres, ob schisma Corbarianum censuris irretitos, ad communionem Ecclesiæ recepit, non tamen Ludovicum Bavarum Imperatorem. Contra Mauros in Hispaniam expeditionem cruciatam adornavit. Pro Religiosis, cum regularis vitæ esset scientissimus, plurima statuta condidit.

Articulus IV.

Clemens VI, anno 1342.

Lapsis diebus XI Avenione electus est Petrus Rogerius 7 Maji 1342. Lemovicensis Gallus a Bened. XII creatus Cardinalis.

1. *Constit.*

1. *Constit.* Insignia sacerdotia & dignitates in Sicilia, quæ Interdicto erat subjecta, provisioni Sedis Apost. ad tempus reservat.

Tutela. 2. Robertus Rex Siciliæ *Joannæ* Nepti suæ testamento tutores dederat; Pontifex autem declarat, administrationem tempore Minorennitatis ad Pontificem tanquam Superiorem & Dominum Directum feudi pertinere; rescissisque tam Joannæ quam tutorum actis, administratorem constituit. (1343)

Prag. Archiep. 4. Pragensem Episcopatum, Moguntinæ Ecclesiæ antea Suffraganeum, erigit in Archiepiscopatum, & Metropolitanam Ecclesiam, cum jure Pallii, præcipuis anni festivitatibus gestandi, aliisque solennitatibus. (1344)

7. Ordinationes pro felici Regimine Ord. Servorum B. M. V. (1346)

8. Cum, absentibus in Gallia Pontificibus Romanis, Ecclesiæ jura ac bona discerperentur, Clemens VI id graviter prohibet.

9. Confirmat Acta Concilii Posoniensis.

10. Confirmat electionem Caroli IV, Bohemiæ Regis in Imperatorem. (1346)

Et Acad. 11. Pragensis Academia erigitur. (1347)

S. Ivo. 12. Canonizatio S. Ivonis, Presbyteri Trecorensis Galli, pauperum Advocati, assignato Festo in 19 Maji.

Obiit 6 Dec. 1352, sedis 11. Corpus primum Avenione tumulo illatum, tum vero translatum ad Monasterium Casæ Dei Ordinis S. Benedicti, cui nomen olim dederat. Fuit Pontifex omni doctrinæ genere excellens. Rogatus, ut sedem Romam reduceret, turbas Italiæ caussatus, Ludovicum V Imperatorem iterum censura perstrinxit. Joannam Siciliæ Reginam & Provinciæ Dominam, a Ludovico Hungariæ Rege ob necem fratris sui Andreæ Sicilia pulsam, paterne excepit, & cædis, marito illatæ, insontem declaravit, data facultate Ludovico Tarentino Principi nubendi. Ab eadem Regina *Joanna* Clemens VI *Avenionem* emit. Jubilæum ab anno centesimo ad quinquagesimum reduxit. Superstitiosam Flagellantium sectam damnavit. Perusii hæc orta, totamque Italiam pervagata, inaudito pœnitentiæ rigore prælusit, tandemque in errorem & hæresin desiit. Mutuo se a peccatis absolvebant, quamvis laici essent, neminemque absolvi posse, nisi sit de sua secta prætendebant: cum Sacerdotum contemtu de Sacramentis delirabant, omnia suæ flagellationi tribuentes. In Germaniam, ipsamque adeo Poloniam & Hungariam penetravit hæc insanientium lues.

Avenio empta. Flagellantium errores.

Articulus

Articulus VI.

Innocentius VI, anno 1352.

Post 12 dies Avenione die 18 Dec. 1352 electus est Stephanus Alberti, Lemovicensis, Card. Episcopus Ostiensis.

1. *Const.* Cum turbae in Italia majus semper majusque incrementum sumerent, & ditiones Pontificiae non parum discerperentur, Papa Cardinalem Ægidium Viterbiensem suum in temporalibus Vicarium terris Romanae Ecclesiae magna cum auctoritate praefecit.

3. Cardinales post mortem Clementis VI varias pactiones inivérant, futuro Pontifici observandas, puta, Cardinales non plures quam 20 esse creandos, nec nisi de Cardinalium consensu. Nullum Cardinalem capiendum, aut bonis privandum, vel censura notandum, sine consensu duarum partium Cardinalium: nullam alienationem, infeudationem, locationem bonorum Ecclesiae faciendam, sine eorundem consensu: Cardinalibus secundum Ordinationem Nicolai IV dimidiam partem omnium proventuum Romanae Ecclesiae relinquendam: Officiales non nisi de consensu Cardinalium constituendos aut destituendos: nullum Papae consanguineum Romanae curiae Mareschallum esse debere. Nulli Regi vel Principi in regno suo concedendas decimas absque consensu duarum saltem partium Cardinalium: Cardinales consulendos in rebus dubiis: omnibus Cardinalibus juramentum praestandum haec observandi, & quicunque, sive ex Cardinalibus sive ex aliis ad Papatum eligatur, ab eo hoc juramentum ratihabendum. Rescindit Capitulationem Cardinalium.

Innocentius VI electus has pactiones & juramentum cassum & irritum declaravit, tanquam contrarium plenitudini potestatis Pontificiae, ex ore Dei soli summo Pontifici collatae, consequenter nec se nec alium quemquam ad illud observandum obligari, idque eo magis, quod jam Constitutionibus Gregorii X, & Clementis V, id genus pacta & capitulationes sede vacante sint prohibitae, & irritae declaratae. (*Datum apud Villam Novam Avenionens.* 1353)

4. Cum passim contigat, ut homicidae porrecta pecunia compositionem faciant, ut de caetero sint impunes, Pontifex hunc abusum vult sublatum, atque in Statu Ecclesiastico id fieri prohibet, & praecipit leges de homicidis severe observari, ne caedes malo exemplo ferme impune grassentur.

6. Clemens V, & Joannes XXII, sub excommunicatione prohibuerant, ne quis regnum utriusque Siciliae invadat; cum autem occasione bellorum in illis gestorum etiam Beneventum multa damna pate-

retur, Innoc. VI Constitutiones dictorum Pontificum etiam ad Urbem Beneventanam ejusque districtum, Romanæ Ecclesiæ immediate etiam in temporalibus subjectum, extendit. (*Avenione* 1355)

9. Innovat prohibitiones, ne ditiones Pontificiæ invadantur.

10. In Academia Bononiensi instituit Cathedram Theologicam, cum hactenus tantum studium Utriusque Juris, & liberalium artium floruerit. (1360)

Obiit Innoc. VI 12 Sept. 1362, sedis 10. Sanxit, ut omnes Beneficiati in Ecclesiis suis residerent: ut Beneficia conferentur tantum viris probitate & doctrina conspicuis. Begvardos Germania expelli jussit. Pacem inter Eduardum Angliæ, & Joannem Franciæ Regem reducere, omni studio contendit. Carolum IV Imp. per Legatos inauguravit. Ludovicum Marchionem Brandeburgicum, Ludovici V Imp. filium ad communionem Ecclesiæ recepit. Cum Græcis Imperatoribus de unione per Legatos egit.

Articulus VII.

Urbanus V, *anno* 1362.

Altero post mortem Innocentii VI mense 23 Oct. absens Avenione electus est Grimoaldus, Gallus, Ord. S. Benedicti, Monasterii S. Victoris apud Massiliam Abbas, Sedis Apost. per regnum Siciliæ & Neapolis Legatus.

1. *Constit.* Instituit studium Theologicum in Academia Patavina, Juris Utriusque & liberalium artium Cathedris jam prius florente.

5. Joannes XXII Ecclesiam Abbatialem Cassinensem fecerat Episcopalem, Urbanus V ex Episcopali rursus Abbatialem, quod id Monasterio & Ecclesiæ magis utile censeret.

6. Contra verò Ecclesiam Montis Falisci in Episcopalem erigit.

Obiit Avenione 24 Sept. 1370, sedis 9. Anno 1367 Romam profectus est, ubi excepit *Joannem Palæologum*, Græcorum Imperatorem, qui adversus Turcam, semper magis magisque Cpoli imminentem, a Latinis auxilia petiit anno 1369. &, ejurato schismate, Romanam fidem professus est ex formula, a Pontifice illi præscripta. Anno 1370, postquam trium annorum commoratione sedem Romam reduxisse visus est Urbanus, Avenionem rediit, ubi eodem anno mortuus est, prout S. Brigitta ipsi prædixisse fertur, si Avenionem reverteretur. Verum conatum conciliandi Franciæ & Angliæ Reges, gravissimo

Palæologus schisma abjurat.

vissimo ob successionem in regno Galliæ bello collisos, potiorem habuit.

Articulus VIII.

Gregorius XI, anno 1370.

Post XI dies Avenione electus est Petrus Rogerii, Lemovicensis Gallus, Clementis VI ex fratre Comite Belfortio nepos, Card. Diaconus, necdum quadraginta annos natus, sed prudentia, consilio, maturitate, judicii senili vigore, & quam corpore parvus & valetudine debilis, tam animo magnus, & virtute validus. 99.

1. *Const.* Elzearium Comitem in Canonem sanctorum refert, recensitis ejus virtutibus & miraculis.

4. Declarat, Basilicam S. Joannis in Laterano, in qua, Constantinum M. baptizatum & a lepra curatum dicit, esse præcipuam urbis & orbis, atque ante ipsam etiam S. Petri Apostolorum Principis habere præeminentiam.

6. Damnat statuta quædam, libertati Ecclesiasticæ contraria. (1372)

7. Exhibet anathematismos in Bulla Cœnæ contentos; quæ tunc adhuc fuit brevior, & continebat hæreticos, piratas, nova imponentes pedagia, deferentes arma ad Saracenos, falsificantes litteras Apostolicas, inferentes injuriam euntibus ad Sedem Apost. aut causas suas Romæ agentibus, bona Rom. Ecclesiæ occupantes. **Bulla Cœnæ.**

9. Damnat eos, qui in Sicilia Fratricellorum, Dulcinorum, & de paupere vita hæreticorum cineres colunt, luminaria accendunt, & eis altaria erigunt.

10. Collegium pro scholaribus Lemovicensibus aliisque Bononiæ erigit, *Gregorianum* dictum, eique regulas saluberrimas præscribit.

13. Cum Protectores Ordinis Min. S. Francisci authoritatem suam nimis amplificarent, Pontifex eam restringit, ut nihil possint de sanctissimo Instituto, aut iis, quæ a Capitulo Generali sunt conclusa, mutare. (1373)

14. Officiales Status Ecclesiastici neminem cogant, frumenta, ligna, aliaque similia sibi deferri absque justo pretio persoluto.

18. Multa ac magna privilegia confert Ordini Prædicatorum. (1374)

19. Condemnat plures errores, in *Speculo Saxonico* contentos, tanquam Juri Canonico & bonis moribus contrarios; rogatque Principes, ut id genus leges abrogent. Tales sunt: quod possit se quis liberare **Speculum Saxonicum reprobat.**

 per

per juramentum, quantumvis crimen sit notorium. Quod Papa non possit statuere jus, Juri Saxonico contrarium: quod provocatus ad duellum non possit illud denegare, nisi sit nobilior, quam provocans: quod secundo accusatus de furto habeat electionem ferri igniti, aquæ bullientis, aut duelli: quod hæres non teneatur de furto illius, cui in hæreditate succedit: quod nullus possit alteri dare suam proprietatem, sine licentia suorum hæredum, (*consequenter neque eleemosynam*) quod is, qui violente cognovit mulierem, etiamsi eam postea in matrimonium ducat, nunquam possit generare legitimos liberos &c. Has igitur aliasque leges Speculi Saxonici reprobat Greg. XI.

Sedem Romam reducit. Obiit Greg. XI Romæ 27 Martii 1378, sedis 8. Præcipuum ac memorabile comprimus illius opus est, quod Sedem Apostolicam rursus Romam reduxerit, ubi a S. Petro fuit collocata. Permotus ad hoc fuit Pontifex tum Italiæ turbis, damnisque Romanæ Ecclesiæ, ex Pontificum absentia exortis, tum etiam precibus S. Catharinæ Senensis, quæ apud eum Avenione pro Florentinis, anathemate percussis, legatione fungebatur. Rediit igitur Pontifex Romam anno 1377, postquam Cathedra sub septem Pontificibus, natione Gallis, per 70 annos Roma exulaverat. Solenni pompa festivisque publicæ lætitiæ signis, plausu & populi acclamatione Greg. Romæ fuit exceptus.

De cætero propagandæ Religionis percupidus, viros Apostolicos in Orientem misit, majorique conatu, legatione missa, Joannem Palæologum ad unionem allicere, & Eduardum III, cum Carolo V Galliæ Rege componere est connisus, quam felicitate.

Articulus IX.

Urbanus VI, anno 1378.

100. Post 13 dierum intervallum electus est Romæ 9 April. 1378, a Cardinalibus Bartholomæus Pignanus, Archiep. Barensis, eo modo, quem postea referam, postquam aliquas illius Constitutiones attigero.

Const. 1. Potestatem Camerarii Rom. Ecclesiæ, quascunque causas, Cameram Apost. concernentes, judicandi, declarat.

2. Ordinem Servorum B. M. V. a Jurisdictione Ordinariorum eximit, & Sedi Apost. immediate subjicit.

3. Fœdera cum hæreticis nulla esse declarat, & Wenceslaum Imperatorem ab iis absolvit.

4. Ad petitionem Ludovici Regis Hungariæ Quinque-Ecclesiensem studiorum Universitatem confirmat.

9. Or-

9. Ordini S. Pauli Eremitæ, in partibus Hungariæ versanti, Joan. XXII regulam S. Aug. dederat. Hanc confirmat Urb. VI.

12. Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus formulam fidei præscribit.

14. Universitatem studii Generalis, Coloniæ Agrippinæ erectam ad normam Academiæ Parisiensis, confirmat (1383) Acad. Colon.

Obiit Urb. VI Romæ 15 Oct. 1389, sedis 12. Sub ejus Pontificatu ortum est *schisma*, Sedi Apost. totique Ecclesiæ multo luctuosissimum, quod 50 annis duravit. Exposui illud Part. III, cap. 3, art. 8, ubi de Concilio Pisano & Constantiensi actum. Obiter tantum hic aliquid adjiciam, ne cursus penitus interrumpatur. Schisma.

Post electionem Urbani VI Cardinales 13, Galli omnes, excepto Petro de Luna Aragonio, severiori Pontificis disciplina irritati, prætextu æstivi caloris vitandi Anagniam discessere, ubi protestati de vi sibi illata, & electione Urbani gravi metu extorta, eundem intrusum proclamarunt, eaque prolata sententia, tractisque in suas partes tribus Cardinalibus Italis, unico Cardinale apud Urbanum remanente, Fundos, Neapolitanam urbem progressi *Robertum Gebennensem* Comitem, Episcopum Cameracensem, Presbyterum Cardinalem, elegerunt, 36 annos natum die 21 Sept. 1378, qui *Clemens VII* dictus est, & Avenione sedem fixit. 2. Pont. Alter Romæ, Alter Avenione.

Duos ergo Ecclesia habuit Pontifices. Uterque magnos & sanctos habuit Patronos. Regna & provinciæ scindebantur. Difficile visum, judicium ferre; major tamen Fidelium pars Urbanum sequebatur, quod tam ipsi Cardinales aliquot mensibus eum pro vero Pontifice habuerint, & accesserit populi acceptatio, quæ sit altera ac vera electio, supplens omnes juris humani defectus.

Articulus X.

Bonifacius IX, anno 1389.

Post obitum Urbani VI, 18 dierum intervallo a Cardinalibus, quos creaverat, electus Romæ est Petrus Tornacellus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis, schismate interea per Robertum Gebennensem Avenione continuato.

1. *Const.* Bonif. instituit Festum Visitationis B. M. V. pro 2. Julii.

3. Damnat Ordinationes Parlamenti Anglicani circa conferenda laicis Beneficia Ecclesf. (1391)

4. Ad petitionem Marchionis Estensis Ferrariæ Academiam erigit.

6. Confirmat Constitutiones Friderici II & Caroli IV Imperatorum, editas pro Immunitate Ecclesiastica.

7. Canonizatio S. Brigittæ de regno Sveciæ.

12. Ecclesia S. Michaelis in Gargano in Cathedralem erigitur. (anno 1400)

13. Vetat omnes infeudationes & locationes bonorum Ecclesiasticorum in territorio Romano, nisi de triennio in triennium.

Obiit Bonif. IX 1 Oct. 1404, sedis 15. S. Antoninus *Part.* 3 *Chronici tit.* 22 *cap.* 3 testatur, eum calculi doloribus extinctum fuisse, quia amore castitatis maluerit mori, quam suasu Medicorum fædari. Eum morum integritate conspicuum exhibet Theodoricus Nicemus, Scriptor illius temporis, quamvis blandiri Pontificibus minime assuetus.

Interim autem perdurabat schisma; nam mortuo anno 1394. Avenione Clemente VII Cardinales illi adhærentes, spretis admonitionibus Principum, elegerunt *Petrum de Luna*, gente Aragonium, qui se Benedictum XIII appellavit, vivente Romæ Bonifacio IX, isti vero Pontifices diris se mutuo devovebant; quod ædificaverat unus, destruebat alter, ingenti Ecclesiæ confusione ac scandalo.

Petrus de Luna.

CAPUT XIX.

SÆCULUM XV.

Articulus I.

Innocentius VII, anno 1404.

101. Postquam a morte Bonif. IX Cathedra Petri vacavit dies 16, Romæ a Cardinalibus ejus obedientiæ electus est 17 Oct. 1404 Cosmus Melioratus, Sulmonensis Aprutius, Archiepiscopus ante Bononiensis & Cardinalis a Bonif. IX creatus, vir integritate, probitate, doctrina præstans. Ante electionem Cardinales juramento se obstrinxerant, ut, quisquis ex ipsis eligeretur, Pontificatum se abdicaret, si necessarium id foret ad extinguendum schisma. Idem Cardinales Avenionenses juraverant in electione Petri de Luna. Sed huic charior erat sua Thiara, quamvis indebita, quam ut eam deponeret. Innoc. VII anno tertio Pontificatus vix inchoato obiit 6 Nov. 1406.

Ad

Ad calamitosum schisma accesserunt truculentæ factiones Gibellinorum & Guelphorum, quæ Romam versabant. Illorum Duces erant Columnenses & Sabelli Proceres Romani, horum, qui Pontificem defendebant, Ursini. Fax turbarum Ladislaus Rex Neapolis, Petri de Luna sectator, Caroli Andegavensis surculus ultimus; Gregorio XII postea adhærens. Qui dominationi urbis inhians, Gibellinos in Innoc. VII Pontificem concitavit. Cum vero Laurentius Melioratus, Pontificis nepos, undecim Proceres Gibellinos, ex palatio Pontificio redeuntes interfici jussit, inscio omnino & graviter improbante Pontifice: tum vero insonuit classicum, seditiosi in arma ruunt, fugit Pontifex Viterbium, occupatur palatium Pontificale, diripitur supellex, libri, litteræ, & regesta lacerantur, insignia Innocentii luto fædantur, recipiuntur in urbem missæ a Ladislao copiæ, quæ tamen a Paulo Ursino, Pontificiorum Duce rejiciuntur, Romanique ad officium reversi, Papam missis legationibus ad urbem revocatum omnis obsequii genere exceperunt. In conjurationis reos vibratum anathema, præsertim Ladislaum, regno, quod ab Ecclesia in feudum acceperat, privatum: quod tamen pœnitenti, a censura absoluto, mox restituit Pontifex. **Turbæ Romanæ.**

Constitutio illius in Bullario extat unica, qua regulam fratrum & sororum Tertii Ordinis S. Dominici de pœnitentia approbavit. Concilium denique Generale ad tollendum schisma Romam indixerat, sed propter continuas turbas, & præmaturam mortem congregare illud non potuit. Academiam tamen omnium Facultatum Romæ erexit, advocatis doctissimis Professoribus, qui Philosophiam, Theologiam, & Jus utrumque docerent. **Acad. Rom.**

Articulus II.

Gregorius XII, anno 1406.

Mortuo Innocentio VII dubitarunt Cardinales, qui Romæ erant, an ad electionem Pontificis sit procedendum. Eligendum pars major censuit, sed ea conditione, ut juraret, se Pontificatu cessurum, si idem Petrus de Luna faceret. Igitur 2 Dec. 1406 electus est *Angelus Corarius*, Venetus, qui Greg. XII dici voluit. Cui nihil objicitur, nisi tergiversatio in abdicando Pontificatu, & collusio cum Petro de Luna, ut uterque nescio qua captus imperandi dulcedine, coronam retineret. Quo conspecto Carolus VI cum Gallia ab obedientia Petri Lunensis recessit, Cardinales vero utriusque partis, in-

dicto

Conc. Pisanum. dicto *Pisano* Concilio, convenerunt, Ecclesiæ de certo capite provisuri, ut tandem fatale schisma finem acciperet. Citatus uterque adversarius ad Concilium: neuter comparuit: utrumque tanquam pertinacem schismatis fautorem condemnavit synodus, atque deposuit.

Constitutiones aliquas Greg. XII edidit de quibusdam Religiosis Ordinibus. Instituit Venetiis Congregationem Canonicorum Regularium S. Aug. S. Georgii in Alga, postea rursus abrogatam: & S. Salvatoris. Habita in Aquilejensi provincia Synodo Concilium Pisanum disturbare conatus est, & Cardinales exauctoravit, sed Ecclesia non magnam ejus rationem habuit.

Articulus III.

Alexander V, anno 1409.

Lunensi & Corario, cum nec cessionem, nec compromissum, neque Concilii sententiam admitterent, a Papatu depositis, Cardinales 24 Sessione 19 Concilii Pisani elegerunt 26 Junii 1409 *Petrum Pilargum*, Ordinis Minorum S. Francisci, Archiepiscopum Mediolanensem, Cardinalem.

Ladislaus, Caroli Parvi filius, Siciliæ citra Pharum, hoc est Neapolis, Calabriæ & Apuliæ Rex, rebus perturbatis iterum in turbido piscaturus, Romam aliasque civitates & arces Status Ecclesiastici invasit, sed a Paulo Ursino rursus est retusus.

Alex. V Constitutionem publicavit unicam, qua se ingerentes in administrationem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, aut regimen eorum exercentes ante acceptas litteras Apostolicas, censura perstrinxit.

Brevius fuit ejus regimen, quam res Ecclesiæ perturbatæ exigerent. Nam mensibus octo, diebus octo in Pontificatu exactis obiit 4 Maji 1410 Bononiæ, ubi in Ecclesia Fratrum Minorum tumulo est illatus. De patria ejus dubitatur. Lucas Wadinghus in annalibus Ordinis Minorum ad annum 1405 scribit, eum fuisse Cretensem, alii Bononiensem faciunt.

Articulus IV.

Joannes XXIII, anno 1410.

102. 3 Pont. Per electionem Alex. V Ecclesia tres nacta est pro duobus Pontifices, quorum quilibet suos habuit sectatores. Post mortem autem Alexan-

Alexandri 17 Cardinales, qui cum eo fuerant Bononiæ, ad novam electionem progressi, 25 Maji 1410 succenturiarunt *Balthasarem Cossa*, Neapolitanum, Cardinalem, quem belli quam pacis artibus meliorem scribit S. Antoninus. Multum illi negotii cum Ladislao Rege Neapolis, a quo Roma pulsus Florentiam fugit, indeque Sigismundi Imperatoris precibus victus, Constantiam ad Generale Concilium profectus est; ubi, ut schisma tolleretur, Pontificatum abdicare visus est, quamvis postea Constantia aufugiens resumere eundem attentarit. Persuasus quoque Gregorius XII ut jure suo prætenso cederet, Petro de Luna, Pseudopapa, cui omnium minimum erat juris, in contumacia persistente; quæ omnia prolixius in tractatione de Concilio Constantiensi *Part.* 3 recensuimus. Obiit Petrus Corarus anno 1417. Balthasar Cossa vero 1419.

Constitutiones Joannes XXIII edidit quatuor. 1. Declarat pœnas in eos, qui aliquid dant vel promittunt pro obtinenda gratia vel justitia apud Sedem Apost.

2. Ecclesiam Leopoliensem in Russia, petente Uladislao Poloniæ Rege, in Metropolitanam erigit.

3. Damnat Dialogos & Trialogos Joannis Wicleffi.

4. Indicit Concilium Generale Constantiense in 1 Nov. 1414.

Articulus V.

Martinus V, anno 1417.

Gregorio XII ultro cedente, Joanne XXIII, & Benedicto XIII 103. exauctoratis, a Cardinalibus & Deputatis Nationum electus est Odo Columna Cardinalis Diaconus, prudentia, religione, humanitate, integritate præcellens, atque in id studio omni intentus, ut vulnera, per dimidii sæculi schisma Ecclesiæ inflicta, persanaret.

1. *Const.* Damnat errores ac hæreses Joannis Wicleff, Joannis Huss, Hieronymi Pragensis, a Concilio jam damnatas.

2. Urbanus VI concesserat, ut litteræ Apostolicæ non darentur executioni, nisi Prælati locorum eas vidissent, & approbassent, Martinus V hanc concessionem revocat, & litteras Apost. libere executioni dari mandat.

3. Mendicantibus interdicit, ne ad alium, quam Carthusiensium Ordinem transeant.

7. Eximit Carthusienses a solvendis Primitiis & Decimis.

9. Canonicos Regulares S. Aug. in unam Congregationem unit.

11. Confirmat regulam fratrum & ſororum Tertii Ordinis Servorum B. M. V.

12. Eximitur Ordo Ciſtercienſis a ſolvendis Decimis.

14. Canoni ſanctorum infert B. Sebaldum, ex Daciæ Regum proſapia oriundum, Patronum Eccleſiæ Norimbergenſis, ad preces urbis Norimbergenſis; in qua templum principale ejus nomini eſt dicatum, obſoletum hodie, quod ſolum nomen S. Sebaldi retinet.

19. Ad petitionem Ducis Brabantiæ confirmat Academiam Lovanienſem omnium Facultatum, excepta Theologia. (*an.* 1425).

20. Sacramentum Euchariſtiæ ſub una tantum ſpecie Fidelibus præbendum decernit, juxta ſanctionem Concilii Conſtantienſis.

21. Perſonas Eccleſiaſticas ad forum ſæculare trahi prohibet ſub pœna excommunicationis.

23. Feſtum & Octavam SS. Corporis Chriſti etiam tempore Interdicti, januis apertis, celebrari poſſe.

24. Declarationes Regulæ Minorum Conventualium Ord. S. Franciſci, ad eorum Regimen & Diſciplinam ſpectantes. Conſtitutione ſequenti proſequitur eandem materiam.

26. Indicit Concilium *Baſileenſe* Generale, juxta placitum Concilii Conſtantienſis, & Senenſis, in quo ultimo Baſilea fuit determinata. Præſidem Concilii deſignat Julianum Cardinalem S. Angeli.

Obiit Martinus V Romæ, apoplexia tactus, 20 Febr. 1431, ſedis 14, quæ poſt ejus obitum vacavit dies 11. Miſit in Bohemiam & Hungariam Legatum Cardinalem Raguſinum Ord. S. Dominici, ut hæreticos ad Eccleſiam Romanam reducat. Cruce ſignatos adverſus Huſſitas miſit; ſed a Ziſca cladem immanem retulit, victo ſæpius Sigismundo Imperatore: Pragenſem Archiepiſcopum, ad Huſſitas transfugam, omni dignitate exutum, anathemate percuſſit. Regnum Siciliæ Ludovico Andegavenſi, quem Joanna II filium adoptaverat, attribuit, rejecto Alphonſo, Aragonum Rege. Unionem cum Græcis, Anteceſſorum exemplo, tentavit.

Hæretici huic Pontifici objiciunt falſo, quod diſpenſaverit in matrimonio inter fratrem & ſororem; nam ut S. Antoninus teſtatur, tantum diſpenſavit, ut quidam ducere poſſit eam, cujus ſororem cognoverat. Spondanus autem Martino V dat hoc elogium, quod Eccleſia ei debeat unionem, Italia quietem, Roma reſtaurationem, cæteræ nationes eximiam de omnibus bene merendi voluntatem.

Excerpta

Excerpta
ex Tomi III Parte III.

CAPUT XX.
Reliquæ Constitut. Sec. XV.

Articulus I.
Eugenius IV, anno 1431.

Anno 1431 in Pontificem electus est Card. Gabriel Condolmerius, Venetus, qui intra 15, quibus Ecclesiam gubernavit annis, complures Constitutiones edidit, quarum sequentes videntur magis utiles in publicum. 104.

1. Renuntiati in secreto Consistorio Cardinales necdum gaudent voto, donec expressa ipsis a Pontifice detur licentia sive (ut vulgo dicitur) *os eis aperiatur*. (*an.* 1431)

15. Concilium Basileense transfert Ferrariam, tanquam locum commodiorem pro Joanne Palæologo Imperatore Græcorum, & Josepho Patriarcha, aliisque Græcis Prælatis. (*an.* 1437)

19. Archiepiscopus Cantuariensis cum Cardinale de loci prærogativa contenderat. Papa igitur declarat, Cardinales, orbem Christianum cum Pontifice regentes ac judicantes, ante omnes Ecclesiasticas dignitates alias de jure & consuetudine habere præeminentiam. (*anno* 1438)

21. Constitutio, quæ continet concordiam inter Latinam & Græcam Ecclesiam, est celeberrima. Eam Eugenius IV sic orditur: *Lætentur cæli & exultet terra; sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit &c.* Unio cum Græcis.

Refert, potissimam controversiam fuisse versatam de processione Spiritus S. verbis tamen magis quam sensu discrepantem: idem enim intelligi per Spiritum S. procedentem *a Patre per Filium*, quod per procedentem *a Patre Filioque*, videlicet, quod ab utroque procedat tanquam *uno principio per unam spirationem*: sicut tota Trinitas est unum creaturarum principium.

Declarat deinde ex mente Concilii, in azimo & fermentato pane valide consecrari: a Latinis tamen in illo, & a Græcis in isto esse con-

consecrandum. Animas, necdum satis purgatas, purgatorii pœnis post mortem purgari: animas vero innocentes, aut sufficienter purgatas, illico recipi in cælum ad visionem Dei beatificam, pro diversitate tamen meritorum participandam. Animas vero, peccato mortali inquinatas, mox ad infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Pontificem Romanum in universum orbem tenere Primatum; successorem esse B. Petri, Apostolorum Principis, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, atque ipsum in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem accepisse, quemadmodum etiam in Oecumenicis Conciliis, & in sacris Canonibus continetur.

Renovat denique Ordinem Patriarcharum, ut Cpolitanus sit secundus post Romanum, Alexandrinus tertius, Antiochenus quartus, Hierosolymitanus quintus. (*anno* 1439 *Florentiæ*)

23. Declaratur Unio Armenorum cum Ecclesia Latina, ac recensentur fidei mysteria. *Decretum hujus Unionis in Concilio Florentino retuli.*

27. Concordia Jacobitarum in Ægypto cum Romana Ecclesia. Proponitur eis fides Catholica, de SS. Trinitate, de libris Canonicis, morte & resurrectione Christi, cessatione legalium, Synodis Oecumenicis receptis &c. (*Florentiæ* 1441)

Hebræi. 29. Hebræis interdicitur, ne munera publica gerant, ne edant vel bibant cum Christianis, aut in eadem domo cum illis versentur, famulos aut famulas Christianas habeant, ne usuras accipiant, neque sine signo destinctivo compareant. (*an.* 1442)

34. Damnat errores Joannis de Poliaco, qui docuerat, confessiones apud Regulares factas esse invalidas, & nec Papam posse eis dare potestatem audiendi confessiones. (*an.* 1447)

36. Canonizatio Nicolai de Tolentino Ord. Eremit. S. Aug.

38. Dissoluto Concilio Basileensi absolvit eos, qui ad obedientiam redierunt. Provisiones Beneficiales, Basileæ factas, approbat. (*an.* 1447)

Obiit Eugenius IV 23 Martii 1447 post 15 annos & menses aliquot in Pontificatu exactos. Fuerat olim Venetiis Canonicus Regularis S. Georgii in Alga; unde etiam factus Pontifex, retento in Regulares affectu, gratiis eos & favoribus est prosecutus. Pontificatum ejus memorabilem faciunt hinc Basileense Concilium, a quo fuit depositus, inde Ferrariense & Florentinum, in quo facta est Unio Græ-

Græcorum, Armenorum, Jacobitarum &c. quæ omnia alibi prolixe retulimus. Infelix adversus Hussitas cruce signatorum expeditio, & Varnensis clades, vulnus illi inflixerunt eo acerbius, quo majori studio Religionem propagandi flagravit. Columnenses, Martini V Nepotes, Florentinorum & Venetorum armis domuit, atque pecuniam, Cameræ Apost. debitam, eis extorsit. Mente erat magnanima, quam nec prospera extollerent, nec adversa deprimerent.

Articulus II.

Nicolaus V, *anno* 1447.

Exactis pro more novem dierum exequiis, Cardinales conclave ingressi, unanimi mox voce elegerunt Thomam Sarzanensem, Cardinalem & Episcopum Bononiensem, quo humilior genere natum, eo virtutum scientiarumque ornamentis nobiliorem. Nicolai V nomen ascivit. Gesta ejus ex Constitutionibus editis maxime elucent. 105.

1. Approbat & confirmat Concordata Germaniæ, cum Apostolico Legato inita, quæ alias exhibuimus. (*anno* 1447) Concordata Germ.

2. Catholicos Latini ritus non posse ad Græcum transire decernit. (*an.* 1448)

3. Canonizatio *S. Bernardini* Senensis Ord. Min. S. Francisci de observantia. (*an.* 1450)

6. Patriarchatum *Gradensem* transfert Venetias, cum suppressione Tituli Ecclesiæ Gradensis, in loco prope deserto sitæ: cujus dos quoque Venetias transfertur. (*anno* 1450) Patr. Gradensem transfert Venet.

7. Postquam approbavit electionem Friderici III in Rom. Imperatorem, eundem, ab Episcopo Portuensi inunctum, solenniter Romæ coronavit. (*anno* 1452)

8. Lusitanæ coronæ confirmat plures regiones, Lusitanorum virtute occupatas in Africa, atque ad Christianam Religionem conversas, cum privilegiorum confirmatione & novorum collatione. (*anno* 1454)

Obiit Nicolaus V 24 Martii 1455, postquam octo annis sapientissime rexit Ecclesiam. Schismati Basileensi finem imposuit, recepto ad obedientiam Antipapa Felice V ejusque Cardinalibus, prout in actis Concilii Basileensis uberius disseruimus. Recepti omnes etiam reliqui in gratiam, qui Antipapæ adhæserant, confirmatæque ipsis suæ dignitates, & beneficia, præceptaque omnium, quæ contra Eugenium IV acta fuerant, oblivio, atque sic unitas Ecclesiæ & pax restituta. Schismatis finis.

tuta. Ut Bohemiam ab Hussitarum hæresi purgaret, misit eo legatum *Æneam Sylvium* cum *Joanne Capistrano*. Nihil non egit, quo Christianos Principes permoveret ad succurrendum Cpoli; at summo cum mœrore videre debuit, eam anno 1453 in manus Turcarum delapsam. Subtraxit tamen ingentem librorum Græcorum copiam, magno sumptu Romam asportatam, eosque latinitate donari jussit, litterarum bonarumque artium pater ac patronus munificus.

Cpolis expugnata.

Articulus III.

Callistus III, *anno* 1455.

Cum sedes vacasset dies 14, vota complura ad Cardinalem Bessarionem, qui multum studii pro Unione Græcorum Ferrariæ & Florentiæ contulerat, collimabant; sed prælatus est Alphonsus Borgia Cardinalis Hispanus & Episcopus Valentinus 8 Aprilis 1455, dictus Callixtus III tribus Regiminis annis novem duntaxat Constitutiones edidit. Aliquas summatim indico.

3. Omne Christianis commercium cum Judæis & Saracenis interdicit, rescissis omnibus privilegiis, istis concessis. (*an.* 1456)

4. Sub anathemate vetat, ne Christiani in servitutem redigantur, aut vendantur.

5. Canonizatio Osmundi, Saresberiensis in Anglia Episcopi. (*anno* 1456)

7. Festum *Transfigurationis* 6 Aug. celebrandum instituit, (*anno* 1457) occasione celeberrimæ victoriæ, quam Christianus cruce signatus exercitus sub Joanne Hunniade ad Belgradum a Turcis reportavit, quadraginta eorum millibus cæsis, castrisque direptis.

8. Fratres Ordinis de Mercede ad alios Ordines Mendicantes transire non posse, cum ratione quarti voti strictior illis videatur. (*an.* 1457)

9. Præcipit, ut Græci Symbolum Apostolorum integrum recitent, addita voce *Filioque*.

Obiit Callistus 6 Aug. 1458 anno 4 Papatus. Prima illi cura, ut fidem Christianam adversus prorumpentem in Serviam Sultanum defenderet, invitatis ad sacrum bellum per legatos & litteras Christianis Principibus: summoque gaudio illum perfudit nuntium de Belgradensi victoria.

Articulus

Articulus IV.

Pius II, anno 1458.

Non ultra 13 dies vacavit Cathedra, cum 19 Aug. 1458 electus est *Æneas Sylvius* Cardinalis, patria Senensis, ex Illustri Piccolomineorum genere ortus, 53 annos natus, vir sacra & profana litteratura eximie cultus. 1166.

Prima Constit. Omnes Scholares ac Professores Regulares suis superioribus Regularibus plene subjectos esse declarat, non obstantibus privilegiis Academicis. (*an.* 1458)

2. Callistus III *Vincentium Ferrerium* in numerum sanctorum retulerat. Pius II Bullam Canonizationis hic expedit. (*eodem*)

3. Ecclesiam Senensem Episcopalem erigit in Archiepiscopalem. (*an.* 1459)

5. Refert mala, quæ oriuntur ex *appellatione* a summo Pontifice ad futurum Concilium, eamque sub excommunicatione prohibet, tanquam crimen læsæ Majestatis. (*eodem*) Appellationem ad Concil. vetat.

Octava Pii II Constitutio, ut ut prolixior, dignissima lectu est, eamque hic integram exhiberem, nisi instituti mei ratio brevitati me adstringeret. Retractat in illa, quæ junior contra Eugenium IV pro Concilio Basileensi dixerat & scripserat. Recenset totam historiam ac seriem rei gestæ: venisse se anno 1431 Basileam, necdum in sacris Constitutum, cum Cardinale Capranica, Concilio jam inchoato, sed ab Eugenio revocato; quamvis congregati noluerint obedire, asserentes, cœptum jam Concilium sine consensu Patrum non potuisse dissolvi. Narrat Hist. Concilii Basileensis.

Adfuisse Cardinalem S. Angeli, Romanum, moribus & doctrina præstantem, qui audita Eugenii revocatione Præsidis munus voluerit dimittere; sed cum in dies augesceret Concilium, multique ex diversis regionibus Episcopi & Regum Legati adventarent, Cardinales quoque, ex Romana curia profugi in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsisse, atque auctoritatem Concilii mirum in modum extollere, ac eminentiam primæ sedis deprimere cœpisse, & cum esset facundissimus, facile persuasisse, quæ voluisset, venientesque Eugenii Legatos confutasse.

Cardinales & curiales ex urbe profectos, Eugenio infensos, ejus nomen modis omnibus lacerasse: se velut novam avem ex Gymnasio Senensi tum primum evolasse, juvenem, rudem, & inexpertum; vera esse credidisse, quæ dicebantur, nec mentiri eos, qui dicebant;

neque

neque diligere potuisse Eugenium, tot criminum postulatum, quemque tot testes indignum Pontificatu dicerent. Affuisse Legatos ex schola Parisiensi, Coloniensi, aliosque Oratores, qui una omnes voce Concilii authoritatem in cœlum extollerent, de Romani Pontificis potestate paucos fuisse, qui loqui præsumerent.

Accessisse ipsius Eugenii consensum, quo dissolutionem Concilii, a se factam, revocasset, & progressum illius approbasset, visumque, reconciliationem Synodi cum eodem pacemque Ecclesiæ restitutam: omnia promissa fuisse a Patribus, modo Papa cursum relinqueret Concilio, atque illi cohæreret.

Novas brevi intercessisse discordias, tum ex aliis rationibus, tum ex eo potissimum, quod Pontifex ob adventum Græcorum in Italiam, qui nolebant Basileam progredi, voluerit transferre Concilium in Italiam. Advenisse interim Basileæ duos viros ex Italia, qui velut illustria Jurisprudentiæ lumina fuerint excepti, Nicolaum Panormitanum Archiepiscopum, & Ludovicum Pontanum, Notarium Sedis Apost. Alphonsi M. Regis Oratores, qui acta Concilii approbassent, Eugenii facta damnassent, nec fuisse, qui vellet aut auderet eorum dicta refellere: adversus Concilii dignitatem mutire, crimen hæresis fuisse: una omnium voce Concilium Eugenio prælatum.

Scripsit pro Concilio.

Torrente se abreptum scripsisse pro Concilio epistolas & Dialogos, cum plausu acceptos. Cum autem Eugenius Concilium Ferrariam transtulisset, ubi cum Græcis convenerat, Cardinalem S. Angeli cum multis aliis ad Eugenium transiisse, ut adeo paucissimi Basileæ remanerent, se tamen credidisse, eos metu amittendi bona temporalia recedere, cum nihil haberet ipse, quod amitteret, perseverandum sibi putasse, quoad Eugenio deposito Amadeus suffectus fuisset.

Friderici III aulam sequitur.

At, cum *Fridericus* Romanorum Rex, Aquisgrani coronatus, Basilea transiret, rogatusque Amadeum ibi præsentem accedere, nullo pacto persuaderi potuisset, ut eidem colloqueretur, sed magis in Eugenium inclinaret, dubitare se cœpisse, utra causa esset potior. Fridericum cum tota ferme Germania tunc fuisse neutralem, nec Eugenio nec Concilio plene obedientem. Se, in familiam Cæsaris ascitum, statuisse ad has partes neutrales accedere, ut verum liberius audiret, cumque annis pluribus in aula Friderici moraretur, multa se didicisse, quæ prius latuissent; Eugenium falso de multis accusatum:

Melius informatur.

Cardinales, qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias bono & sancto viro notam inurere voluisse, qui tamen cuncti postea ad eum redierint, & errati veniam petierint.

Venisse

Venisse interim Viennam Cardinalem S. Angeli, cum quo multus de Concilio sermo, tamque potenter ac solide de auctoritate Pontificis & unitate cum Romana Ecclesia Cardinalem fuisse locutum, atque errorem suum damnasse, ut & ipse (Æneas) errore suo cognito ad Pontificis Eugenii obedientiam redierit. Basileæ dum esset, Clericali duntaxat tonsura fuisse se initiatum, Viennæ Minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum recepisse, Romæ post reconciliationem Presbyteratum: nec parum luminis se accepisse a Thoma Sarazano, ad Pontificatum dein evecto, sub nomine Nicolai V. Resipiscit.

Hæc postquam prolixius enarravit Pius II Pontifex, Primatum & præeminentiam Romani Pontificis ex S. Scriptura, atque ex Monarchica optima Regiminis forma demonstrat: &, si quæ alia contra hanc doctrinam scripserit, tanquam erronea, & juvenilia animi parum pensata judicia revocat & omnino respuit.

Juvat aliqua ipsius Pontificis verba apponere. „ Erravimus, „ inquit, in invio & non in via: ambulavimus in tenebris, & pro- Revocat „ cul a vera luce recessimus; nec nobis tantum erravimus, alios quo- Pius, quæ „ que in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci, scripserat „ cum illis in foveam cecidimus. Forsitan & vos (*Universitatem Colo-* Æneas. „ *niensem, ad quam scribit, alloquitur*) scripta nostra decepere; quorum „ sanguinem si Deus de manu nostra requirat, non habemus, quod „ respondere possimus, nisi nos ut homines peccavisse, qui arbitran- „ tes, rectum iter ostendere, obliquum monstravimus. In miseri- „ cordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera ejus „ elucet. &c.

„ Nos homines sumus, & ut homines erravimus; neque imus „ inficias, multa, quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse.... „ Seducti peccavimus, ut Paulus, & ignoranter persecuti sumus Ec- „ clesiam Dei, & Romanam primamque sedem. Propter quod pro- „ strati ante oculos Divinæ pietatis, supplices rogamus: delicta ju- „ ventutis meæ & ignorantias ne memineris &c. Pudet erroris, pœ- „ nitet male dictorum scriptorumque, vehementer pœnitet: plus scri- „ pto quam facto nocuimus. &c.

„ Qui hæc scripsit, inquiens, in B. Petri tandem Cathedra sedit, „ & Christi Vicariatum gessit: ita scripsit Æneas, qui postea sum- „ mum Pontificatum adeptus Pius II est appellatus, nec invenitur „ mutasse propositum; qui eum elegerunt, & in Apostolatus vertice „ collocarunt, ejus scripta approbasse videntur. Verendum est, ne „ talia nostris aliquando successoribus objiciantur; & quæ fuerunt „ Æneæ, dicantur Pii.

„Cogimur igitur B. Augustinum imitari, qui cum aliqua in suis
„ voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit . . . idem &
„ nos faciemus: confitebimur ingenue ignorantias nostras, ne per ea,
„ quæ scripsimus juvenes, error irrepat, qui possit in futurum Apo-
„ stolicam sanctam sedem oppugnare . . . quæ scripsimus juvenes,
„ contemnite, respuite; quæ nunc dicimus, sequimini, & seni ma-
„ gis quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite,
„ quam Pontificem: Æneam rejicite, Pium recipite." (*anno* 1463)

8. Canonizatio *S. Catharinæ Senensis.*

13. Magna erat controversia Prædicatores inter & Minores, an in triduo passionis sanguis Christi effusus fuerit separatus a Divinitate? Pontifex vetat, alterutram sententiam hæresis aut peccati arguere. Illi unitum dicebant, hi negabant. (*anno* 1464)

Lis de sanguine Christi.

Obiit Pius II 14 Aug. 1464, Pontificatus 6. Vir omni litteratura fuit cultissimus, Poeta, Orator, Historicus, Philosophus, & Theologus excellens, ut ejus Opera, quæ scripsit, demonstrant. In Concilio Basileensi scriba fuit, & unus ex 12 Censoribus, Collator Beneficiorum, ad plures Principes Legatus, Amadeo seu Felici V a secretis, postea Friderico Cæsari, Tergesti Episcopus, & Senis, Cardinalis, Pontifex.

Doctrina.

Sub anathemate vetuit, appellare ad futurum Concilium, utpote Judicem, qui non est, nec facile esse potest, dum interim hæreses invalescerent, & scelerati impune grassarentur. Omni ope adlaboravit, indicto etiam Mantuam Conventu, ut Principes Christiani arma in Turcam converterent, cumque ingens cruce signatorum exercitus Anconæ convenisset, Pius eo profectus, ad regnum abiit, cui nullus Turca metuendus.

Articulus V.

Paulus II, *anno* 1464.

107. Lapsis a morte Pii II diebus 16, Cardinalis Petrus Balbus, Venetus, Eugenii IV ex sorore nepos, electus est Pontifex, dictus *Paulus II.* Constitutiones ejus tantum decem extant in Bullario.

1. Tractat de Jurisdictione Vicarii Generalis in urbe. 2. De alienatione bonorum Eccles. 3. De muneribus (præter esculenta & poculenta, quæ intra triduum absumi possint) non acceptandis a Gubernatoribus locorum. 4. Vindictam in propinquos lædentis coercet. 5. Pacem Principibus Italiæ, & bellum contra Turcas indicit, a Pio II jam præparatum.

6. Pro-

6. Prohibet, bona Eccles. alienare, subjicere hypothecæ, locare ultra triennium, concedere in feudum, vel emphyteusin, præterquam in casibus a Jure permissis, & in evidentem Ecclesiæ utilitatem. (*an.* 1467)

8. Præposituram S. Stephani Viennæ, ad petitionem Friderici Imperatoris, in Ecclesiam Cathedralem erigit, atque a Jurisdictione Episcopi Passaviensis eximit. Jus vero Patronatus Augustissimæ Domui Austriacæ addicit. (*anno* 1468) Viennensis Episcopatus.

9. Bonifacius VIII. *Jubilaum* universale singulis annis centesimis celebrari voluit. Clemens V ad 50 annos illud reduxit, Urbanus VI ad 33, Paulus II vero ad 25, voluitque, ut visitentur Basilicæ SS. Petri & Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris de urbe. (*an.* 1470) Jubilæi tempus.

10. Potestatem conficiendi, benedicendi, & consecrandi cereas figuras, *Agnus Dei* appellatas, Romano Pontifici reservat, ne quæstus ex ea re fiat. (*an.* 1470)

Obiit Paulus II 25 Julii 1471, Pontificatus septimo. Antequam eligeretur, Cardinales Capitulationem quandam in Conclavi pro futuro Pontifice conscripserant, in quam Paulus II electus juravit; sed postea, cum auctoritatem Pontificiam plus æquo restringere videretur, eandem abrogavit, ac Cardinales rescindere compulit. Quamvis autem non caruerit omni nævo, & austerior visus sit, non tamen audiendus est *Platina*, qui bilem tum in alios, tum in hunc potissimum Platinæ ira in Pontificem exspuit, cujus mandato in carcerem detrusus fuerat, & Pontificem. ob conspirationem & impietatem torturæ subjectus. Certe fidei adversus Turcas & Hussitas defendendæ zelo ardebat; Podiebradium Regem Hussitam fidelium communione movit. Curiam Romanam Simoniaca labe purgavit. Gratias exspectativas inhibuit. Venetos adversus Turcam juvit. In pauperes & templa insignem liberalitatem Ruber Galerus Cardd. exhibuit. Primus Cardinales *Rubro Galero* ornavit.

Articulus VI.

Sixtus IV, *anno* 1471.

Post 14 dies a morte Pauli Cardinalium omnium consensu in throno Apostolico 9 Aug. 1471 collocatus est Franciscus Roboretus (*a Ruvere*) Savonensis, ex Ministro Generali Ord. S. Francisci ad Cardinalatum a Paulo II assumptus, vir doctrina & probitate præstans. 108.

 1. Con-

1. Constit. Aulam suam ordinat. 2. Rotæ Auditores ad 12 reducit. 3. Simoniacos excommunicat. 4. Diem S. Francisco sacram festive celebrari præcipit. 5. Potestatem Protectoris Ord. S. Francisci limitat. 6. Congregationem Eremitarum S. Francisci de Paula approbat, & gratiis ornat.

7. & 8. Constit. Conceduntur Fratribus Minoribus Ord. S. Francisci, & Prædicatoribus Ord. S. Dominici amplissimæ gratiæ & privilegia, quæ propterea *Mare Magnum* appellantur: uti celebrandi tempore Interdicti: utendi altari portatili: absolvendi suos Religiosos a censuris & casibus reservatis (exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, falsificatoribus litterarum Apostolicarum, iisque, qui ad Infideles prohibita detulerant.) Conceditur jus sepulturæ cum variis exemptionibus, puta, ad solvenda quarta funeralium, aut solvendi aliquid de legatis piis: exemptio a Decimis, a Jurisdictione ordinariorum: facultas audiendi confessiones, & ministrandi Eucharistiam, & etiam extremam unctionem, si a parocho injuste fuerit negata. Loca Monialium destituta Fratribus applicentur. &c. Datur potestas dispensandi cum suis in irregularitate (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione). (*anno* 1474)

Mare Magnum privilegiorum.

12. Constitutiones pro bono Regimine Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, cum immunitatum & privilegiorum concessione, confirmat.

20. Petrus *de Osma* in Academia Salmanticensi plures circa confessionem peccatorum erroneas propositiones sparserat, uti, confessionem specificam peccatorum non esse Jure Divino præceptam: ea sola displicentia deleri: absolutionem non dandam ante peractam pœnitentiam: Pontificem dispensare non posse in iis, quæ Ecclesia statuit. Has similesque propositiones Papa damnat tanquam erroneas. (*anno* 1478)

Errores Petri de Osma.

21. Approbat modum orandi per Psalterium seu Rosarium B. V. complectens 150 *Ave Maria*, quot videlicet sunt Psalmi: & sic orantibus pro qualibet quinquagena quinque annos & totidem quadragenas Indulgentiæ relaxat.

22. Confirmat privilegia, Prædicatoribus & Minoribus concessa, novaque adjungit. Hinc Constitutionem istam *Bullam Auream* appellant: (*anno* 1479)

26. Canonizatio S. *Bonaventuræ* Ministri Generalis Ord. Min. S. Francisci Conventualium, S. R. E. Cardinalis. (*anno* 1482)

Obiit Sixtus IV 13 Aug. 1484, postquam Ecclesiæ præfuit 13 annis. Per totam Italiam crucem prædicari jussit adversus Mahome-

tem

tem II Turcarum Tyrannum, qui capta Hydrunte Italiam vastabat. Mathiam Corvinum Hungariæ Regem Bohemica quoque corona decoravit, ut Hussitas debellaret. Pontem Tyberi imposuit, ab ejus nomine appellatum. Bibliothecam Vaticanam multis libris auxit, eique Platinam, ex carcere liberatum, præfecit. In nepotes scribitur fuisse propensior, quorum alterum Cardinalem, alterum Forilivii & Foricornelii Principem creavit, non optimæ vitæ homines. Sed quis est sine nævo? & sol suas habet maculas; splendet tamen.

Articulus VII.

Innocentius VIII, anno 1484.

Elapsis 14 diebus a decessu Sixti IV 19 Aug. 1484, Petri Cathedram obtinuit Cardinalis Joannes Baptista Cybo, Genuensis; Innoc. VIII dictus. Qui constituit 109.

1. Ut Inquisitores procedant contra maleficos, in Germania gravissima damna inferentes ope dæmonis.

2. Canonizat *S. Leopoldum* Marchionem Austriæ, pro 15 Nov.

4. Urget solutionem annatarum sub pœna excommunicationis & privationis Beneficiorum.

8. Auditorum Rotæ Officia vacant per promotionem ad Ecclesias Cathedrales.

9. Jurisdictiones auditoris cameræ confirmat, augetque, quoad causas criminales & civiles, censuras, contractus &c.

12. Sententias Inquisitorum hæreticæ pravitatis a Magistratibus sæcularibus executioni dandas absque processuum revisione.

13. Joannes Picus Mirandulæ & Concordiæ Comes, 24 annorum Juvenis 900 Conclusiones ex Philosophia & Theologia, Magia, Cabala, Romæ per libellum ediderat, quarum aliquas, antiquorum Philosophorum errores, Judæorumque perfidiam renovantes, & sub fuco Philosophiæ naturalis Religionem obfuscantes, tanquam male sonantes & respective hæreticas damnat. Picus ratam damnationem habuit, easque Conclusiones non tanquam asserta, sed ad disputandum solummodo a se fuisse propositas, sub correctione Sedis Apost. inquiebat. Cæterum ob profundam ac multifariam doctrinam *ingeniorum Phœnix* est appellatus.

Aliquæ propositiones Pici de Mirandola proscribuntur.

Obiit Innoc. VIII 25 Julii 1492, Regiminis octavo. Sub eo regnum Granatense a Ferd. & Isabella Mauris ereptum, reductaque Religio; expulsi ex Hispania Judæi. Promota in Africa fides. Atte-

nuata Hussitarum hæresis. Quod Innoc. VIII Norvegis concesserit consecrare calicem sine vino, fabula est, quam Raphael Volaterranus aut finxit, aut ex supposititio Diplomate descripsit. Falsa quoque est illius, quam allegat, ratio; vinum scilicet ob frigus in Norvegia statim acescere. Tantum vini in regnum illud importatur, ut incolæ nequidem velint communicare hodie, nisi vinum præbeatur.

Fabula de Norvegis.

Articulus VIII.

Alexander VI, *anno* 1492.

110. Post 17 dierum intervallum ad sacrum Principatum evectus est 11 Aug. 1492. *Rodericus Borgia* Valentinus, Cardinalis Portuensis, Callisti III Nepos.

Constit. 4. Narrat, Christophorum Columbum a Ferd. & Isabella Regibus cum navibus missum in Oceanum Occidentalem: detectas ab eo insulas terrasque, hactenus incognitas, in quibus homines ad fidem Christianam suscipiendam videantur posse disponi. Hortatur Pontifex Reges, ut per Missionarios id præstent. Attribuit ipsis occupatas provincias Infidelium. Designat navigationum terminos. Occupata ab aliis Principibus Christianis vetat invadere. (*an.* 1493)

De novo orbe.

14. Minimorum, seu Eremitarum S. Francisci de Paula Institutum peculiare confirmat, Ordinem Mendicantem declarat, & privilegiis ornat. (*an.* 1501)

Ordo Minimorum.

Obiit Alexander VI 18 Aug. 1503, Pontificatus anno 12 inchoato. Depingunt illum plures Scriptores atris coloribus, multaque eidem affingunt. Verum licet fuisset mala ejus vita, hæc nihil obesset supremæ ejus potestati docendi & præcipiendi. Nam malum nemini præcepit, doctrinam falsam Ecclesiæ nullam proposuit, nec ullam privatim tenuit aut docuit. Frustra ergo Acatholici privata peccata Pontificibus quibusdam oggerunt. Malus homo potest esse bonus Pontifex, id est, recte Ecclesiam quoad fidem & mores docere, & Jurisdictione sua sacra recte uti: prout fecit Alexander VI, qui omnem adhibuit operam, ut Religio adversus Mahometanos & Hæreticos defendatur. Georgiano Regi, unionem cum Ecclesia Romana petenti, Decretum unionis misit, quod Eugenius IV Armenis in Concilio Florentino tradiderat.

Crisis de Alex. VI.

CAPUT

CAPUT XXI.
SÆCULUM XVI.

Articulus I.

Pius III, *anno* 1503.

Die 22 Sept. 1503 Pontifex electus est Franciscus Piccolomineus, Senensis, Pii II nepos; in cujus memoriam dici voluit Pius III. Sed dum pro collapsa morum disciplina restituenda Concilium Generale congregare cogitat, aliaque in utilitatem Ecclesiæ adornat, 27mo, post electionem die obiit. III.

Articulus II.

Julius II, *anno* 1503.

Post 14 dierum vacaturam Pio III subrogatus est Julianus *Rohvetus*, seu *Ruvereus*, Sixti IV nepos, Episcopus Ostiensis, cui Julii II nomen placuit.

Const. 1. Locorum Præsides damnum reparare jubet, si fines non custodiant a furibus, sicariis, prædonibus.

2. Monasterium Cassinense unitur Congregationi S. Justinæ.

3. Simoniacam electionem Pontificis nullam esse declarat.

22. Declarat, quod universus Ordo Carthusianorum sit sub obedientia Prioris majoris in Diœcesi Gratianopolitana, & Definitorum Capituli Generalis.

23. Ordini Eremitarum S. Aug. concedit privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, etiam ea, quæ in Mari Magno continentur.

27. Veneti urbes quasdam & oppida Status Ecclesiastici occupaverant (prout alias dictum) & Bentivolii Bononiam. Quare Julius sacra in eos vibravit fulmina. At illis ad futurum Concilium appellantibus, Constitutionem Pii II innovavit, appellatione declarata irrita, aliisque pœnis, etiam interdicti adjectis. (*anno* 1509)

29. Bullam Cœnæ veteri more publicat, damnatque in ea omnes hæreticos, Patarenos, Catastros, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Wicleffitas, Hussitas, Fraticellos &c. &c. Reliqua concordant ferme cum hodierna Bulla. Bulla Cœnæ.

33. In-

93. Indicit Concilium *Lateranense V* in 19 April. 1512 damnatque *Pisanum*. Refert, quosdam Cardinales, dum ipse Bononiam ad recuperanda ablata se recepisset, Florentiam primum, dein Papiam profugisse, ibique Generale Concilium convocasse, caussatos, jam dudum elapsum esse decennium ab ultimo Concilio Generali, quo juxta Decretum Synodi Constantiensis celebrari debuisset Concilium; ad Cardinales proin pertinere, ut negligentiam suppleant, maxime, cum gravibus ac notoriis criminibus, Ecclesiam scandalizantibus, in capite agendum esset.

Cardinalibus Concilium convocantibus respondet.

Verum hæc falsa esse, inquit Julius, neminem majori desiderio Concilii flagrasse, ac propterea se gratia Alexandri VI excidisse, quod eum ad Concilium congregandum instantius urgeret. Motus turbasque Italiæ sub eodem Alexandro Prædecessore suo cœptas: sibi non fuisse integrum easdem pacare, adhibita licet omni cura, ut Principum diffidia componerentur, & Concilium convocari posset. Decretum Constantiensis Concilii 80 annis non fuisse observatum, nec tempore Pontificatus sui ob perpetua diffidia observari hactenus potuisse.

Convocare porro Concilia non ad aliquos paucos Cardinales, sed ad solum summum Pontificem spectare, licet propria illius causa ageretur. Constantiense a Joanne XXIII convocatum, licet ipsius causa verteretur. Et quæ sana ratio inesset istis Cardinalibus, qui Concilium pro toto orbe indicerent, celebrandum post tres menses? Neque Pisas, 14 annorum bello misere afflictam vastatamque esse locum aptum universali Concilio, neque tutum, cum omnis prope Thuscia, Florentinis & Pisanis inter se collisis, armis personet.

Damnat Pisanum,

Igitur Pontifex convocationem hujus Pisani conciliabuli, ex tot capitibus nullam, irritamque reprobat, damnat, nullam, irritamque declarat, & sub anathemate prohibet, omnibus locis, in quibus schismatica id genus conventicula haberi contingeret, Ecclesiastico interdicto subjectis.

Et indicit Lateran. V.

Ut igitur omnibus recta Pontificis intentio patescat, Concilium Oecumenicum indixit in 19 Aprilis anni 1512, inchoandum Romæ in Ecclesia Lateranensi, ad extinguendas hæreses & pullulans hoc schisma, ad reformationem omnium personarum, quæ de jure vel consuetudine correctioni Concilii subjiciuntur, ad conciliandam inter Christianos pacem, ut contra juratum Christiani nominis hostem procedi possit. Præsulibus mandat, ut compareant, Reges hortatur, ut non tantum impedimentum nullum interponant, sed Concilio faveant. (*Datum 25 Julii 1512*)

34. Salutiis in ditione Ducis Sabaudiæ Episcopatum erigit.

37. Ca-

37. Canonicis Regularibus Congregationis S. Salvatoris immunitates & privilegia confirmat, augetque.

39. Inchoato jam Concilio Generali Lateranensi V, Sess. 2, reprobat ac damnat Conciliabulum Pisanum ejusque translationem Mediolanum aut Vercellas cum omnibus illius actis. Tertiam vero sessionem Concilii Lateranensis, propter æstivos calores, & ut Ultramontanis veniendi spatium detur, prorogat in Novembrem anni 1512. (17 *Maji* 1512)

Obiit Julius II 21 Febr. 1513, Pontificatus anno 10, creatis Cardinalibus 27. Quidam Scriptores hunc Pontificem vituperant, quod Martialium spirituum plenus Italiam bellis turbarit, ruptoque cum Ludovico XII Franciæ Rege fœdere, cujus ope a Venetis erepta recepisset, ad Venetos transiens arma in Ludovicum belli socium & benefactorem vertisset. At alii eum excusant, quod bellum cum Venetis non ipse cœpisset, sed jam sub Alex. VI erumpens necessario continuasset, eo quod Veneti plures Status Ecclesiastici urbes occupassent, nec, ut restituerent, induci potuissent. Fœderi vero cum Ludovico Rege aliisque sociis fuisse satisfactum, quod omnes sua recepissent, cum autem Galliæ arma in Italia dominari pergerent, Pontificem ad ejus defensionem coactum Venetis ac Regi Hispaniæ accessisse. Objecta diluuntur.

Alphonsus Ciaconius in vita illius sic eum defendit: *nec enim ob id probari minus debet Julius II, quod tam infracta animi virtute contra dignitatis Ecclesiæ invasores pugnaverit, quando temporum ea conditio tantum virum Religione ac fortitudine vere maximum Pontificem postulabat; neque sane ob alias causas tot bella gessit, nisi ut a pluribus occupatum S. Sedis imperium recuperaret. Ad quod præstandum insita a natura Julii invicto animo bellicæ virtutis semina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, constans, liberalis, contumacibus implacabilis, in calamitatibus se ipso semper excelsior. Irritari adversis, non enervari virtus ejus poterat.* Laus a Ciaconio.

Articulus III.

Leo X, anno 1513.

Intervallo dierum 18 suffectus est Joannes *Medices*, Florentinus, 11 Martii 1513. Cardinalis Diaconus, & die 19 ejusdem solenniter consecratus, & sacra Thiara redimitus, annum agens 38, Leo X nuncupatus. 112.

1. Populo Romano privilegia confirmat & auget.

5. Continetur ampla reformatio omnium Officiorum Romanæ curiæ, a Concilio Lateranensi V confirmata.

6. Afferentes, animam esse mortalem aut unicam in omnibus hominibus, ut hæretici sunt plectendi. Philosophia secundum principia Christiana explicanda.

8. Habetur reformatio generalis Prælatorum Eccles. eorumque officialium, & familiarium.

Montes Pietatis. 12. Disputabatur inter Theologos, an *Montes Pietatis* sint liciti, in quibus a mutuatariis aliquid exigitur pro impensis in officiales & indemnitate Montis. Plures Pontifices deciderunt esse licitos, & Leo X sub excommunicatione prohibet docere contrarium. (1515.)

Parmam & Plac. recuperat. 14. Julius II plures civitates, terras & loca, ad Rom. Ecclesiam pertinentia, & ab aliis pluribus annis detenta, recuperavit, Leo X vero Parmam & Placentiam, quibus eadem Ecclesia sede vacante fuerat spoliata, restitui curavit; atque sub anathemate prohibuit, ne quis loca Status Ecclesiastici invadat, terras vero, in quibus invasores morantur, interdicto subjecit. (1515)

18. Confirmat Concilium Generale Lateran. V, aitque, propter tres potissimum causas hoc Concilium a Julio II fuisse convocatum. 1. Pro concordia Principum Christianorum, & tollendo schismate. 2. Pro reformatione curiæ. 3. Pro abroganda Sanctione Pragmatica. Imperatorem & Reges eidem accessisse: pacem stabilitam: Pisanum damnatum: expeditionem in Turcas decretam. (1516)

Abrogata Sanct. Pragm. 21. Damnat *Sanctionem Pragmaticam* Gallorum, in Conciliabulo Basileensi conceptam, & in Conventu Bituricensi receptam a Gallis, sicut Leo I Papa damnavit Acta Synodi II Ephesinæ. Quamvis autem Ludovicus XI & plures Pontifices eandem revocarint, pergebant tamen quidam Præsules Galliæ in præjudicium Sedis Apost. eidem insistere, nec citati ad Concilium Lateranense comparebant.

Concordatum cum Francisco I. Quare Leo X cum Francisco I *Concordatum* iniit circa provisiones Beneficiales, de quibus potissimum fuerat disceptatio. Conqueritur autem Pontifex, quod electiones in Cathedralibus & Monasteriis a multo jam tempore factæ sint vel per abusum sæcularis potestatis, vel per Simoniacas pactiones, vel particulari amore & sanguinis affectu, nec sine perjurii reatu; idque constare sibi ait ex crebris absolutionibus & habilitationibus, a Sede Apost. petitis, & obtentis.

Quare loco Sanctionis Pragmaticæ abrogatæ concordatum in perpetuum vult observari; videlicet vacante Cathedrali Ecclesia possit Rex Franciæ Magistrum vel Licentiatum Theologiæ aut Juris, 27 minimum annos natum, & alias idoneum, summo Pontifici intra sex menses a die

vaca-

vacationis nominare. Si autem nominatus non haberet requisitas qualitates, conceduntur Regi tres alii menses a die recusationis computandi, ad alium qualificatum nominandum: id si non fiat, provisio ad Pontificem pertineat. Idem de Monasteriis conventualibus, in quibus electio juxta cap. *quia propter de elect.* fieri debebat. Multa alia in hoc Concordato sunt comprehensa, quæ *Part.* 3 *cap.* 3 ad Concilium Lateran. V summatim retuli.

24. Privilegia Regularium declarat, & moderatur. Episcopi, curam animarum habentes visitare Religiosos & corrigere possunt, in quantum ad eam curam spectat. Quivis Sacerdos in eorum Ecclesiis celebrare potest. Processionibus intersint. Confessarii ab Ordinario sint approbati. A censuris, ab homine latis, ne absolvant. Sponsos benedicere nequeant. Sabbato sancto campanam post Cathedralem aut matricem Ecclesiam pulsent. Censuras ordinariorum, si requisiti fuerint, servent. Decimarum solutionem suadeant. Tertiarii, in privatis suis domibus habitantes, tanquam laici reputentur. (*Datum* 1516 *in Concilio*) De Regularib.

25. Alex. VI, Ferd. & Isabellam Reges Hispaniæ *Catholicorum* nomine honoravit. Leo X eundem titulum Carolo ejusque Conjugi Joannæ defert.

26. Cum exortæ essent discordiæ in Ordine S. Francisci *Conventuales* inter & *Observantes* seu Reformatos, statuit Pontifex, ut unus sit omnium Minister Generalis, & quidem ex Reformatis, alternativa inter Cismontanos & Ultramontanos observata: eligaturque a solis Reformatis Ministris Provincialibus & Custodibus, in sex tantum annos. Si Minister Generalis sit Cismontanus, constituatur Generalis Commissarius Ultramontanus, & vice versa, in tres annos. Provinciales autem Reformati veri sunt Ministri. Officium eorum sit triennale, intra quod tamen tempus, sicut & custodes deponi possint. Provinciales & Custodes sint Reformati, a solis Reformatis electi. De Conventual. & Observantibus.

Sub nomine autem Reformatorum aut Observantium comprehenduntur omnes, qui Regulam S. Francisci pure, simpliciter atque ad regulam observant, videlicet Observantes de Familia, Reformati sub Ministris, ac Fratres Amadei, de Colletan's, de Clarenis, de S. Evangelio, de Capucio, ac Discalceati nuncupati. De Conventualibus vero, qui secundum privilegia vivunt, quomodo Ministris Generalibus & Provincialibus subjiciantur, aliis litteris se declaraturum dicit. Certe etiam Conventualibus suus postea Generalis fuit relictus.

Prohibet autem sub excommunicatione, ne quis Ordinis S. Francisci alium ejusdem Ordinis appellet irrisorie aut improperiose *Privilegiatum*, *Coletanum*, *Bullistam*, *Amadeitam*, *Clarenum*, *de Evangelio seu Capucio*, *Bigotum*, aut alio quovis nomine ad contemptum compellet occasione priorum divisionum, sed omnes appellentur Fratres Minores S. Francisci, aut Ordinis S. Francisci. Observantes autem ad Conventuales ne transeant, nisi Capitulo Provinciali videretur, e re fore, si alicui Fratri ea licentia daretur. Novas vero reformationes & divisiones ordinis prohibet: omnesque lites extinguit, perpetuo indicto silentio: Conventualibus vero præcipit, ut huic ordinationi acquiescant. (*an.* 1517)

Vetat agnomina.

28. Missam diebus Dominicis & Festis in Ecclesiis Regularium audientes satisfacere præcepto declarat.

29. Declarat, quod Fratres observantes Ord. S. Francisci in processionibus & aliis actibus publicis digniorem præ Conventualibus locum habere debeant, simulque, quod observantes sint semperque fuerint veri filii S. Francisci.

34. Bullam severam edit contra duellantes, eorumque fautores & spectatores, censuris adjiciens perpetuam infamiam, proscriptionem, & bonorum confiscationem.

41. Canonizatio *B. Francisci de Paula*, Fundatoris Ordinis Minimorum.

Damnat Lutherum.

44. Damnantur errores Martini Lutheri, de quibus mox plura.

45. Damnatur & excommunicatur Lutherus cum sequacibus tanquam hæreticus, & terras, in quibus versantur, interdicto supponit.

51. Henrico VIII, quia librum contra Lutherum scripsit, tribuit titulum *Defensoris Ecclesiæ*.

Articulus IV.

Damnatio errorum Lutheri.

1131 Erroribus Lutheri per Saxoniam & vicinas provincias jam late grassantibus, Leo X summus Pontifex 16 Junii 1520 Bullam *Exurge Domine* edidit, Spiritu Divino plenam, in qua deplorat, quod in Germania, fidei altrice eximia, aper de sylva vineam Domini depascatur, Martinus videlicet Lutherus, qui multos variosque errores, partim in veteribus hæresiarchis ab Ecclesia jam damnatos, partim de novo male inductos, spargat. Aliquos autem horum recenset, videlicet

Propositiones Lutheri.

1. Hære-

1. Hæretica eſt ſententia, Sacramenta novæ legis gratiam ſanctificantem conferre iis, qui non ponunt obicem.

2. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum eſt Paulum cum Chriſto conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur animam, e corpore exeuntem ab ingreſſu cæli.

4. Imperfecta charitas neceſſario ſecum affert in morituro magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, non eſt fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis ſanctis Doctoribus Chriſtianis.

6. Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æt. damnationis acquiſitionem, facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. De cætero non facere ſumma eſt pœnitentia, optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri venalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia venialia cognoſcas, unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſte mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod nihil Divinæ miſericordiæ velimus relinquere ignoſcendum.

10. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote, credat, ſibi eſſe remiſſa: imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet &c.

11. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, quodcunque ſolveris &c. Sic, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter, te vere abſolutum eſſe, quidquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet attritus, aut Sacerdos non ſerio ſed joco abſolveret, ſi tamen credat, ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13. In Sacramento pœnitentiæ, aut remiſſione culpæ non plus facit Papa vel Epiſcopus, quam infimus Sacerdos, imo, ubi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etſi mulier aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum.

15. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramentum Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcii alicujus peccati mortalis, quod præmiſerint preces ſuas & alia præpa-

ratoria: omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt: sed si credant & confidant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub utraque specie communicandos; nec Bohemi, sub utraque specie communicantes, sunt hæretici sed schismatici.

17. Thesauri, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & sanctorum.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium, & sunt de numero eorum, quæ licent, sed non expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui eas vere consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ, pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam Divinam.

20. Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiæ sunt necessariæ solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiæ non sunt necessariæ nec utiles, videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis iis, qui non habent crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quam timere.

25. Rom. Pontifex, Petri Successor, non est Vicarius Christi super omnes Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutas.

26. Verbum Christi ad Petrum, *quodcunque solveris &c.* extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Ecclesiæ vel Pontificis non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, & non erraret, adhuc non esset peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per universale Concilium alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum Decreta, & confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque Concilio.

30. Ali-

30. Aliqui articuli Joannis Huss, damnati a Concilio Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi, Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni bono opere justus peccat.

32. Opus bonum, optime factum, est peccatum veniale.

33. Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus.

34. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, &, dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex S. Scriptura, quæ est in Canone.

38. Animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes: nec probatum est ullis, aut rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, & augendæ charitatis.

39. Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ, ex purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati Ecclesiastici & Principes sæculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Has Propositiones Leo X reprobat ac damnat tanquam respective hæreticas, aut scandalosas, aut falsas, aut piarum aurium offensivas; atque omnia Lutheri scripta ac libellos gravissime prohibet. Narrat dein, quanta longanimitate egerit cum eo, tum per legatum, tum per litteras, ut resipisceret, at illum nihil nisi vana ac perfida promissa, erroribus suis inhærentem, reddidisse. Citatum, oblatis securitatis litteris, Romam ad dicendam causam, ad futurum Concilium contra Decreta Pii II & Julii II appellasse, mala fide & ad fucum faciendum duntaxat, cum re ipsa etiam Conciliorum auctoritatem respueret. Nihilominus tamen adhuc eum paterne hortatur, ut ceu filius prodigus ad patrem redeat. Cum autem contumax in sua iniquitate persisteret, imo in dies insolentior pejorque evaderet, ac deteriores etiam hæreses spargeret, Pontifex anathema rursus in eum pronuntiavit, & terras, in quibus versaretur, interdicto subjecit.

Anathema in refractarium.

Articulus

Articulus V.

Obitus Leonis X.

Obiit 1 Dec. 1521 Pontificatus nono, ætatis 46, pluribus sane annis multo dignissimus. Paulus Jovius, Alphonsus Ciaconius, Onuphrius Panvinius, aliique illius ævi Scriptores miris eum laudibus extollunt; celebrantque a sublimitate ingenii, prudentia singulari, summa morum suavitate, & in omnes facilitate, vitæ innocentia, doctrina excellenti; ut adeo Lutherani non nisi per mendacia in hunc maxime Pontificem grassentur. Petrum Bembum, & Joannem Sadoletum viros doctissimos inter familiares ascivit, a Paulo III postea creatos Cardinales. Per Santem Pagninum Ord. Prædicat. S. Scripturam ex Hebræo textu in Latinum vertit. Bibliothecam Vaticanam aliquot millibus librorum auxit. Academiam Rom. accitis viris eruditis instauravit. Pacem Christianos inter Principes composuit, omnique eos studio, ut in Turcam arma converterent, permovere est connisus. Schisma Pisanum sustulit, receptis in gratiam Cardinalibus, qui eidem adhæserant. Sanctionem Pragmaticam Gallorum extinxit, &, ut contumaciam quorundam Præsulum plecteret, Concordatum cum Rege iniit. Luthero, quantum potuit, restitit. Novos Episcopatus in America erexit. Erasmus ipse Roterodamus, testis Protestantibus non suspectus, magnis eundem encomiis, ceu Pontificem omni eruditione excellentem, doctorum virorum patronum, vitæ probitate integerrimum, Pastoremque in omnem partem vigilantissimum prædicat.

Elogium.

Excerpta ex Bullarii

Tomo IV. Parte I.

ab anno 1521 ad 1558.

CAPUT XXII.

Aliæ Constitut. Sæc. XVI.

Articulus I.

Hadrianus VI, anno 1522.

114. 1. *Constitutio.* Revocat Jura Patronatus, a tempore Innocentii VIII concessa in præjudicium liberæ collationis, & electionis.

2. Litteris,

2. Litteris, ad Fridericum Saxoniæ Ducem datis, serio eum monet, ut desinat protegere Lutherum, hominem impium in Deum & Cœlites, turpem apostatam, infinitæ maledicentiæ scurram, seductorem perfidum. Refert Saxoniæ laudes, jam a tempore Hadriani I, & Caroli M. temporibus immotam in fide orthodoxa constantiam, Saxoniæ Ducem a Greg. V Saxone creatum S. R. I. Electorem, vineam Domini florentem, donec ferus aper de sylva depastus est eam. Rediret tandem ad se ipsum, ad majores suos, ad veram Christi Ecclesiam, extra quam non est salus; an uni misero ac perdito homuncioni plus credendum, quam toti venerandæ antiquitati, Oecumenicis Conciliis, Patrum testimoniis, Sedis Apost. doctrinæ intemeratæ, ipsisque Verbi Divini Oraculis? cessaret Lutherus, seductor improbus Scripturas, a se corruptas, in sensum reprobum male detortas oggerere; hoc enim omnes fecisse hæreticos, Deo & Ecclesiæ rebelles. Addit denique comminationes, ni resipiscat. Adhortatio ad Frid. Electorem Saxoniæ.

Anno 1523.

3. Cum summi Pontifices obtinere non potuissent, ut Christiani Principes in pacem consentirent, Hadrianus triennem eis Treugam, sub pœna excommunicationis, indicit, ut arma in Turcam, in Christianas terras grassantem, convertantur.

4. Rex Hisp. perpetuus Administrator militiarum S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, & de Alcantara renuntiatur.

5. Canonizatio S. *Bennonis*, Episcopi Misnensis.

Obitus Hadriani VI.

Obiit pientissimus hic Pontifex 14 Sept. 1523, postquam sedit unum duntaxat annum, menses 8, dies 6, summa integritate, vitæ innocentia, zelo Domus Dei accensus, quamvis non omnibus Italis placeret, magna pro temporis brevitate gessit, atque nihil non egit, ut conciliata Carolum V inter & Franciscum I pace, expeditio Christiana in Solimannum, Insula Rhodo & Belgrado expugnato ferocem, susciperetur. Nec minori adversus Lutheri hæreses zelo flagrans, *Cheregatum* Episcopum ad Comitia Norimbergensia, ut Religionem reduceret, misit: ubi tamen omnia a Novatoribus, repudiato Pontifice, turbata invenit. Elogium. Cheregatus Legatus ad Comitia Norimberg.

Nihil carni dedit & sanguini; hinc pauperes agnatos Romam venientes, tenui viatico instructos in Bataviam, patriam suam remisit. Optimos ovibus dedit pastores, auditus dicere, Ecclesias Sacerdotibus, non Sacerdotes Ecclesiis esse ornandos. Regibus Hispaniæ concessit potestatem nominandi Episcopos, sicut Antecessor ejus Leo X Hispano datjus nominandi Episc.

Regibus Galliæ concesserat; Cardinalem creavit unicum, Wilhelmum Enchavordium.

Articulus II.

Clemens VII.

115. Postquam sedes vacavit menses duos, dies quinque, electus est Cardinalis Julius Mediceus, Archiepiscopus Florentinus, Leonis X patruelis, qui Clemens VII dici voluit. Ejus autem gesta ex saluberrimis maxime Constitutionibus dignoscuntur.

Ex Constitut. Clementis VII, anno 1523.

1. *Constit.* Canonizatio S. *Antonini* Archiepiscopi Florentini ex Ord. S. Dominici.

3. Instituit Collegium 60 virorum ad perficiendam fabricam S. Petri.

Anno 1524.

Theatini. 10. Approbat Congregationem Clericorum Regularium *Theatinorum*, & privilegiis ornat.

13. Multa & magna privilegia concedit Auditoribus Rotæ.

Anno 1525.

14. Confirmat Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, pro impudicis mulieribus, ad meliorem vitam conversis, a se, dum adhuc Cardinalis esset, fundatum.

15. Minoribus S. Francisci de observantia dat licentiam, componendi cum hæredibus super legatis ordini relictis, pro certa pecunia solvenda, aut aliis rebus mobilibus.

17. Cum plures debitores aut beneficio cessionis bonorum, aut Decreto moratorio seu dilatione quinquennali, creditoribus illudant, statuit Pontifex, ut causæ hujusmodi omnes intra tres menses absolvantur, sub pœna amissionis privilegii, debitoribus concessi.

Anno 1526.

19. Syndici, Procuratores &c. Ord. S. Francisci de observantia gaudent iisdem privilegiis, ac ipsi Fratres.

20. Erectio Cathedralis Ecclesiæ Theatinæ in Metropolitanam.

Roma direpta. 21. Procuratori Cameræ Apostolicæ assignatur vigesima pars omnium pœnarum, quæ ex causis criminalibus proveniunt.

Anno 1527 capta Roma omnia sacra profanis mixta sunt.

Anno

Anno 1528.

24. Approbatio Congregationis Eremitarum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, ex quibus dein orti sunt Capucini. Capucini.

25. Cum hæresis Lutherana ex Germania in Italiam proserpere cœpisset, laudat Pontifex civitatem Brixiensem, quod eandem sedulo expulisset.

Anno 1529.

31. Cum Turcarum Imperator Hungariam invaderet, resque Christiana magno exposita esset discrimini, Carolus V Cæsar Pontificem Bononiæ convenit; antequam autem Papa eo progrederetur, decrevit, ut, si absens moreretur, electio novi Pontificis nihilominus Romæ perageretur.

32. Pontifex electionem Caroli V in Imperatorem prius examinatam, approbat & confirmat, uti etiam coronationem, Aquisgrani per coronam argenteam Caroli M. factam &c.

Anno 1530.

33. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis datur potestas adversus quoscunque, etiam Regulares exemptos in causa hæresis procedendi.

34. Coronatio Caroli V Imperatoris peracta Bononiæ a Clemente VII Romano Pontifice, intra Missarum solennia, ab ipso Papa celebrata. Et primo quidem coronam ferream eidem imposuit, post triduum vero auream: annulum digito inseruit, ense accinxit adversus Ecclesiæ hostes, Pomum Imperiale porrexit, cum pacis osculo; antea vero Canonicus Basilicæ S. Petri de urbe creatus, & Diaconi ornamentis indutus, ab Episcopo Ostiensi fuerat inunctus. Addidit Pontifex declarationem, hanc coronationem eandem vim habere, ac si more veteri coronam ferream Mediolani, & auream Romæ accepisset: simulque dispensat, ut Carolus cum Imperatoria dignitate Regnum Siciliæ retinere possit. Coronat Carolum V.

36. Postquam Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani Rhodo fuerant expulsi, Carolus V Imperator, tanquam Rex Siciliæ eis Insulam *Melitam* cum Tripoli & Gaudisio, donavit, clientelari jure possidendam, sub censu unius duntaxat falconis seu accipitris, quot annis festo omnium sanctorum Proregi Siciliæ per deputatos tradendi, in recognitionem feudi; de cætero immunes essent ab omni servitio, a Vasallis præstari solito, ac jure debito. Feudi tamen Investitura a quovis novo Magno Magistro renovanda, cum juramento, nullum præjudicium aut damnum inferendi Regi Siciliæ, sed illud potius omni conatu avertendi, &, si subditus ejusdem Regis, criminis capitalis reus, Melitam profugeret, eundem expellendi; si autem læsæ Majestatis, Is Melitam dat Rhodiis.

ftatis aut hæreſis eſſent rei, Proregi Siciliæ petenti extradendi. Jus vero Patronatus Eccleſiæ Melitenſis ſibi Carolus & ſuis in regno Siciliæ ſucceſſoribus reſervat. Poſſint tamen Equites tres nominare Regi Siciliæ. Promoto autem ad Epiſcopatum magna Crux tradatur, & aſſumatur in conſilium Ordinis cum Prioribus & Baillivis. Atque hæc omnia approbavit & confirmavit Clemens Pontifex.

Filii Presbyt. nec mediate obtineant Beneficium patris.

37. Alex. III prohibuerat, ne filii Presbyterorum immediate patri in Beneficio Eccleſiaſtico ſuccedant, niſi alia perſona intermediet. Quia autem patres per varias artes confidentiales providebant, ut filii brevi ſuccedere poſſent, Clemens VII diſpoſuit, ut filii Presbyterorum, ex fornicatione geniti, nec mediate obtinere poſſint Beneficia, quæ patres eorum in titulum, aut commendam, aut adminiſtrationem habuerunt.

Anno 1531.

40. Militibus S. Jacobi de Spatha, non Conventualibus aut non deſervientibus pro Conventualibus, dat poteſtatem teſtandi ac diſponendi de bonis ſuis, ſic tamen, ut ſingulis trienniis hanc facultatem petant.

Anno 1532.

41. Prohibet, ne de Beneficiis aut Penſionibus, quorum annuus reditus 24 Ducatorum de Camera valorem non excedit, annatæ petantur pro Camera Apoſtolica.

Nova Minorum diviſio.

43. Leo X declaraverat, ſub nomine Reformatorum, Regulam S. Franciſci pure & ſimpliciter obſervantium, comprehendi omnes *Obſervantes*, tam de Familia, quam Reformatos, de Capucio, ac Diſcalceatos, aliosque ſimiles, quocunque nomine compellarentur, ita, ut unum ſit omnium corpus, ſub uno Generali, iisdem Provincialibus &c.

Poſtea, cum aliqui adhuc purius, ſtrictius & plenius ad litteram ſecundum declarationem Nicolai III & Clem. V Regulam obſervarent, Clemens VII Generali & Provincialibus mandat, ut his certa loca pro eorum numero, quantum fieri poteſt, contigua, aſſignent, neminemque ab eorum aſſociatione impediant, atque peculiarem in provinciis cuſtodem ſibi eligere permittant.

Anno 1533.

46. Confirmat Inſtitutum Theatinorum, & privilegia concedit.

48. Approbat Confraternitates Roſarii B. V. & Indulgentiis ditat.

49. Occaſione turbarum in direptione urbis quædam collationes Beneficiorum, Pontifici reſervatæ, factæ ſunt ab ordinariis. Has irritat, & Concordata Germaniæ obſervare jubet.

Obitus

Obitus Clem. VII.

Ad civitatem, cujus nulla timenda hostilis invasio atque direptio, transiit 25 Sept. 1534, postquam Pontificatum gessit annis 10, mens. 10, dies 8, creatis Cardinalibus 34. Quæ Regimen ejus difficile fecerant, duo erant: primum direptio truculenta urbis, quam alias descripsi. Fœdus inierat Clemens cum Rege Galliæ, Angliæ, Venetis, Sfortia Duce Mediolanensi, pro Italiæ libertate, & liberandis filiis Francisci I. Ductore Carolo Borbonio admotus Romæ exercitus, quam Philibertus Auriacus, Borbonii cæsi successor, expugnavit, & immani furore expilari permisit. Obsessus in mole Hadriani Pontifex, atque ad duras conditiones compulsus: 40 aureorum millia numeraret, Castrum S. Angeli aliasque arces præsidio Cæsareo permitteret, Columnensem Familiam, Cæsaris partes secutam, restitueret in integrum. Sæva Romæ direptio.

Alterum, quod gravissime sauciavit pectus Pontificis, fuit causa matrimonialis Henrici VIII Regis Angliæ, qui repudiata Catharina legitima conjuge, adulterinis nuptiis Annæ Bolenæ adhæsit. Clemens VII tentatis nequidquam omnibus mediis convertendi infelicem Principem, tandem, urgente Cæsare, (cujus Catharina erat matertera) ad censuras descendit, & Henricum ob contumaciam in excommunicationem incidisse declaravit. Quo facto Rex irritatus, se ipsum in caput Ecclesiæ erigens, florentissimum regnum, tot sanctorum patriam, in deplorandum schisma præcipitavit. Causa matrimonii Hen. VIII.

Articulus III.

Paulus III.

Postquam vacavit sedes dies 17, concordibus Cardinalium suffragiis electus est Alexander Farnesius, Romanus, Cardinalis & Episcopus Ostiensis, 13 Oct. 1534, 3 Nov. coronatus. Rexit Ecclesiam annis 15, eamque sapientissimis ordinationibus locupletavit; quarum illas, quæ notabiliores videntur, delibabimus. 116.

Excerpta ex Constitut. Pauli III, anno 1534.

3. Declarat sua sanctitas, quinam sint censendi Familiares & Commensales Pontificis, qui certis gaudent privilegiis, & quorum Beneficia sunt Papæ reservata. Tales autem sunt Referendarii & alii Officia-

 les,

les, ex Palatio Apost. panem habentes, Protonotarii, Subdiaconi, Auditores Rotæ, Acoliti, Scutiferi, Secretarii, litterarum Apost. Scriptores, Cubicularii, ac Milites S. Petri, aliique Officiales, Pontifici inservientes, aut custodiam facientes in palatio, licet in eo non habitent, & manducent: declaratque, tales esse Protonotarios, etiam non Participantes, si ab ipso Pontifice sint creati, non autem, si creati sint a Nuntiis Apost. Cardinalibus &c.

Anno 1535.

Processus contra Henr. VIII.

7. Processus adversus Henricum VIII Angliæ Regem. Commemorat Papa laudabilem ejus antea vitam, scriptum librum contra Lutherum, titulum *Defensoris Fidei*, a Leone X datum, perversionem tristem, legitimum matrimonium, post susceptas ex eo proles, turpiter desertum, superinductam adulteram, schismaticos articulos de capite Ecclesiæ, eos respuentes in carceres abstrusos, Fischerum Cardinalem Roffensem capite plexum, paternas Pontificum admonitiones contemptas, Clementis VII in contumacem censuram, cui insorduisset.

Paulus III Papa nihilominus, ut resipiscat, per viscera misericordiæ Dei paterne hortatur, pellicem ejiciat, Reginam conjugem reducat, novas suas leges abroget, a vexando Sacerdotio desistat. Si contumax perstiterit, excommunicatione eum ferit, omnesque ejus fautores, consultores, adhærentes, ac jure regni excidisse declarat, terrasque Interdicto Ecclesiastico supponit, ac multa alia circa regnum, subditos &c. disponit, quæ longum fuerit referre.

10. Publicatur Bulla Cœnæ.

Anno 1536.

Prima indictio Concilii Mantuam.

11. Indictio Concilii Oecumenici, inchoandi Mantuæ 23 Maji 1537, quod Carolus V Imp. jam a Clemente VII instanter expetierat. Papa Reges, Principes, Præsules ad illud invitat.

12. Cum rursus belli Christianos inter summos Principes jacerentur semina, Pontifex vetuit, ne subditi S. R. E. eis militent, aut in ditione Eccles. delectus habeant.

Capucinorum Ordo confirmatur.

14. Congregationem Fratrum *Capucinorum*, qui hactenus Eremitæ S. Francisci appellabantur, a Clemente VII approbati, nunc iterum sub *Capucinorum* nomine a Paulo III approbantur, & confirmantur, cum potestate Vicarium Generalem sibi eligendi in capitulo, præsentandum tamen Generali Magistro Conventualium, donec aliter a Sede Apost. fuerit dispositum. Tenetur autem ille Vicarium a Capucinis electum confirmare, & suas ei vices delegare, cum plena potestate,

de-

designandi Custodes, Quardianos &c. visitandi, gubernandi, puniendi &c. Prohibetur simul graviter omnibus aliis Capucinorum habitum gestare.

Anno 1537.

15. Confirmat omnia privilegia, auditoribus Rotæ Romanæ, tanquam orbis Christiani tribunali, unquam concessa.

18. Privilegium centenariæ præscriptionis, & aliæ gratiæ, Congregationi Cassinensi seu S. Justinæ, conceduntur.

Anno 1538.

20. Ægidius Cardinalis multas Romanorum Pontificum Constitutiones, quæ temporale provinciarum urbiumque Status Ecclesiastici Regimen spectant, collectas, in unum volumen, sex libris distinctum, digesserat, pro instructione Legatorum, Gubernatorum, Præfectorum, aliorumque Officialium; quæ propterea *Constitutiones Ægidianæ* appellantur. Has, plurium Pontificum exemplo, observari Paulus III mandat. Constit. Ægidianæ.

21. Vetat, ne Officiales Cameræ Apost. eandem defraudent, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Anno 1539.

25. Similiter vetat, ne quæstores, Commissarii aliique Officiales Hospitalium & aliorum piorum locorum, quæstum ex Indulgentiis &c. faciant, pecuniasque, Hospitalibus necdum incorporatas, fabricæ S. Petri applicari jubet.

26. Maceratæ studium generale seu Universitatem instituit, cum privilegiis aliarum Academiarum.

Anno 1540.

29. Ad instantiam Caroli V Imp. & Regis Hisp. Militibus de Calatrava, & de Alcantara Ordinis Cisterciensis, qui alias votum castitatis emittere solebant, concedit, ut hoc votum non amplius nuncupare teneantur, sed matrimonium contrahere possint, & castitatem conjugalem vovere, prout solent facere Milites S. Jacobi de Spatha, Ordinis S. Augustini; quodque etiam conjugati possint Ordinibus illis militaribus nomen dare. Ordines militares in Hisp. matrimonium contrahere possunt.

30. Appellationes non admittendæ, nisi facto deposito pœnæ, in casum condemnationis, ut hac ratione frivolæ appellationes amputentur.

31. Prima approbatio & confirmatio Instituti Societatis Jesu. Ignatius Loyola siquidem & novem socii, ex diversis provinciis & nationibus collecti artium Magistri & in Universitate Parisiensi Graduati, ideam Societatis Paulo III Pontifici proposuerant, circa votum casti- Institutum S. J. confirmatur.

tatis,

tatis, obedientiæ, Præposito eligendo & summo Pontifici præstandæ, ac paupertatis, vi cujus non modo privatim nihil ut proprium possidere, sed neque communiter bona stabilia habere possint, exceptis collegiis pro studentium sustentatione.

Proponunt finem sui Instituti, salutem videlicet propriam, & proximi, fideique propagationem, procurandam per doctrinam Christianam, prædicationem Verbi Divini, Spiritualia Exercitia, charitatis opera, auditionem confessionum, juventutis instructionem, Missiones, in remotissimas etiam terras ex voluntate summi Pontificis, cui speciali voto se subjiciunt, suscipiendas. Socii autem, quicunque in sacris fuerint, teneantur ad dicendum Divinum Officium, non communiter, sed privatim & particulariter.

Papa, cum nihil in his reperiatur, quod pium sanctumque non sit, præmissa omnia & singula, tanquam ad spiritualem profectum sociorum & reliqui Christiani gregis opportuna, Apost. auctoritate approbat, atque confirmat, sociosque sub sua & Apost. Sedis protectione suscipit, & Constitutiones particulares, ad propositum finem opportunas condendi facultatem concedit. Numerum autem sociorum tunc ad 60 personas restrinxit.

32. Approbat confraternitatem, ad pauperes orphanos pie educendos, & artibus instruendos Romæ institutam.

Anno 1541.

33. Quidam prætendebant, se ex privilegio certas *excommunicationes S. Eleutherii* publicare posse. Has Papa penitus abolet.

34. Collationem Beneficii necdum vacantis imo & promissionem illius, invalidam esse, de Jure communi certum est; sed astuta habendi cupitas artes invenit, ut illa obtinerent, tanquam certo modo vacantia, ut illa dein saltem litigiosa reddere possent. His fraudibus Papa viam intercludit.

Benef. necdum vacans.

Anno 1542.

36. S. Inquisitioni dat facultatem procedendi contra omnes, qui scandalosas Propositiones prædicant.

37. Fabricæ S. Petri collata privilegia confirmat, novaque addit, ut ad eam absolvendam pecunia comparetur.

38. *Neophitis* ex Judaismo aut alia infidelitate concedit privilegia; bona aliena incerta retinere permittuntur. Fiunt cives illius loci, in quo baptizantur. Curandum, ut cum Christianis originariis matrimonia contrahant. Redeuntes ad vomitum, tanquam hæretici puniantur.

Neophit.

39. Res

39. Res & bona personarum Ecclesiasticarum, (quae *Spolia* appellantur) si intestati decedant, aut sine facultate testandi, aut testentur ultra quantitatem, sibi permissam, ad Cameram Apostolicam pertinere declarat. Spolia.

40. Jam anno 1537 Concilium Mantuae celebrandum indixerat; sed propter continuas dissensiones Christianorum Principum & bella, etiam Turcica, congregari non potuit. Denegata etiam ipsi fuit *Mantua*, nisi conditiones subiret, quae acceptari non poterant. Quare *Vicentiam* elegit; sed propter incidentia identidem impedimenta, de tempore ad tempus prorogandum fuit. 2da Indictio Concilii Vicentiam.

Nicaeam quoque longo difficilique itinere senio gravis & viribus fractus, se contulit, ut Carolum V, & Franciscum I, qui ad eum locum condixerant, ad pacis consilia flecteret. Decennales tandem ut inducias pangerent, impetravit: auxitque spem amicus utriusque Principis post discessum Pontificis Nicaeae congressus. Verum de externis Praesulibus vix aliqui Vicentiae comparuerant. Unde, cum toties jam tempus Concilii esset prorogatum, Papa illius celebrationem suspendit ad suum beneplacitum, desiderantibus id maxime Principibus, qui ante pacem confectam, recrudescente praesertim in Hungaria bello, Concilium minus opportune celebrari posse existimabant. Nizzam pergit.

Cum autem Papa incredibili desiderio flagraret, per Synodum generalem quantocius vulnera Ecclesiae sanandi, quae in dies magis asperabantur, Vicentiam vero non amplius habere posset, uni Deo confisus, anno 1542 delecto voluntate Caesaris *Tridento*, satis commodo omnibus Nationibus loco, illud rursus indixit, ad 1 Nov. inchoandum: omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque, quibus de jure vel privilegio competit, praecipit, ut per seipsos, aut certe, si justa ex causa impediantur (de quo fidem facere Pontifici teneantur) per Procuratores compareant, Reges vero & Principes hortatur, rogatque, ut, si salvam velint Christianam Rempublicam, & ipsi ad Concilium veniant, vel, si venire non possent, idoneos legatos mittant: idque maxime a Praesulibus & Principibus Germaniae impetrari aequum esse, cum eorum praecipue causa, ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, & in ea quidem civitate, quam ipsi desiderassent. 3tia Indictio Tridentum.

43. Papa ut summus Pontifex est Christi in terris Vicarius, caputque totius Ecclesiae, quam suprema in Spiritualibus potestate a Christo collata regit. Ut Patriarcha Occidentis habet Primatum inter omnes Patriarchas. Ut Episcopus habet suam peculiarem Dioecesin Romanam, Romam, suburbia, certumque districtum continentem; Vicarius Generl. Romanae Dioecesis.

hanc, sicut alii Episcopi tum per se ipsum, tum per Vicarium in Spiritualibus Generalem administrat; cui hac Constitutione tribuit Jurisdictionis potestatem in omnes Diœcesis Romanæ Sæculares & Regulares Ecclesias, visitandi, corrigendi, atque reformandi in capite & in membris: causas civiles, 60 aureos non superantes, cognoscendi, appellationem, in causis, in quibus agitur de summa infra 5 Ducatos, rejiciendi; causas alimentorum, miserabilium personarum, & alias quascunque, ultra 60 Ducatos de Camera non ascendentes, summarie & de plano, sola rei veritate inspecta, judicandi: dilationes moratorias, etiam quinquennales, in causis mercedum, alimentorum, pensionum, censuum, & miserabilium personarum, uti pupillorum, viduarum, pauperum, Ecclesiarum & piorum locorum, rejiciendi, nisi Rescripta Moratoria data fuerint causa cognita, aut motu proprio a Papa.

Judicandi item Judæos, omnesque usurarios, congregandi Synodum Cleri Romani, conferendi per se vel alium Episcopum Ordines, consecrandi Ecclesias &c. pollutasque aqua benedicta reconciliandi, sceleratos puniendi, pœnasque ad pias causas applicandi, aliaque exercendi, quæ vel de jure vel de consuetudine Officio Vicarii Generalis sunt annexa.

Anno 1543.

Prorogat iterum Concilium.

46. Celebrationem Concilii Tridentini prorogat usque ad bellorum sedationem. Commemorat suam sollicitudinem, laboresque impensos pro sedandis bellorum tumultibus, & congregatione Concilii, ex necessitate toties jam prorogati: iter suum Nicæam usque ad conciliandos summos Principes, tot ad eos missos legatos, tot litteras scriptas, indictum toties Concilium, primo Mantuæ, deinde Vicentiæ, demum Tridenti, missosque eo legatos suos: tot hortationes, & mandata, ut compareant. Sed cum hæc omnia incassum fuerint adhibita, ac propter bella itinera sint intuta, classisque Turcica Italiæ exitium minitetur, suos legatos, qui per sex menses Tridenti frustra exspectaverant, revocat, Conciliumque in aliud tempus opportunius differendum edicit.

Restrictionem ad 60 tollit.

47. Cum Papa in prima approbatione Instituti S. J. numerum sociorum ad 60 restrinxisset, jam plenam dat facultatem omnes idoneos suscipiendi.

Anno 1544.

50. Pœnas perjurii, falsi, ac decupli decernit in Officiales Cameræ Apost. qui rationes non reddunt fideliter.

51. Man-

52. Mandat, ut Gubernator urbis, Auditor Cameræ, Vicarius, Judices Almæ urbis totiusque Ditionis Ecclesiasticæ *Cardinali Camerario*, personam ipsius Pontificis repræsentanti, pareant. Card. Camerarii potestas.

Anno 1545.

53. Vetat, detinere bona naufragantium in locis maritimis S. R. E. præmiumque proponit, ea recuperantibus.

55. Donatio spoliorum seu fructuum Ecclesiasticorum non valet, si donans non supervivat 20 diebus.

56. Vetat mutare stylum Cameræ Apost. & Cancellariæ.

Constit. *Cum inter* Societati Jesu dat facultatem in quibusvis Ecclesiis & locis Verbum Dei prædicandi, omniumque ad se accedentium Confessiones audiendi, & ab omnibus peccatis, etiam Pontifici reservatis absolvendi, exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ sunt reservata: vota item quæcunque (exceptis quinque) in alia pietatis opera commutandi. Missam ante diem & intra horam post meridiem dicendi; Eucharistiam & alia Sacramenta ministrandi, Ordinariorum, Parochorum, aut aliorum licentia non requisita. Privilegia S. J. concessa.

Anno 1546.

Constit. *Exponi* eidem Societati concedit Facultatem, Coadjutores Spiritúales & Temporales assumendi, qui tria Religionis vota emittant, quin ad solennem Professionem teneantur, sed a Præposito S. J. dimitti possint, votis soluti; 20 autem tantum Presbyteris Coadjutoribus Facultates, Professis indultæ, concedi possint; solennem vero professionem Romæ tantum fieri jubet.

Anno 1547.

57. Contra Fratres Conventuales, absque licentia Sedis Apost. extra Ordinem vagantes, puniendo & coercendo procedere superiores eorum possint.

Anno 1548.

58. Causarum, tam Criminalium quam Mixtarum cognitionem ad eundem Judicem in Campania pertinere declarat.

61. Ecclesiastici, qui testandi facultatem non acceperunt, decimam tantum partem piis causis possunt relinquere; ne Camera Apost. spoliis defraudetur.

Anno 1549.

63. Multa ad Regimen & Ministeria S. J. disponit. Plena administratio est penes Præpositum Generalem: cui tamen Societas potest alium subrogare. Potest suos ad Missiones mittere & revocare. Dignitates acceptari non possunt sine facultate Generalis: ambitiosi autem non sunt earum capaces. A correctione regulæ appellari non potest. De S. J.

teſt. Non tenentur ſuperiores aliquem vel aliquos ad miniſterium Præſulis deputare, & deputati ſub correctione ordinis manent, poſſuntque rurſus amoveri.

Poteſt Generalis per ſe vel alios ingreſſuros & ingreſſos abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris, & in irregularitatibus diſpenſare; niſi ſint caſus enormes juxta Bullam Sixti IV. Reincidunt tamen in illas, ſi non mox intrent in Societatem, & vota emittere non ſint parati. Quivis Generali, vel ab eo deputato confiteri debet. Nullus, ſive profeſſus, ſive ſcholaris, ſive Coadjutor, tranſire poteſt ad alium Ordinem (Carthuſienſium excepto) ſine expreſſa Generalis aut Sedis Apoſt. licentia. Apoſtatæ & inſolentes coerceri poſſunt excommunicatione, incarceratione &c.

Societas, perſonæ ac bona ab omni ſuperioritate, juriſdictione, correctione quorumcunque ordinariorum eximuntur, & ſub protectione Sedis Apoſt. ſuſcipiuntur. Presbyteri in locis, in quibus degunt, poſſunt habere oratoria, & uſum altaris portatilis, atque tempore etiam Interdicti, januis clauſis, Miſſas dicere & Sacramenta miniſtrare. Familiaribus vero ſuis libere poſſunt cuncta adminiſtrare Sacramenta, & ſepulturam.

Nec ullis Prælatis liceat, contra aliquam Societatis perſonam excommunicationis, ſuſpenſionis aut Interdicti ſententiam contra ejus privilegia, a Paulo III conceſſa, proferre. Eorum autem interpretationem ſibi reſervat. Qui Societatis concionibus interſunt, Miſſas audire & Sacramenta recipere apud eam poſſunt, nec ad id Parochiales Eccleſias accedere tenentur.

Poſſunt à quolibet Antiſtite Catholico ordinari abſque promiſſione & obligatione. Nullam tenentur ſuſcipere adminiſtrationem aut curam Monialium: nec de prædiis & bonis Collegiorum ullam ſolvere Decimam, etiam Papalem, vel aliam contributionem, vel procurationem, neque de legatis vel alias ſibi relictis, niſi Societatis fiat a Papa expreſſa & ſpecifica mentio: eaque omnia auctoritate Apoſt. confirmata cenſeantur. Nemo etiam impediat conſtructionem Collegiorum &c.

Privilegia.

Conceditur Indulgentia plenaria viſitantibus ſemel in anno Societatis Eccleſiam. Præpoſitus Lectores Theologiæ & aliarum Facultatum deputare poteſt, nemine alio requiſito. Poſſunt ſocii in terris Infidelium & partibus remotiſſimis, a quibus Sedes Apoſt. non poteſt adiri, pœnitentes abſolvere etiam a caſibus, in Bulla Cœnæ reſervatis, & diſpenſare in gradibus, Jure Divino non prohibitis, ut converſi ad fidem in matrimoniis contractis permanere poſſint, benedi-

cere

cere vestes Sacerdotales, calices, altaria, Ecclesias reconciliare, statuta condere, Provinciali decedente in longinquis illis partibus, alium interim eligere, donec Generalis provideat: in iisdem terris, exigente necessitate, bis in die Missam legere.

Professio de licentia Generalis ubilibet emitti potest; concessio Coadjutorum, ad 20 ante restricta, ad quoscunque idoneos extenditur. Confirmat denique omnes gratias & privilegia concessa, quæ Generalis, quibus visum fuerit, communicare possit, commendatque Societatem Principibus & Prælatis, ac conservatores & executores hujus ordinationis constituit.

Obitus Pauli III.

Decessit 10 Nov. 1549, ætatis 81, sepultus in Vaticano. Gubernavit magna cum laude Ecclesiam annos 15, dies 28, creatis Cardinalibus 71. Pontifex, zelo Religionis, integritate, probitate, sapientia, doctrina, prudentia, & experientia rerum, multorum annorum usu collecta, excellens, difficillimis temporibus Divinitus Ecclesiæ provisus, cursum ruinarum stitit. Quas illi molestias attulit Anglicanum schisma, atque Henrici VIII adversus omnes paternas monitiones in flagitia obduratum pectus? quantos animi dolores per Germaniam, Galliam, Hungariam, Poloniam, Daniam, Sveciam, scissa Religio? quantos ille conatus, curas, labores impendit, ut, dum hinc hæresis, inde Turca inconsutilem Christi togam scinderent, distractos in bella Christianos Principes, in pacem & concordiam componeret? quantis denique studiis actum, ut Oecumenica Synodus, ut afflictis & fatiscentibus undique rebus opem ferat, colligeretur? Perrupit tandem decumanos obices invicta constantia. Collecta est 13 Dec. 1445, celebratæ XI sessiones sub Paulo III octo Tridenti, tres Bononiæ: ut adeo mirum omnino sit, Protestantes quosdam eo venire potuisse impudentiæ, ut scriberent, Paulum III subterfugisse convocationem Concilii, & moras ex moris texuisse. Proscriptus libellus Interimiticus, quod quibusdam communionem sub utraque specie, & Sacerdotibus ductas jam uxores relinqueret. Designatus Cardinalium, aliorumque Prælatorum cœtus, qui ea, quæ ad corrigendos mores, & erigendam collapsam disciplinam facerent, unum in libellum colligerent. Constituti novi in agro Domini, zizaniis scatente, operarii, qui evellant, ædificent & plantent, & ruinas Europæ per Asiæ, Africæ, & Americæ germina messemque amplissimam compensent.

Elogium Pauli III.

 Articulus

Articulus V.

Julius III.

117. **Paulo III ad capiendam laborum mercedem vocato, Cathedra Petri per tres ferme menses vacavit, Cardinalium suffragiis, tum inter Cardinalem *Reginaldum Polum*, qui sub Maria Regina Angliam ad fidem orthodoxam reduxit, & inter alios distractis, donec in Cardinalem Joannem Mariam de Monte, Episcopum Prænestinum, qui Concilio Tridentino Pontificis nomine præsederat, 8. Febr. 1550 convenirent; qui *Julius III* appellari voluit, & annis quinque saluberrimis Constitutionibus Ecclesiam rexit, quarum eas, quæ notabiliores videntur, pro instituto breviter attingemus.**

Anno 1550.

Primis 5 Constitutionibus agitur de potestate & jurisdictione Majoris Pœnitentiarii, Vicarii Generalis in Judæos, Cardinalis Camerarii, Gubernatoris utriusque Burgi, Curialium &c. Quibus sua privilegia confirmantur.

6. Absolvuntur Hæretici, intra tres menses ad Ecclesiam reversuri, ab omnibus pœnis.

9. Altera approbatio & confirmatio Instituti Societatis Jesu.

Concilium resumit. 11. Reducit, petente Cæsare, Concilium Generale Tridentum, 1 Maji 1551 reassumendum.

Anno 1551.

12. Graviter vetat, nequis Inquisitores hæreticæ pravitatis in officio suo impediat, & ne laici de crimine Hæresis, utpote ad forum Eccles. privative spectante, cognoscant.

13. Donationes Prælatorum, nisi 20 dies supervivant, nullas esse decernit.

17. Quinta pars donationum ad pias causas applicanda fabricæ S. Petri.

18. Lusitaniæ Reges Militiæ Avisensis perpetui Administratores & Magistri constituuntur.

Anno 1552.

19. A solo Collegio Advocatorum Consistorialium Doctores Juris Civilis & Canonici Romæ creari possint, aliæque creationes irritantur.

Acad. Dilingana. 20. Erigitur studium Generale Dilingæ in Suevia ad preces Othonis Truchsesii Cardinalis & Episcopi Augustani, cum privilegiis ad instar Parisiensis, Bononiensis & aliarum Academiarum.

21. In-

21. Instituit Collegium Germanicum cum privilegiis studii Generalis, in quo præter litteras Humaniores, Philosophia & Theologia a Professoribus Societatis Jesu doceantur. Colleg. Germ. institutum.

22. Privilegia, Societati Jesu concessa, confirmat, novisque auget, circa jejunia, absolutionem, Divinum Officium, Gradus Academicos suscipiendos &c.

Anno 1553.

25. Vetat, ne quis ditionis Pontificiæ subditus, immediatus, aut mediatus, militet sub signis externi Principis.

26. Vetat, Proto Medici urbis Jurisdictionem ab Officialibus Curiæ turbari. Collegio vero Physico Medico dat facultatem, quoscunque idoneos promovendi ad Gradus.

Anno 1554.

30. Possessionem Ecclesiæ vel Beneficii, ante acceptas litteras Apostolicas confirmationis captam, irritam declarat, addita pœna privationis Beneficii.

32. Hebræis Thalmud aliique libri, quibus nomen Christi blasphematur, retinere graviter prohibetur. Judæi.

34. Cuilibet Judæorum Synagogæ imponitur annua contributio 10 Ducatorum, pro sustentatione Domus Catechumenorum, & Conversorum ex Judaismo.

Obitus Julii III.

Exactis in Pontificatu annis 5, mensibus 2, decessit 23 Martii 1555, ætatis 67, creatis Cardinalibus 20. Concilio Tridentino anno 1551 resumpto, sex celebratæ sunt sub eo sessiones. Bello autem inter Carolum V & Henricum II orto, suspendere illud fuit coactus anno 1552.

Syri, missa ad Julium III legatione, ad Ecclesiæ unitatem redierunt, Primatum Romani Pontificis professi. Legationis Princeps erat Simon Sulakas, totius Orientis ab Euphrate ad Indos usque Patriarcha, qui anno 1553 in Palatio Apost. fidei professionem edidit, & obedientiam promisit, reducique in patriam comites dati sunt Religiosi Sacerdotes, Linguæ Syriacæ periti, qui Religionem in partibus illis propagarent. Syri conversi.

Sed nihil optimi Pontificis animum majori gaudio & solatio perfudit, quam Angliæ per Card. Reginaldum Polum, quem eo legaverat, ad Ecclesiam sub Maria Regina reductio, exactis errorum Ministris, Catholicisque Sacerdotibus restitutis. Et Angli.

Articulus

Articulus VI.

Marcellus II, & Paulus IV.

118. Cum 17 dies fedes vacaffet, electus eft Marcellus Cervinus, Politianus, 9 April. 1555 retento nomine Marcellus II dictus, poftquam graviffimis legationibus perfunctus Concilii Tridentini Præfes fuerat. Ingentes de ejus eximia prorfus vitæ integritate, maturitate judicii, doctrina excellenti, fumma animi æquitate orbis melior fpes conceperat; fed oftenfus magis eft Ecclefiæ quam conceffus; nam 1 Maji anni ejufdem, 21 Pontificatus die apoplexia repente tactus obiit, tanto luctu ac mœrore publico, quanto gaudio fuerat electus, utroque maximo, ætatis 54.

Poft 22 dies fubrogatus eft Cardinalis Joannes Petrus Carafa, Epifcopus Oftienfis, facri Collegii Decanus, Archiepifcopus olim Theatinus, Ordinis Theatini, ab eo fic appellati, confundator, dictus *Paulus IV*, cum 79 annos jam effet natus, fed fenili vigore vegetus.

Anno 1555.

Hiberniam regnum declarat.

Conftit. 1. Petentibus Maria & Philippo Angliæ Regibus, Infulam Hiberniæ Regio titulo & honore ornat.

3. Annullat alienationes, emphyteufes & locationes bonorum Eccleſ. damnofas Ecclefiis, vel fine requifitis Juris folennitatibus factas.

Quæ Judæis prohibita.

4. Judæi in loco omnino fejuncto a Chriftianis habitent. In eorum vicum unicus fit ingreffus. Synagoga unica in civitate eis permittitur. Nulla bona immobilia habeant; fi habeant, Chriftianis vendant. Mares ac fœminæ figno aliquo publico fe diftinguant, ut a Chriftianis dignofcantur, uti mares bireto glauci coloris: neque in hoc difpenfari poffit. Chriftianos famulos aut ancillas, vel nutrices habere non poffunt. Diebus Dominicis feftisque publice non laborent. Chriftianos ne ulla re gravent: neque cum illis ludant, comedant, aut familiarius converfentur. Libri rationum, quas habent cum Chriftianis, latinis litteris fint fcripti, & fermone Italico. Mercaturam non exerceant circa frumentum, hordeum, & alia, ad vitæ ufum neceffaria. Dominos fe appellari non patiantur, cum fint Chriftianorum fervi. Ne agant Medicos apud Chriftianos. Statuta locorum, in quibus degunt, obfervent &c.

6. Decanatus S. Cardinalium Collegii pertineat ad antiquiorem Cardinalem Epifcopum, in curia præfentem, aut abfentem Reipublicæ caufa.

10. Cum

10. Cum contrahentibus matrimonium cum impedimento ex spe facilius impetrandi dispensationem, dispensandum non est.

De contrahentibus matrim. cum scientia impedimenti.

Anno 1556.

13. Cardinales Romæ absentes de distributionibus nihil participant, nec ad optionem Ecclesiarum admittuntur.

16. Contra se ingerentes Beneficiis ante expeditas litteras Apost. & contra non solventes annatas, census, Canones, quindennia & Regalia, Cameræ Apost. debita, pœnæ decernuntur.

18. Provisiones Cathedrales in uno Consistorio proponantur, &, ut negotium expendi possit, post intervallum in alio Consistorio, præviis Cardinalium votis, expediantur.

Anno 1557.

19. Festum Cathedræ Romanæ S. Petri ad 18 Jan. restituitur, toto orbe celebrandum: præservata Festivitate altera Cathedræ Antiochenæ 22 Febr.

21. Revocat privilegia, Regularibus concessa, recipiendi Religiosos alterius Ordinis; quia hoc prætextu solent vagari, nec homines versatiles disciplinæ novæ facile assuescunt.

Anno 1558.

23. Gravissimis censuris percellit eos, qui Papatum ambiunt, aut vivente Pontifice de eligendo futuro Pontifice tractant.

26. Gravissimæ pœnæ in lenones & lenas statuuntur, qui pueros aut puellas pro mercede prostituunt.

Anno 1559.

29. Subsidium, Statui Ecclesiastico impositum, ab omnibus exigi mandat, revocatis privilegiis & exemptionibus.

30. Qui habent facultatem utendi altari portatili, non possunt eo uti, nisi in loco, ab Ordinario vel ejus Vicario assignando.

Altare portatile restringit.

31. Erigit, petente Philippo II, tres Archiepiscopatus, Cameracensem, Mechliniensem, Ultrajectinum, a jure Metropolitico Remensi & Coloniensi, quibus suberant, exemptos. Multos quoque Episcopatus erigit, ut Antverpiensem, Harlemensem, Daventriensem, Levardiensem, Gröningensem, Middelburgensem, Buscoducensem, Ruremondanum, Namurcensem, Audomarensem, Iprensem, Gandavensem, Brugensem &c. hæ celebres urbes, ad Diœceses, Cameracensem, Trajectensem, Leodiensem, Morinensem, Tornacensem, antea pertinuerant.

In Belgio plures Archiep. & Episc. erigit.

Cameracensis autem Provinciæ Suffraganei sint Attrebatensis, Tornacensis, Audomarensis, Namurcensis: *Mechliniensis* vero Antverpiensis,

sis, Gandavensis, Brugensis, Iprensis, Buscoducensis, Ruremundanus: *Ultrajectensis* denique Harlemensis, Daventriensis, Levardensis, Gröningensis, Middelburgensis.

32. Si Regulares, ad Episcopatum assumpti, ad Religionem redeant, non possunt in ea fieri superiores, seu ad officia & dignitates assumi.

Obitus Pauli IV.

Excessit e vita 17 Aug. 1559 Pontificatus anno quinto, ætatis 84, sepultus ad S. Mariam supra Minervam: creatis 19 Cardinalibus, vir integerrimæ, sed severæ indolis, quam corrupta illa tempora requirebant. S. Inquisitionem, fidei tutelam, stabilivit; morum ac disciplinæ censores, ad modum veteris Romæ constituit, sanctiore consilio, majoremque auctoritatem addidit, dum sanxit, ut singulis hebdomadis Congregatio S. Officii Pontifice præsente haberetur. Nepotibus suis nimium indulsisse visus fuerat, sed cum eorum vitia comperisset, Româ jussit facessere.

Elogium.

Aloysium Lippomannum in Poloniam Legatum misit: Nunnium Baretum S. J. Patriarcham creatum cum sociis in Abyssiniam: novos in India & Belgio Episcopatus erexit. Linguarum Orientalium ipse peritissimus, Novum Testamentum, in Syriacum idioma conversum, litteris Syriacis Romæ edi curavit.

Quia autem tum sua inidole, tum per S. Inquisitionem, tum per Edicta & exactiones severior visus est, populus Romanus post ejus mortem, æstro velut percitus, conglomeratis agminibus, carceres S. Inquisitionis perfregit, reosque extraxit, vulnerato Commissario, e S. Dominici Familia, hujusque cœnobio S. Mariæ supra Minervam flammas subditurus erat, nisi aliorum auctoritas obstitisset. Sed nihil immanius furore, in statuam Pauli IV, quæ in Capitolio fuerat erecta, ab efferata plebe exerto, dum nasum ei & brachia absciderunt.

Furor in illum post mortem.

Articulus VII.

Pius IV, anno 1560.

Patrata sunt ea, quæ diximus, a populo, cum sedes in quintum mensem vacaret, donec tandem 26 Dec. 1559 electus est Joannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, *Pius IV* appellatus, sacra Thiara redimitus 6. Jan. 1560, qui a clementia auspicatus sacrum Principatum, populo condonavit, quæ in Paulum IV & S. Officium tumultuose consciverat, ea tamen lege, ut damna illata resarciret.

At

Ac documentum daturus, quod Romanorum Pontificum propinqui abuti non debeant potestate sibi in populos concredita, in Carafas, Pauli IV Nepotes, tanquam reos læsæ Majestatis ac perduellionis pœna mortis animadvertit. Carolus Cardinalis in carcere strangulatus: Joannes ejus frater, cum aliis propinquis capite plexus. Mitius actum in Alphonsum Carafam Cardinalem, Pauli IV ex fratre Pronepotem, qui grandi pecunia vitam redemit. Pius V postea causam hanc retractavit, instituto prius accurato examine, atque Carafarum Familiæ famam, honorem, titulos, ac bona restituit. Cæterum Pius IV multis sapientissimis Constitutionibus præclare instruxit, rexitque Ecclesiam. Sævitum in Carafas Pauli propinquos.

CAPUT XXIII.

Aliæ Constitut. Sæc. XVI.

Ex Tomi IV. Parte II.

Articulus I.

Constit. Pii IV, anno 1560.

Constit. 4. Paulus IV severam Constitutionem ediderat contra Religiosos extra claustra vagantes. Hanc mitigat Pius IV & ad terminos Juris communis reducit. [119.

5. Cum sede vacante complura ornamenta ex Camera Apost. sint ablata, hæc restitui jubet.

9. Testamenta aliasque ultimas voluntates, absque licentia sedis Apost. factas irritat, tametsi ad causas pias fiant; eo quod spolia seu bona personarum Ecclesiasticarum ad Cameram Apost. pertineant; hinc illa per collectores spoliorum exigi jubet.

11. Confirmat plurimas gratias, privilegia, exemptiones Ordinis Melitensis, Magno Magistro, Prioribus, aliisque personis concessa, cum eorum extensione & nova concessione.

16. Erigit Ducatum *Brachianum* pro Illustri Familia Ursinorum, cum potestate gladii, privilegiis, prærogativis, insignibus, ad nobilem Ducatum pertinentibus.

22. Declarat, Jus præsentandi vel nominandi ad Beneficia a se concessum, non extendi ad fœminas.

28. Indicit Concilium Tridentinum in proximum pascha, omnesque, qui possunt & debent, comparere jubet.

Resumptum Concil. Trid. 29. Ordinem in Concilio sedendi assignat, videlicet, ut Patriarchæ primo, secundo Archiepiscopi, tertio loco Episcopi sedeant, secundum prioritatem suæ promotionis, nulla habita ratione ad eorum dignitates Primitiales, sive veras sive prætensas. Hunc autem Ordinem nulli fore præjudicio declararunt Legati Apostolici.

Anno 1561.

32. Confirmat Constitutiones, a prioribus Pontificibus editas contra homicidas, bannitos, fures, complices, fautores, & dominos, sua territoria non custodientes, & purgantes a talibus.

33. Præsulibus, quamdiu intersunt Concilio Tridentino, concedit, ut etiam mensibus Papalibus conferre possint Beneficia, alternativæ subjecta, nec ad ulla subsidia præstanda teneantur.

34. Deputat 5 Cardinales Tridentum, qui nomine Papæ Concilio præsideant, *Puteanum*, *Mantuanum*, *Seripandum*, *Hosium*, *Simonetam*.

De sollicitantibus. 37. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis dat mandatum, ut contra Sacerdotes, qui in confessione mulieres ad inhonesta sollicitant, procedant, tanquam de fide suspectos.

45. Si tempore Concilii Papam mori contingeret, electionem non ad Concilium sed ad Cardinales, Romæ suscipiendam, pertinere declarat, atque decernit, neq. e Concilium in hoc dispensare posse.

47. Debitores, petentes a Judicibus alternativas, aut alias dilationes ex *cap. Pervenit* & *cap. Odoardus*, etiam coram Judicibus gestare debent birretum viride.

48. Avenione hæresis irrepserat, sed propter metum nemo audebat accusare, denuntiare & testem agere. Decernit itaque Pontifex, quod Inquisitor non teneatur publicare denuntiantes, aut testes, vel eorum depositiones; neque possit syndicari seu judicari ratione sui processus, nisi a solo Pontifice, aut summis Inquisitoribus Romanis, quibus solis debet rationem reddere.

49. Emolumenta, ad Capitula Ecclesiarum Romæ, & mensam communem spectantia, convertantur in distributiones quotidianas, pro interessentibus rei Divinæ.

52. Postquam Pius IV reformavit curias & tribunalia urbis, ad Rotæ etiam in palatio suo ordinationem curam convertit, quam 12 ex diversis nationibus viri doctissimi, qui *Auditores Rotæ* appellantur, De Auditorib. Rotæ. constituunt. Abbreviatio litium eis commendatur; & hinc in causa sufficit, semel fuisse commissam: non facile proroganda fatalia dilationum. Auditor sententiam non ferat, nisi in Rota, auditis collegarum

rum votis. Decisiones & acta totius causæ intra 15 dies a lata sententia, ut moris est, publicentur, & partibus petentibus, cum jurium & rationum decidendi allegatione, copia detur.

Causæ Auditorum, propinquorum, & familiarium non tractentur in Rota. Decanus aliique attendant, ne aliquid decidatur contra Jus aut Decisiones Rotæ impressas. A liquidatione fructuum & expensarum semel tantum appellare liceat, ita, ut duæ conformes sententiæ rem judicatam faciant. Causis criminalibus Rota se non misceat, sed eas ad Judicem Ordinarium remittat. Sportulas exigere non possunt Auditores, si ultro offerantur a partibus, ponitur eis modus, quantum possint acceptare.

53. Legitimationes naturalium & spuriorum, a Pontificibus factas, aut a Comitibus Palatinis, in quantum præjudicant hæredibus ab intestato, aut Fidei Commissariis, irritantur, si effectum necdum sunt consecutæ; prohibetque deinceps ita legitimare in fraudem vocatorum ab intestato, ex testamento, fideicommisso, legato. Legitimationes.

Anno 1562.

56. Malefactores & debitores, ut a Justitiæ Ministris se tutos præstarent, in Domos Magnatum, Cardinalium, aut Legatorum confugiebant, & *Franchitias* inclamabant, cum non exiguo justitiæ impedimento, & creditorum damno; imo etiam certas plateas velut asyla usurpabant. Pius IV, Julii III exemplo tanquam crimen læsæ Majestatis prohibet, ne facinorosis hominibus receptus præbeatur. Franchitias tollit.

57. Plura indulget Judæis contra statuta Pauli IV, uti, in itinere portare pileum nigrum, habere bona stabilia ad valorem 1500 Ducatorum, mercaturam quarumcunque rerum exercere, cum Christianis honeste conversari, pignora, post 18 menses non redempta vendere &c. Cæterum Pontifices, quando de Judæis aliquid disponunt, solent præmittere, eos tolerari, ut memoriam passionis Christi excitent, & convertantur. In Judæos facilitas.

60. Jurisdictio Inquisitionis etiam in Regulares exemptos in causa hæresis, nisi eorum superiores prævenerint, confirmatur.

62. Reformat Pœnitentiariam, ejus facultates restringit, jubetque, ut Major Pœnitentiarius abstineat a mutatione ultimarum voluntatum, ab unione, dismembratione, suppressione Beneficiorum: a concessione Juris Patronatus extra causam fundationis aut dotationis; a declaranda nullitate Professionis Religiosæ, ex obtentu vis aut metus: absolutione apostatarum, nisi statim ad suum vel alium Ordinem non minus arctum transeant: permissione permutandi vel alienandi bona Ecclesiæ: absolutione ab homicidio aliisque criminibus, quibus Restringit potestatem Majoris Pœnitentiarii.

de jure civili statuta est pœna capitalis, præterquam in solo foro conscientiæ: absolvendo a Simonia reali vel conventionali in ordine ad retinendum Beneficium vel fructus perceptos: a promotione ad sacros Ordines: absolutione a juramento, nisi ad effectum agendi, aut a crimine violatæ libertatis Ecclef. etiam in foro conscientiæ, nisi cum clausula satisfactionis: a dispensatione in ætate. Sede Apost. vacante vacat quoque Officium Pœnitentiarii quoad forum fori, non autem quoad forum conscientiæ.

64. Eodem ferme modo reformat Cancellariam, Correctoris potestatem restringendo.

Cancellariam & Cameram reformat.

65. Et Cameram Apost. præfatus, sicut Concilium Tridentinum orbem Christianum reformat, sic se curiam suam & tribunalia reformaturum. Ad Camerarii autem ejusque Officialium tribunal tantum pertinent causæ Fisci, & cum eo connexionem habentes. Interdicuntur igitur causæ aliæ, alienationes, absolutiones a delictis, dilationes moratoriæ, Repressalia, litteræ pro adipiscenda possessione Beneficii, prorogatio temporis ad solvendas annatas, aliaque jura Cameræ, mutatio vectigalium, remissio spoliorum Clericalium, decimarum, aliorumque Regalium, indulta circa spiritualia, commissiones & expeditiones, quæ non expresse sunt concessæ. Privatim nihil expediatur, sed omnia in plena Camera.

Aliaque tribunalia Rom. Curiæ.

68. Reformat alia tribunalia Romanæ Curiæ, Procuratores, Advocatos &c.

Modum eligendi Papam præscribit.

73. Tractat de electione summi Pontificis. Per 10 dies exspectandi Cardinales absentes. Ex his 10 diebus novem impendantur exequiis: in quas ultra decem Ducatorum millia non expendantur. Post 10 dies, non exspectatis absentibus, ingrediantur conclave, & negotium inchoent. Quotidie fiat scrutinium, cum facultate accedendi. Ingredi conclave omnes præsentes tenentur, nec inde egredi licet, nisi ex manifesta causa infirmitatis.

Sede vacante Cardinales in iis, quæ ad Pontificem spectant, nullam habent Jurisdictionem aut potestatem, neque gratiam neque justitiam faciendi, aut factam a Pontifice executioni mandandi: sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneantur. Neque de statu temporali Romanæ Ecclesiæ, neque de pecuniis Cameræ, vel Datarii &c. quidquam disponere, nec æs alienum contrahere ultra necessarios sumptus, ad exequias, ad ditionis defensionem, sustentationem pauperum officialium. Neque Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Castellanus Arcis S. Angeli, aut alii Officiales contra hanc Constitutionem Collegio obedire teneantur, quin imo si obtemperarint,

persrint, aut ipsi Officiales aliquid tale attentare præsumpserint, de suo Cameræ Apost. refundere a futuro Pontifice cogantur.

Cellæ conclavis sorte dividantur, nec liceat eas mutare, sed quivis, etiam Decanus, sua sorte sit contentus, uti etiam duobus famulis, nullam jurisdictionem habentibus, nec fratribus aut nepotibus. Sit præterea in conclavi unus sacrista, & duo Magistri ceremoniarum pro re Divina: unus Religiosus confessarius, per vota secreta a Cardinalibus eligendus: Medici duo, Chirurgus unus, Aromatarius unus, faber lignarius, cementarius, duo barbitonsores, octo aut decem servientes publicæ omnium utilitati. Si quis alius irrepserit, ignominiose expellatur.

Clauso Conclavi nullus ad colloquium etiam extra portam admittatur, ne quidem Oratores Principum, nisi ex urgente causa, a Cardinalibus approbanda. Omne litterarum, aut scriptorum commercium sub excommunicatione prohibetur; nec nuntium ullum ultro citrove licet recipere. Singuli Cardinales uno ferculo moderato unius speciei tantum in prandio & cœna sint contenti, & illud seorsim in suo conclavi sumant. Prælati ad custodiam conclavis deputati famulos ad cibaria afferenda intrantes diligenter visitent, ne quid litterarum, schedarum, aut signorum exportent, vel importent; deprehensi a Gubernatore carceri mancipentur &c.

Cardinalis, qui non est saltem Diaconus, votum non habeat. Cardinales hortatur, jubetque, ut in dandis suffragiis, ac aliis omnibus, ad electionem spectantibus, omni dolo, fraude, factione, passione remotis, ac Principum sæcularium intercessionibus, & mundanis respectibus non attentis, sed solum Deum præ oculis habentes, pure, sincere, pacifice se gerant, nec conspirationes, condicta, pactiones ineant, nec signa aut contra signa dent, aut aliud moliantur, quo electio retardetur, aut minus libere suffragia præstentur. Vetat, ne Cardinales ex his aliquid mutent, sed omnia, sibi prælecta, se observaturos jurent.

Cæterum, ne schismati & dissensioni detur occasio, nulla censura (quæ interim manet suspensa) Cardinalem impedit a voto, activo vel passivo.

Anno 1563.

77. Damnatur & excommunicatur Odettus Cardinalis a Castillione, in hæresin Hugonotorum prolapsus. Fuit is frater Gasparis Coligny, famosi in Gallica Historia Hugonotorum capitis, Administrator Ecclesiæ Bellovacensis, creatus a Pontifice Cardinalis Diaconus, sed abjecta purpura Calvinismum publice fuit professus, factusque miles

Odettus Card. excommunicatus ob hæresin.

miles & maritus Ecclesiam est persecutus. Igitur Pius IV facta legitima verificatione, illum omni dignitate Ecclesiastica exutum anathemate feriit. Cum autem se in Gallia non amplius tutum crederet, in Angliam ad Elisabetham profugit.

81. Ecclesiam Urbinatensem erigit in Metropolitanam. Suffraganei dati Calliensis, Senogall. Pisaur. Forosempron. Feretranen. Eugubinensis.

Anno 1564.

Confirmat Concil. Trid. 87. *Confirmatio Concilii Tridentini.* Se Concilii libertati adeo favisse ait, ut etiam de rebus, Sedi Apost. proprie reservatis, liberum ei arbitrium per litteras, ad legatos suos missas, permiserit. Cum autem Concilium, more antiquo, confirmationem a se petierit, cum Decreta omnia Catholica, ac populo Christiano utilia & salutaria cognovisset, in secreto Consistorio se confirmationem cum præcepto, omnia observandi, dedisse. Prohibet simul glossas & interpretationes Concilii fieri, hasque Sedi Apost. reservat.

89. In favorem Congregationis Lateran. Canonicorum S. Aug. decidit litem de præcedentia contra Congregationem Cassinensem.

Edit Indicem cum Regulis. 91. Tridentinum multos doctissimos Prælatos ex diversis Nationibus deputaverat, ut *Indicem librorum prohibitorum* conficeret; magna solertia id præstitum; noluit tamen Concilium, ut ante ederetur, quam a summo Pontifice esset confirmatus. Igitur Pius IV hunc Indicem cum Regulis, ei præmissis, approbavit & confirmavit, Regulasque Indicis observari jussit, & sub pœna excommunicationis prohibet, nequis libros, in Indice notatos, legat.

94. Cum plures dubitarent, quo tempore Concilium Trid. obligare incipiat, Pontifex, licet jam sub finem Januarii 1564. Romæ confirmatum fuerit, quia tamen tempus requirebatur, ut emendate typis ederetur, declaravit, quoad ea, quæ Juris sunt positivi, non ante Calendas Maji ejusdem anni obligationem incipere.

Congr. Interpretum Trid. 95. Instituit Congregationem novem Cardinalium super executione Decretorum Concilii Tridentini; si autem difficultas emergeret, ad se referri petit.

96. Congregationi S. Inquisitionis dat facultatem legendi libros hæreticos aliosque prohibitos, cum potestate, etiam aliis dandi licentiam, eos habendi & legendi.

99. Beneficia, in confidentiam recepta vacare, ac Sedi Apost. reservata esse declarat.

Formula Fidei. 102. Proponit formulam Professionis fidei, ad mentem Concilii Trid. formatam, quam emitti jubet a Graduandis, Professoribus, Lecto-

Lectoribus, in Universitatibus & Gymnasiis, Rectoribus eorundem, Cancellariis, vel aliis Superioribus.

103. Eandem Professionem fidei edendam injungit omnibus, qui Cathedralibus Ecclesiis præficiuntur, &, quibus de earum dignitatibus, Canonicatibus, aut Beneficiis quibuscunque curatis provideri contingit, aut quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus Regularium quorumcunque ordinum quocunque nomine vel titulo providebitur. A quibus emittenda.

106. Revocat privilegium, cuicunque concessum, die veneris sancto, aut alio tempore homicidam e carcere liberandi.

109. Revocat omnia privilegia & indulta, quibuscunque concessa, quæ Concilio Tridentino adversantur, omniaque ad terminos Concilii reducit. Revocat privilegia, Trid. contraria.

Anno 1565.

111. Nuntiis Apost. aliisque ad Principes missis, in virtute S. obedientiæ & sub pœna excommunicationis prohibet, ne a Regibus aut Principibus litteras commendatitias ad dignitates apud Sedem Apost. obtinendas, ullo modo pro se vel suis propinquis procurent; nec ultro oblatas acceptent, aut iis utantur: additque, si litteræ ab oratoribus Principum offerantur, vel commendatio voce proferatur, præsumptionem contra Nuncios fore.

115. Abbatibus Congregationis Cassinensis Ord. S. Benedicti dat potestatem utendi mitra & pedo, ac benedicendi populo, & consecrandi lapides pro usu altarium.

121. Approbat Reformationem Conventualium S. Francisci, in Capitulo generali susceptam, cum declaratione Constitutionum, & Regulæ S. Francisci, quam circa paupertatem benignius interpretantur, quam Observantes, seu Reformati vel Recollecti, & Capucini, qui eam secundum litteram accipiunt.

Obitus Pii IV.

Mortem oppetiit 10 Dec. 1565, Pontificatus 6, ætatis 57, creatis Cardinalibus 46, a Concilio Tridentino reassumpto, & feliciter absoluto, confirmatoque, prout etiam ab formata Professione fidei ac Indice librorum publicato, immortale apud posteros nomen sibi peperit, magnus ingenio, prudentia, zelo fidei ac disciplinæ, sed major in Carolo Borromæo nepote ex sorore, quem Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem creavit, prout etiam alterius sororis filium Marcum Sitticum ab Altemps Purpura donavit.

Articulus II.

Pius V.

226. Sedi, 27 dies vacanti, possessor datus est Michael *Ghislerius* Card. Ord. S. Dominici, natus Boschi agri Alexandrini oppido, sed oriundus Bononia, electus 16 Cal. Febr. 1566, dictus *Pius V*, qui in septimum annum sanctissime gubernavit Petri Naviculam, ut ejus Constitutiones demonstrant.

Anno 1566.

1. *Constit.* Cardinalibus Congreg. S. Inquisitionis omnes officiales pareant.

2. Ad Beneficia curata urbis nullus promoveatur, nisi a Vicario Generali sit examinatus & approbatus.

6. Innovat præceptum Innocentii III, ut Medici corporis infirmos ante omnia moneant, ut advocent Medicos animæ, iisque confiteantur; quod, si per triduum non fiat, vetat Pius V, ne Medici eos amplius visitent.

8. Revocat privilegium, quibuscunque concessum, Missas dicendi vespertino tempore.

10. Renovat Decreta Pauli IV de Judæis, quibus Pius IV in favorem Judæorum derogaverat.

15. Confirmat Statuta Synodorum Mediolanensium, a S. Carolo Borromæo celebratarum, eaque ad omnia Monasteria extendit.

19. Ordines Mendicantes eximit a gabellis pro eorum personis, bonis, locis, colonis, mercibus, animalibus; & ab hospitatione militum.

21. Græci non possunt Latino ritu, nec Latini Græco celebrare Missas & Divina Officia, ademptis omnibus facultatibus, in hac re concessis.

39. Causas confidentiarum, motas, & pendentes, ad se & successores Pontifices avocat.

Anno 1567.

41. Pauperes ac personæ aliæ miserabiles in causis discussionum pro suis creditis usque ad 50 Scuta aliis creditoribus sunt præferendi.

42. Vetantur Judæi, bona stabilia possidere; &, nisi ea vendantur, censentur applicata Domui Catechumenorum.

54. Festum S. Thomæ de Aquino in Regno Neapolitano celebretur sub præcepto, in aliis locis sub Ritu duplici, quemadmodum festa sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum.

55. Mo-

55. Moderatur nimias Cardinalium collationes beneficiorum.

58. Refert, plerosque Ordinarios, Tridentini Decretis in pravum sensum detortis, varias Regularibus Mendicantibus afferre molestias, eorumque privilegiis gravamen. Hinc declarat 1 Canonem *Sess.* 24, c. 4, per quem Regularibus etiam in propriis Ecclesiis praedicationis officium negatur, contradicente Episcopo, non esse intelligendum de casu, quo a suis superioribus sunt deputati; imo vult, ut libere in Ecclesiis suis praedicent, absque ullius impedimento. Trid. explicat in favorem Regularium.

2. Cap. 15, Sess. 13 ita intelligendum, ut Regularis ab Episcopo semel approbatus ad audiendas confessiones, semper habendus sit pro approbato in eadem Dioecesi, nec amplius examinari & praesentari debeat.

3. Confessarii Monialium, quae sub cura Regularium degunt, ab ordinario non sunt examinandi, sicut nec ii, qui confratrum suorum Confessiones audiunt; neque Graduati.

4. Quidam etiam, ut inquit Pontifex, nititur asserere seu facere, ne quisquam audeat infra annum S. Eucharistiam in Ecclesiis Regularium recipere, cum tamen solum in paschate, quoad saeculares duntaxat, secundum privilegia concessa, id observari debeat.

5. Concilium Trid. tantum dare facultatem in Monasteria Monialium Episcopis & eorum Vicariis, si ipsis pleno jure subjecta sunt.

7. Limitat quoque praxin circa examen puellarum ante Professionem.

8. Mendicantibus prohiberi non posse ait, ne Missas etiam in alienis Ecclesiis celebrent, illasque fideles audire possint quocunque anni tempore, ita, ut Dominicis etiam festisque diebus praecepto Ecclesiae audiendi sacrum satisfaciant.

9. Controversias de praecedentia Regularium vigentes ab ordinario posse dirimi, non autem postea immutari.

10. Quosdam Episcopos velle, Regulares a cura animarum excludi, illamque solis Presbyteris saecularibus relinqui. Pius V autem vult, Regulares etiam admitti posse.

Multa alia gravamina, Regularibus illata recenset, uti de funeralibus, decimis, eleemosynis petendis, de delinquentibus intra claustra, ingressu in Monasteria Monialium, recursu ad Episcopos, co-natu exemptos subjiciendi, legatis piis, testamentis in praesentia Parochi faciendis &c. Haec aliaque gravamina secundum modificationem appositam, & factam a se interpretationem Concilii Tridentini, vult esse sublata, simulque omnia privilegia, immunitates, indulta, ab Eugenio IV, Sixto IV, Leone X, Paulo III, Paulo IV, Pio IV, Privilegia confirmat.

aliisque Pontificibus Regularibus Mendicantibus quomodolibet concessa, aut confirmata, in quantum Tridentino, a se explicato, non sunt expresse contraria, innovat atque confirmat, cum extensione ad alios etiam Ordines non Mendicantes. Addit specialia privilegia, Ordini S. Dominici concessa, protegitque eundem contra gravamina, quæ recenset.

CAPUT XXIV.

Aliæ Constitutiones Seculi XVI.

Excerptæ ex Bullarii

Tom. IV. Part. III.

Articulus I.

Pius V. anno 1568.

121. 77. Omnia Beneficia vacantia, sede Episcopali vacante, suæ dispositioni reservat.

79. Fructus Beneficiorum litigiosorum lite pendente, deponendi & asservandi apud personam idoneam a Judice determinandam, non obstante quocunque statuto & consuetudine capitulorum.

80. Episcopi eorum tantum resignationes recipiant, qui non possunt Ecclesiæ vel Beneficio inservire; nec conferantur consanguineis & affinibus resignantis.

82. Revocat omnes facultates creandi Doctores, aut Licentiatos, Comitibus Palatinis aut Officialibus Romanæ curiæ concessas.

Imped. ex sponsalib. de præsenti. 85. Declarat, impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus de præsenti ortum, contrahi, sicut ante Trid. quod tantum loquitur de sponsalibus de futuro, quando impedimentum ad primum gradum restringit.

87. Breviarium Romanum omnibus præcipit, a se editum, cum prohibitione aliorum, nisi vel a primæva institutione Ordinis a Sede Apost. sint approbata, vel 200 annorum usu firmata.

88. Parochis graviter præcipit residentiam, non obstante quocunque Indulto, etiam Apostolico.

94. Declarat Fratribus Prædicatoribus ante omnes Fratres Ordinum Mendicantium competere præcedentiam.

95. Cleri-

95. Clericos, Seculares & Regulares, Sodomitas degradari, & curiæ sæculari tradi præcipit, secundum sanctiones legitimas pœna capitali plectendos.

96. Amotis 12 Pœnitentiariis ad S. Mariam Majorem, sex Ordinis S. Dominici substituit, per Provincialem Provinciæ Romanæ deputandos.

106. Census constituendi super re immobili, de se frugifera. Solutio census non anticipanda. Obligatio ad præstandos casus fortuitos non valet: nec pactum, rem, censui suppositam, non alienandi: neque pactum, morosum census debitorem teneri ad interesse. Census augeri non potest. Re pereunte etiam census perit. Reddito pretio redimi census potest. Census.

110. Judæos omnes, quorum perfidiam, fraudes, & flagitia recenset, tota ditione Pontificia expelli jubet, Roma & Ancona duntaxat exceptis. Judæos pellit.

114. Sacram Pœnitentiariam & Officiales reformat.

115. Major Pœnitentiarius omnes absolvere potest in foro interno a quibuscunque peccatis, publicis & occultis, etiam Bullæ Cœnæ reservatis, ab omnibus censuris, ac dispensare super quacunque irregularitate, inhabilitate, defectu, infamia, præterquam ex crimine hæresis, homicidio voluntario, Simonia formali, & criminibus publicis, super quibus prius Papa est consulendus. Potestas Majoris Pœnitentiarii.

Potest etiam habilitare ad dignitates & Beneficia pro eodem foro interno: item dispensare in contractis matrimoniis, si impedimenta occulta sint, exceptis primo gradu consanguinitatis & affinitatis, & secundo in linea inæquali. Vota simplicia commutare, exceptis votis castitatis, Religionis, visitationis S. Sepulchri, & liminum Apostolorum: De bonis alienis incertis partem delinquenti pauperi relinquere, residuum vero aliis pauperibus aut piis causis applicare: non autem in casibus publicis absolvere Principes, Respublicas, Episcopos, sine expresso Papæ consensu.

Anno 1569.

117. Bulla *Intolerabilis* tractat de Simonia confidentiali, aitque, si quis Beneficium Ecclesiasticum ex resignatione aut cessione cujuscunque personæ, cum pacto regressus vel accessus etiam solius dimittentis intentione receperit, vel ut alteri postea conferatur, vel ut illius fructus vel pars eorum alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, *confidentiam* censeri. Item si collator vel patronus Beneficium ea conditione, tacita vel expressa, conferat, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, vel alterius cujuscunque, contra juris com- Simonia confidentialis.

 munis

munis dispositiónem transferatur. Adduntur præsumptiones, ex quibus colligitur, hanc confidentiam fuisse commissam.

Titulum *Magni* Hetruriæ Ducis confert.

121. Cosmum *Magnum* Hetruriæ Ducem creat, nominarique præcipit, cum insigni elogio eximiæ benevolentiæ erga Sedem Apost.

129. Lateranensis Ecclesiæ super omnes urbis & orbis Ecclesias præeminentiam sancit.

135. Ordinem S. Dominici insignibus privilegiis ornat, & antiqua confirmat.

Anno 1570.

Elisab. excommunicat.

138. Elisabetham Angliæ Reginam propter hæresin rursus introductam, & quod caput Ecclesiæ Anglicanæ haberi velit, excommunicat &c. &c.

139. Providet Ordini Cisterciensi, vexato a Commendatariis, qui nequidem necessarium victum & vestitum Religiosis præbuerant; unde variæ inordinationes ortæ fuerant.

140. Quidam ex Ordine Servorum B. V. sub prætextu strictioris observantiæ a reliquis se separantes, peculiarem Congregationem sub Vicario aliquo Generali instituerant, sed, cum effectus intentioni non responderet, Papa, suppressa ea Congregatione, eos ad Ordinis Institutum & unum corpus sub uno Generali reduxit. Et Constit. 141 novas ordinationes iis proposuit.

143. Revocat & abolet consuetudines aliquid recipiendi pro Beneficiali provisione.

145. Eximit Ordinem S. Dominici a solvendis Decimis aliisque subsidiis.

146. Declarat, privilegia & exemptiones Ordinum Mendicantium, aliis etiam Ordinibus non mendicantibus communicata, non suffragari istis in iis, quæ temporalitatem respiciunt.

147. Sicut nuper Breviarium, sic nunc Missale Romanum, a se emendatum, editumque omnibus præcipit, nisi ab ipsa institutione Ordinis a Sede Apostolica approbatum habeant, aut consuetudo 200 annorum suffragetur.

148. Thomam Manrique, Magistrum S. Palatii, creat Canonicum Theologalem Basilicæ S. Petri, ut doctrinam S. Thomæ, ab Ecclesia receptam, & aliis magis tutam, exponat.

De Concept. B. V.

149. Innovat Constitutionem Sixti IV super Conceptione B. V. præcipitque in hac re modestiam.

155. Tonsores, non tantum monetæ aureæ, sed etiam argenteæ, ultimo supplicio puniendos esse decernit; uti etiam fraudulentos decoctores, nulla admissa cessione bonorum. *Constit.* 156.

158. Per-

158. Permittit Doctoribus in Academiis de Conceptione B. V. in utramque partem disputare, sine scandalo, non tamen in concionibus vel libris vernaculis.

160. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis conceditur præcedentia ante omnes alios Regulares post Clerum sæcularem.

Anno 1571.

161. Revocantur facultates testandi ex bonis Ecclesiasticis & aliis in favorem illegitimorum, tametsi sint legitimati, aut habilitati ad successionem in bonis feudalibus, & emphyteuticis.

163. Ordinem Fratrum *Humiliatorum* extinguit, propter neglectam prorsus disciplinam, incorrigibilitatem, ac enormia scelera; quippe præter alia flagitia Hieronymus Lignana Præpositus Vercellensis aliique fratres in necem S. Caroli Borromæi Cardinalis & Episcopi Mediolanensis, qui in eorum reformationem incumbebat, conspirantes, Donatum *Farinam* apostatam, pecunia corruptum, induxerunt, ut eundem occideret; is nactus opportunitatem, cum Cardinalis vesperi cum familia in Sacello de more precaretur, sclopum glandibus fartum, in eundem exoneravit, sed globulis non nisi vestem perstringentibus, Divina ope vir sanctus illæsus est servatus. Latro & complices comprehensi capitis pœna scelus luerunt. Pontifex, extincto Ordine, Professos regularem vitam sub jurisdictione Episcopi agere jussit, aut ad alios Ordines transire: Bona vero eorum suæ & Apost. Sedis dispositioni reservavit.

Ord. Humiliatorum extinguit.

Scelus in S. Carolum.

164. Præposituras & bona dicti Ordinis extincti distribuit ad pias causas: alia Carolo Cardinali distribuenda relinquit, alia Professis ejusdem Ordinis, in assignatis sibi locis, pro sustentatione attribuit, alia ulteriori suæ dispositioni reservat.

167. Post correctum Breviarium ac Missale Romanum, Officium etiam B. V. emendatum edidit, & adhiberi præcepit, sublatis aliis, nisi usus 200 annos excedat.

177. Declarat, Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu vere esse de Ordinibus Mendicantibus, omnibusque eorum privilegiis, concessis & concedendis perfrui, non obstante, quod habeat collegia, bonorum immobilium capacia.

Declaratio pro S. J.

179. Beneficia per hæresin vacantia collationi Sedis Apost. reservat, non obstante jure Ordinariorum quorumcunque.

180. Episcopis Indiarum dat facultatem, loco balsami, quod in Indiis non habetur, utendi in confectione chrismatis succo, balsamo persimili.

182. Bona

182. Bona Monasteriorum Ord. Prædicatorum, Monialibus destitutorum, pertinent ad Fratres ejusdem Ord. quorum curæ commissæ fuerant.

183. Revocat omnes Ingressus, Regressus, Accessus, Coadjutorias, quæ hæreditariæ successionis speciem habent, & a jure communi provisionum Beneficialium recedunt.

De non recitantibus.

186. Leo X in Concilio Lateranensi V statuit, quod obtinens Beneficium, post 6 menses ab eo obtento non recitans Divinum Officium, fructus non faciat suos, sed eos pro rata restituere debeat fabricæ Beneficii vel pauperibus: Pius V vero hanc ratam determinat, & dispositionem Leoninam etiam ad præstimonia & pensiones extendit, imo etiam ad eos, qui in choro sunt præsentes, sed nihil orant. Primis vero sex mensibus non recitantes ait graviter peccare.

191. Vetat, Officia Judicialia comparari pecunia.

De Turcis captis.

193. Postquam Papa ac Fœderati Philippus II ac Veneti, ingentem ad *Echinadas* a Turcis victoriam, Duce Joanne Austriaco reportarunt, vetuit Papa, ne Turcæ capti durante bello vendantur aut restituantur.

196. Prohibet deferri pugiones, mucrones, cultros, & alia id genus leviora arma, ad dolose lædendum apta.

Anno 1572.

De famosis libellis.

198. Prohibet graviter libellos famosos, quorum auctoribus Jure Civili (*l.* 1. *Cod. de famos. lib.*) statuta est pœna capitis, de Jure Canonico vero flagellatio & excommunicatio, *caus.* 5, *quæst.* 1. has pœnas Pius innovat, extenditque ad transmittentes, spargentes, retinentes.

199. Eximit Monasteria & omnia loca pia ab hospitatione militum.

200. Ne Christiani, e Turcica servitute, liberi, a Christianis vendantur, aut novæ addicantur servituti, sed liberos eos cum bonis suis dimitti jubet.

Obitus Pii V.

Elogium.

A militante, quam sanctissime gubernavit, Christi Ecclesia ad triumphantem transiit 1 Maji 1572. postquam in annum septimum Pontificatum gessit, singulari vitæ sanctimonia & miraculis clarum Clemens X, anno 1672 Beatis, Clemens XI vero 1712 Sanctis adscripsit.

Illustrissimum S. Dominici Ordinem Juvenis ingressus, omnibus Regularis vitæ ornamentis enituit. Nepesinæ & Sutrinæ Ecclesiæ datus Episcopus, atque a Paulo IV Purpuratorum Patrum Collegio adscriptus,

scriptus, S. Inquisitionis Præses est renuntiatus, donec anno 1566 Pius IV eum successorem est nactus, cujus eximias laudes tota enuntiat Ecclesia.

Articulus II.

Gregorius XIII.

Concordi 50 Cardinalium voto, postquam Sancta Sedes non nisi 11 diebus vacaverat, in Ecclesiæ caput electus est Hugo *Boncampagnus*, Bononiensis, Tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, dictus *Gregorius XIII*, qui multis præclaris Constitutionibus, exporrecta in omnes orbis partes, Pastorali sollicitudine, Ecclesiam sanctissime ac sapientissime 13 annis gubernavit.

Excerpta ex Constitutionibus Gregorii XIII.

Anno 1572.

1. Philippus II Rex Catholicus petiit pro Indiis, ut, si duæ conformes habeantur sententiæ in causis Ecclesiasticis, ulterius non appelletur. Statuit itaque Papa, ut a sententia ordinarii fiat appellatio ad Metropolitanum, qui, si utriusque sententia fuerit concors, absque ulteriori appellatione illam exequatur; si vero discors fuerit, ad alium Metropolitanum vel ordinarium viciniorem provocari potest, cujus sententia vim rei judicatæ obtineat, absque rescripto Sedis Apost.

3. Pius V Societati Jesu potestatem dedit eligendi conservatores, cum ampla jurisdictione in quoscunque, eandem aut ejus bona vel jura turbantes; sed quia Pii morte superveniente litteræ hac super re non fuerant confectæ, Greg. XIII per Bullam *Æquum reputantes*, amplam conservatores ac judices in omnibus causis eligendi dat facultatem.

9. Latrones & viarum grassatores, licet sint Clerici, ex Ecclesia extrahi, & Judici Ecclesiastico tradi possunt. Imo & Clerici Minoristæ, habitu seculari tecti, & in flagranti deprehensi, in eodem habitu duci possunt ad ultimum supplicium, in Catalonia.

Anno 1573.

15. Pius V multa Regularibus, præsertim Ord. S. Dominici, concesserat: Greg. ea reducit ad terminos juris communis, & dispositionem Concilii Trid. derogans omnibus derogatoriis.

16. Pius V statuerat, ut Dominica infra octavam Corporis Christi soli Ordini S. Dominici processionem educere liceat. Gregorius vero omnibus Regularibus id licitum esse voluit, non tantum illa Dominica, sed quavis die infra octavam.

17. Festivitatem SS. Rosarii, prima Dominica oct. celebrandam in gratiarum actionem pro Victoria de Turcis relata, haud procul sinu Corinthiaco, Pontificias triremes ducente Marco Antonio Columna, toti foederatae classi vero praefecto Joanne Austriaco.

Colleg. Germ. 21. Collegium Germanicum, a Julio III coeptum, instituit, ac Societati Jesu gubernandum tradit. Decem millia aureorum in singulos annos eidem in dotem attribuit, partim ex Camera Apost. solvenda, partim ex unione Monasterii SS. Sabae & Andreae Ord. Cist. quinque Cardinales ejusdem Protectores constituit, privilegiis studii generalis ornat: voluitque, ut non minus centum adolescentes, ex tota Germania, & adjacentibus septentrionalibus regionibus suscepti in eodem instituantur.

Anno 1574.

30. Protectoribus Collegii Germanici amplam dat jurisdictionem & potestatem omnes causas, illud concernentes, cognoscendi, & appellatione remota judicandi.

39. Bonif. VIII excommunicavit omnes, qui aliquid dant, recipiunt vel promittunt pro obtinenda gratia vel justitia apud Sedem Apost. Hanc salubrem Constitutionem Greg. confirmat, omnesque tales omnibus gratiis, Beneficiis, Officiis, cum perpetua infamia & inhabilitate, ipso jure privatos esse declarat; nam, ut inquit, a Pontificatus sui principio in id curas suas intendit, ut propria sua Domus & curia sordibus expurgetur.

Anno 1575.

44. Vetat, ne mulieres, cujuscunque conditionis sint, aut alii, Monasteria Monialium ingrediantur, sub poena excommunicationis, ipso facto incurrenda, revocatque omnes licentias & indulta, extra casum urgentis necessitatis, quo Praelatis earum, comitantibus paucis Religiosis, licet ingredi.

48. Pius V sub excommunicatione prohibuit, spectacula agitationis taurorum permitti, aut iis interesse. Rex Hisp. utilitatem obtendens, quae ex ea agitatione regnis suis proveniret, petiit a Pontifice, ut ejusmodi prohibitio & censurae tollerentur. Igitur Greg. quoad laicos & milites petitis annuit, modo ea agitatio diebus festis non fiat.

49. Pius V Equestribus Ordinibus, Hospitalium, S. Jacobi, Calatravae, & Alcantarae licentiam testandi ademerat. Greg. illam restituit,

stituit ad preces Philippi Regis, Administratoris dictarum militiarum.

51. Professionem fidei Græcis præscribit, ex Concilii Florentini, & Tridentini forma collectam.

Anno 1576.

55. Quamvis Religiosi Societatis Jesu jam a prima sua erectione fuerint exempti a Processionibus publicis; Ordinarii tamen aliqui, ut interessent, cogere volebant; quapropter Pontifex eos hac Bulla eximit liberatque. S. J. exempta a processionibus.

58. Eidem Societati concedit, ut ubique Domos & Collegia possit construere, etiam prope aliorum Monasteria, derogatque privilegio illorum, intra 140 cannas non ædificandi.

60. Declarat, verba illa Concordatorum Germaniæ, *si non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit*, ordinarium collatorem etiam mensibus Papalibus posse de illo disponere, sic esse accipienda, ut sensus sit: quod *dispositio Beneficii intra tres menses a die notæ vacationis a Sede Apost. fieri, deque gratia facta* alicubi *apparere debeat*: quod nempe Romæ apparere debeat, licet necdum appareat in loco Beneficii. Textus Concordat. Germ.

61. Vineam extra portam Flaminiam Collegio Germanico donat pro recreandis scholaribus.

63. Miseratus deplorandum ignorantiæ statum, in quem Græci, tam florentes olim litteris & imperio, delapsi sunt, pro Natione *Græca Collegium* Romæ fundat, dotatque, designatis ex Camera Apostolica, donec aliter provideatur, in menses singulos centum scutis auri: attributis etiam Ecclesiæ cujusdam Cretensis, prope desertæ, proventibus in annos 15. Colleg. Græcorum.

Anno 1577.

73. Jusserat Greg. singulis sabbatis ad Judæos, in oratorio congregatos, sermonem haberi de Christo Redemptore. Aliqui ex illis, præsertim juvenes, fuerunt conversi, prout etiam Mahometani. Horum saluti ut melius prospiceretur, *Collegium Neophitorum* adolescentum erexit, illisque, donec aliter prospiceretur, ex Camera Apost. aut Dataria in singulos menses centum aureos assignavit. Et Neophit.

75. Quamvis autem per fundationem tot Seminariorum sive Collegiorum, pro salute animarum erectorum, Cameram onerasse videatur, ex altera tamen parte prospexit, ut aliunde subsidia eidem affluant, uti ex sale patrio; nam prohibuit illum ex aliis regionibus, Pontifici non subjectis, advehi.

76. Uti etiam exportare frumentum, animalia &c. ex statu Ecclesiastico.

Anno 1578.

S. J. exempta a Decimis. 78. Jam Paulus III & Pius IV Societatem Jesu exemerant a solvendis cuicunque & quibuscunque Decimis. Horum Constitutiones hac Bulla *Pastoralis* Greg. confirmat, ac specialiter derogat Capitulo *Nuper*, ab Innoc. III in Concilio Lateranensi edito.

79. Pius IV erexerat Domum piam pro mulieribus peccatricibus pœnitentibus; hanc confirmat Greg. & eidem constituendo Protectores melius providet.

80. Ordini Servorum B. V. confirmantur omnia privilegia, facultates, immunitates, Indulgentiæ, a prioribus Pontificibus concessa.

Colleg Anglicanum. 81. Fundat *Collegium Anglicanum*; & pro dote assignat in singulos menses tria millia scutorum auri, ex Camera Apost. seu rationibus Datariatus, donec aliter prospectum fuerit. Assignat habitationem, ut Juvenes Anglicani in ea litteris & morum probitate imbuantur.

83. Confirmat privilegia Ordinis Teutonici.

85. Revocat quosdam Ordinis Minorum de Observantia ex Indiis ad propria claustra, in quibus professionem emiserant.

Et Hungaricum, 91. Erigit Collegium *Hungaricum* in Monte Cœlio, attribuitque pro dote Monasterium Ordinis Pauli I Eremitæ desolatum, cum ejusdem proventibus.

93. Supprimit quædam Monasteria & Abbatias Congregationis Camaldulensis, eaque aliis Monasteriis & Ecclesiis unit.

Anno 1579.

Et Helveticum Mediolani. 98. Erigit Mediolani Collegium Helveticum, partim ex Camera Apost. partim ex bonis extincti Ordinis Humiliatorum, partim etiam ex contributione S. Caroli Borromæi, hoc opus urgentis, fundatum, pro 50 minimum Juvenibus, Helvetis & Rhœtis alendis, atque virtute doctrinaque imbuendis, ut in patriam reduces insignes animarum Pastores agant, & Religionem adversus hæreticorum insultus strenue propugnent.

Altare Portatile. 106. Usum altaris Portatilis, a Paulo III Missionariis Societatis concessum, & a Tridentino universim abrogatum, eisdem restituit.

108. Sub excommunicatione prohibet, ne quis S. J. Professus, Scholasticus, aut Coadjutor, ad alium Ordinem, etiam Carthusiensium, transeat absque licentia summi Ponticis aut P. Generalis, in scriptis obtenta.

109. Me-

109. Monachi S. Basilii ad unam Congregationem sub uno Abbate Generali rediguntur.

111. Vulgat Constitutionem Pii V, qua 79 Propositiones Michaelis Baji damnaverat. Bajus in primis Propositionibus cum Pelagio exhibet se inimicum Divinæ gratiæ; dum ait, nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocari gratiam: opus bonum ex natura sua esse vitæ æternæ meritorium: Adæ merita fuisse primæ creationis munera, non autem gratiæ: nomine gratiæ tantum ea munera intelligi, quæ indignis conferuntur. Quod probi vitam æternam consequantur, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ, deputandum; nec in hac retributione ad Christi merita respiciendum. Pelagii esse sententiam, opus bonum, citra gratiam adoptionis positum, non esse vitæ æternæ meritorium. Opera bona non accipere rationem meriti ex eo, quod facta sint per gratiam Spiritus S. Humanæ naturæ elevationem non esse supernaturalem, sed primæ creationi debitam. Addit, omnia peccata esse mortalia, & omnia opera Infidelium esse peccata. Proposf. Baji.

A Propositione 27, sibi ipsi contradicens, cum hactenus vires naturæ extulisset, nihilque aut parum gratiæ tribuisset, deprimit vires naturæ & liberi arbitrii, dum ait, liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valere. Omne, quod agit peccator, peccatum esse.

A Propos. 31, in charitatem Dei perfectam insurgit, aitque, eam esse posse sine remissione peccatorum. Omnem amorem creaturæ rationalis aut esse vitiosam cupiditatem, qua mundus diligitur, aut charitatem per Spiritum S. in corde diffusam. Redit ad liberum arbitrium, aitque, quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fieri. In omnibus actibus hominem dominanti cupiditati servire. Quæ principia postea Jansenistæ & Quesnellistæ adoptarunt.

Hominem formaliter justificari per observantiam mandatorum Dei, non autem per gratiam infusam, qua homo adoptetur in filium Dei. In omnibus pœnitentibus ante absolutionem & in Catechumenis ante Baptismum esse veram justificationem, separatam tamen a remissione peccatorum. Ad rationem peccati non pertinere voluntarium. Deum homini nihil impossibile præcepisse, non Augustini sed Pelagii esse sententiam. Deum non potuisse initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur. Post peccatum nihil in homine remanere, nisi reatum pœnæ; hunc solum per baptismum & absolutionem sacramentalem tolli.

Pelagianum esse, admittere usum bonum liberi arbitrii. Solam violentiam repugnare libertati. Hominem peccare in eo etiam, quod necessario facit. Omnia, quæ Job & Martyres passi sunt, propter peccata sua passos esse. Neminem, præter Christum esse absque peccato originali: propter illud B. Virginem esse mortuam. Concupiscentiam esse peccatum mortale, sed non deputari in peccatum. Immortalitatem primi hominis non fuisse beneficium gratiæ, sed conditionem naturæ.

Has aliasque Baji sententias, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, ut ait Pontifex, in rigore tamen & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, tanquam hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, impias, piarum aurium offensivas respective, damnat, & sub pœna excommunicationis reservatæ prohibet.

Anno 1580.

112. Melitenses eximuntur a Decimis & omnibus aliis oneribus. Si habeant Beneficia Ecclef. tenentur deferre habitum.

119. Confraternitati Corporis Christi in Ecclesia Eremit. S. Augustini concedit licentiam, quot annis unum reum, capitis damnatum, liberandi.

CAPUT XXV.

Aliæ Constitut. *Sæc. XVI.*

Excerptæ

Ex Tomi IV Parte IV.

Seu Constitutiones Gregorii XIII, usque ad annum II *Sixti V, seu ab anno* 1581. *ad* 1588.

Anno 1581.

123. 129. Greg. vetuit, ne Medici Hebræi aut alii Infideles adhibeantur Christianis infirmis, jubetque, ut Medici ægros ad confessionem & animæ dispositionem hortentur.

131. S. Inquisitioni dat potestatem in Hebræos animadvertendi, si contra Deum delinquant, dæmonem invocent, superstitionem Christianos doceant, vel a fide avertere conentur, libros prohibitos retineant, converti volentes impediant, hæreticos recipiant, S. Hostia

stia abusi fuerint, vel Christianorum sacra derideant, nutrices Christianas habeant, præsertim si eas die communionis lac in latrinas vel cloacas effundere cogant.

134. Hortatur Fideles præsertim Principes, ut Anglis pro fide exulibus succurrant.

Anno 1582.

136. Cum hactenus Calendarium Julianum esset in usu, illud autem a vera rectaque ratione temporum ita aberraret, ut in decem ferme dies anticipato æquinoctio verno, pascha & dependentia inde festa mobilia non amplius statuta a Concilio Nicæno & antiquis summis Pontificibus die celebrarentur, ita quidem, ut successu temporum aucto errore in Januarium protrudendum esset pascha, plures Pontifices in id curam intenderunt, ut errori iretur obviam, & stabilis in ævum computus Ecclesiasticus figeretur; sed intricatus adeo totque difficultatibus implexus hic erat labor, ut nullus eum aut incipere auderet, aut posset absolvere.

Gregorio XIII hæc laus erat reservata, qui, oblato sibi ab Aloysio Lilio Medico libello, in quo per novum Epactarum Cyclum, ad certam aurei numeri normam directum, constans temporum ratio restitui posse ostendebatur, arduum opus, convocatis peritissimis ex primariis Christiani orbis Nationibus Mathematicis, aggressus est perfecitque.

Tribus autem potissimum capitibus studium impensum est. 1. Ut vernum æquinoctium secundum Nicæni statuta ad 21 Martii reduceretur, atque in eo figatur. 2. Ut recte collocaretur 14ta lunæ mensis Nisan, qui primus erat apud Hebræos. Ille autem erat mensis Nisan, cujus 14ta lunæ vel incidit in diem æquinoctii verni, vel proxime eam subsequitur. 3. Ut prima quævis Dominica figatur, quæ 14tam lunæ (qua Judæi pascha agunt) proxime subsequitur, qua Christianis celebrandum est pascha.

Primo capiti facile inventum est remedium, omittendo a quarta Octobris usque ad 15tam decem dies, ita, ut loco quintæ Oct. in Calendario scriberetur 15ta Octobris; sic enim æquinoctium vernum ab 11 Martii reducebatur ad 21 sedem suam fixam.

Ne autem æquinoctium in futurum inde recedat, bis sextilis seu dies Intercalaris quarto quoque anno continuetur, sicut hactenus, exceptis annis centesimis, qui, quamvis hactenus secundum Julianum bis sextiles fuerint (qualis etiam annus 1600 esse debet) post eum tamen, qui deinceps sequentur centesimi, non omnes sint bis sextiles; sed

sed in quadringentis quibusque annis primi tres centesimi non fiant bis sextiles, quartus vero quisque centesimus fit bis sextilis, ita ut annus 1700, 1800, 1900 non sint bis sextiles, anno vero 2000 bis sextus intercaletur, atque Februarius 29 dies obtineat, sicut aliis annis Intercalaribus: idemque ordo bis sextum omittendi & intercalandi in quadringentis quibusque annis perpetuo observetur.

Pro secundo capite ordinatum est, ut ad inveniendam 14tam. lunæ seu plenilunium aureis numeris substituatur *Cyclus Epactarum*, ut novilunium, & plenilunium verum locum semper retineant, ut patet ex explicatione Calendarii.

Pro Dominica paschali invenienda, ne prædicta intercalandi ratio turbet, ordinavit, ut in locum Cycli litterarum Dominicalium 28 annorum substituatur Cyclus 26 annorum, ad quamcunque anni solaris magnitudinem accommodatus.

Præcipit dein Pontifex, ut, abolito veteri Calendario erroneo, omnes hoc novo emendato utantur. Obedierunt populi Catholici, Acatholici aut alii diu adhuc sunt tergiversati, alii in hunc usque diem malunt semper magis magisque errare, quam a Papa doceri, sane immerito; cum enim juxta Concilium Nicænum, etiam ab ipsis receptum, attendendum sit ad 14tam. lunæ, seu, quod idem ferme est, ad plenilunium, quod incidit in diem 21 Martii, vel proxime illam subsequitur, qua die Judæi pascha agunt, Nicænum autem nolit, ut Christiani ipsa die 14 lunæ cum Judæis pascha celebrent, sed Dominica proxime sequente, hæc autem omnia, ut clarius prolixe demonstrat, in Calendario Gregoriano optime omnia combinentur, non nisi pervicacia ab eo acceptando potest avertere.

Colliges, quod si plenilunium incidat in 21 Martii, illaque sit dies sabbati, tunc pascha jam 22 Martii esset celebrandum, prout contigit anno 1761. Si vero plenilunium incideret in 20 Martii, per mensem lunarem exspectandum adhuc foret ad plenilunium Aprilis, &, si illud inciderit, in Dominicam, adhuc per septem dies, nempe ad 25 Aprilis, quo pascha celebrandum foret, ut contigit anno 1734.

Privilegium aperiendi litteras S. Pœnitentiariæ.

137. Confessariis S. J. concedit, ut litteras S. Pœnitentiariæ pro foro conscientiæ aperire, confessionibusque ad se recurrentium auditis, & imposita, quæ in litteris continetur, aut de jure imponi debet, pœnitentia, absolvere, & secundum litteras dispensare possint, quamvis Magisterii aut Doctoratus Gradibus insigniti non sint.

138. P. Generali ejusdem Ordinis concedit licentiam ineundi contractus, & etiam alienandi, in evidentem tamen Societatis utilitatem, absque alia auctoritate.

139. Paulus

139. Paulus III Societati Jesu concessit, ut ejus Religiosi, a Societate approbati, a quocunque Episcopo gratiam & communionem Sedis Apost. habente ordinari possint. Cum tamen aliqui Antistites, observantiam Tridentini urgentes, varia requirerent, Pontifex omnibus Episcopis interdixit, ne ab hujusmodi promovendis, qui a P. Generali aut ejus Delegatis licentiam habent, talia exigant, *sed illos etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis aut ceremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, proprii ordinarii licentia, & aliis in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora, a jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis Festis diebus, etiam Presbyteratus, Ordines promoveant, acsi illi omnibus requisitis præditi essent.* Circa SS. Ordines.

Addit facultatem, ad quoscunque Religiosos Ordines transeundi cum P. Generalis licentia.

140. Plures Pontifices Duella severe interdixerant, sed quidam pervicaces malitiose eorum Decreta interpretati, in illis eos tantum comprehensos dixerunt, qui libellis provocarent, adhibitis patrinis, cæterisque ex pristino abusu introductis, se in locum tutum seu *Campum Francum* provocarent: non autem eos, qui privatim inter se & sine solennitate singulare certamen committunt. Pontifex igitur declarat decernitque, eos etiam statutas in Constitutionibus Pontificum pœnas incurrere, qui absque dictis solennibus circumstantiis duellum inierint, imo eos etiam, qui illis consilium, auxilium, subsidiumve quomodocunque præstiterint, aut etiam tantum spectatores fuerint: non tamen eos, qui rixa, ex improviso nata, in ipso iracundiæ furore, ad certum aliquem locum ad confligendum condixerint; sed hos alias severe puniendos, uti etjam comites eorum & spectatores. Duellum.

142. Episcopatum *Bononiensem* in Archiepiscopatum erigit, eique Suffraganeos subjicit Placent. Parmens. Regiensem, Mutinens. Imolens. Cerviensem, & Cremensem, Mediolanensi aut Ravennatensi provinciis prius subjectos, cum jure eos consecrandi, ad synodum provincialem vocandi, appellationes admittendi, aliaque omnia exercendi, quæ Juri Metropolitano sunt annexa. Bononiensis Archiep.

Anno 1583.

145. Confirmat omnia privilegia & exemptiones Societatis Jesu, relatisque diversis Gradibus declarat, eos, qui post biennium Novitiatus tria vota substantialia emiserunt, licet aliquanto adhuc tempore bonorum suorum dominium, absque tamen jure disponendi

fine facultate superiorum, retineant, atque a P. Generali, solutis votis, dimitti possint, vere ac proprie Religiosos esse.

147. Prædecessorum exemplo promulgat Bullam Cœnæ.

152. Miratur, homines mundo mortuos, & humilitatis statum amplexos, de loci prioritate contendere. Decernit autem, ut inter Fratres Ordinum mendicantium ii in processionibus præcedant, qui sunt in quasi-possessione præcedendi: si hæc dubia sit, ii, qui fuerunt priores in eo loco. Idem de confraternitatibus.

153. Confirmat Monasteria Monachorum Ord. S. Pauli I Eremitæ, erecta in Polonia, Hungaria, Istria, Dalmatia, cum privilegiis concessis.

Anno 1584.

Colleg. Maronitarum.

157. Erigit Hospitale in urbe pro Natione Maronitarum.

159. Approbat erectionem Collegii S. J. Rigæ in Livonia, a Stephano Rege Poloniæ petiti. Pro dote assignat Monasterium, in quo non nisi duæ centum annorum vetulæ Moniales habitabant.

Leges Collegii Germanici.

160. Constitutiones edit pro Collegio Germanico, a se fundato & liberaliter dotato. Centum in eo sint Alumni Germani & Hungari, & quidem Germani sint ex Germania superiore, Westphalia, Rheno, Saxonia, Prussia, idonei, ut studiis absolutis patriæ necessitatibus subvenire possint. Sint legitimi, bonæ famæ, sani corpore, bonæ indolis, linguæ non impeditæ, non deformes, nullius Religionis desertores, linguæ Latinæ & Germanicæ periti, nullum Romæ negotium habentes, 20 circiter annos nati, ad Philosophiam vel Theologiam idonei, nisi sint Nobiles, qui in Cathedralibus admitti possint. Hi saltem Grammaticam sciant, & sint 16 circiter annorum.

Prædictos Præpositus Generalis suscipere potest. In ingressu jurent, se Statum Ecclesiasticum amplexuros, ordinemque Presbyteratus, cum superioribus visum fuerit, recepturos; cum dimissi fuerint, mox in patriam redituros ad juvandas animas, etiam non absolutis studiis: Statuta Collegii secundum interpretationem superiorum se observaturos, nec a communi alumnorum vivendi ratione recessuros.

Generalem totius vitæ confessionem deponant, Divinum Officium recitare, & meditari discant, aliaque, quæ Clericis conveniunt, nec ante 40 dies vestem alumnorum induant. Omnium, etiam Religiosorum, sit idem vestitus. Multaque alia circa cultum Divinum, Sacramentorum frequentiam, meditationem, examen, studia litterarum, Rectoris munus, bonorum administrationem, sapientissime constituit.

163. Ple-

163. Pleniſſime per Bullam *Aſcendente*, approbat & confirmat Inſtitutum Societatis Jeſu. Refert confirmationem Pauli III, Julii III, Concilii Tridentini, Pauli IV, Pii V, finem Societatis, biennium Novitiatus, & poſt illud vota ſimplicia ſcholaſticorum aut coadjutorum temporalium, a P. Generali ſolubilium, diverſitatem graduum, Profeſſorum ſolennia vota, Coadjutorum Spiritualium & Temporalium Formatorum publica, ſed ſimplicia non ſolennia, tertium annum probationis: Profeſſionem 4 votorum, & trium: vota Profeſſorum ſimplicia, quæ ſolennibus ſuperaddunt: vitam omnibus communem: ſcholaſticorum & coadjutorum, nondum formatorum dominium ſuorum bonorum, uſque ad gradum ſtabilem Profeſſorum vel Coadjutorum formatorum.

Confirmatio ampliſſima Inſtituti Societatis Jeſu.

Qui poſt Novitiatum tria vota ſimplicia emiſerunt, ſunt vere ac proprie Religioſi, omnium meritorum ac privilegiorum non ſecus ac ipſi Profeſſi participes, vetatque Pontifex, hoc in dubium trahi; atque vota illa, licet ſimplicia ſint, ſubſtantialia tamen eſſe Religionis vota declarat, ut adeo Societatem abſque legitima dimiſſione deſerentes veri ſint apoſtatæ, omnibus apoſtatarum pœnis obnoxii, a quibus non niſi a Pontifice aut P. Generali abſolvi poſſint. Declarat ulterius, eos, qui poſt emiſſa tria vota abſque legitima ſuperiorum dimiſſione Societatem deſerunt, ad contrahendum matrimonium eſſe inhabiles, ac contractus hujuſmodi nullos & irritos eſſe, ac proin vota ſcholaſticorum Societatis, licet ſimplicia, ſunt impedimentum dirimens matrimonii contrahendi.

Coercet dein illos, qui variis prætextibus, omnia ex aliorum Ordinum ratione metientes, Societatis Inſtitutum, contra tot ſummorum Pontificum Decreta & approbationem Generalis Concilii, impugnare non verentur, præcipitque in virtute S. obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, & inhabilitatis ad quævis officia &c. abſque alia declaratione incurrendis ipſo facto, abſolutione ſummo Pontifici reſervata, nequis, cujuſcunque ſtatus, gradus, aut præeminentiæ exiſtat, dictæ Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut præſentes, vel quemcunque earum articulum, quovis colore, directe vel indirecte, impugnare, vel contradicere, aut in dubium vocare audeat.

Firmat denique Conſtitutionem ſuam clauſulis validiſſimis, & quorumcunque obſtantium derogatoriis; præſentis vero Conſtitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui privilegia cum Societate copioſe participant, fieri omnino prohibet.

164. Petiit Rex Hisp. ut Ipris erigeretur Collegium S. J. dotandum ex Monasterio Monialium prope collapso ac deserto. Annuit Pontifex, & auctoritate Apostolica fundationem & dotationem istam approbavit.

165. Similiter ad preces Regis Hisp. Collegium Montense confirmat, pariter ex deserto Monasterio fundatum.

167. Hospitale pro Maronitis a se fundatum mutat in Collegium pro juventute ejusdem nationis instruenda.

168. Erectio Collegii S. J. Brugensis, petente eodem Rege, ex simili dote, confirmatur. Uti etiam erectio Collegii Mantuani 169.

Colleg. Armenorum. 173. Erigit Romæ Collegium Armenorum, & Privilegiis Universitatum ornat.

174. Religiosis S. J. modo prima tonsura sint initiati, dat licentiam ubique, etiam publice, populo prædicandi Verbum Dei.

Congregationes B. V. M. 176. Approbat & confirmat erectionem *Congregationis B. V. Annuntiatæ* in Collegio Societatis Romano, eique amplas Indulgentias concedit, atque Præposito Generali dat potestatem, ubique ejusmodi Congregationes Sodalium erigendi sub directione Societatis, & eas Romanæ tanquam primariæ aggregandi, atque hoc pacto omnes istius Indulgentias ad eas extendit, cum facultate, statuta pro iis condendi, & pro temporum exigentia mutandi.

Anno 1585.

179. Confirmat ampla privilegia, Universitati Lovaniensi concessa.

181. Erectionem Collegii S. J. & studii generalis, Mussiponti, a Cardinale de Lotharingia, & Carolo Lotharingiæ & Barri Duce petitam, approbat, dote ex bonis Ecclesiasticis assignata.

184. Confirmat Confraternitatem Nationis Bononiensis in urbe erectam, cum potestate, quot annis incarceratum liberandi.

187. Confirmantur privilegia Militiarum SS. Mauritii & Lazari, petente Duce Sabaudiæ.

Vilnensis Acad. 188. Confirmat Academiam scientiarum bonarumque artium, in Collegio S. J. *Vilnæ*, a Valeriano Episcopo institutam.

Articulus

Articulus III.

Obitus Gregorii XIII.

Ad vitam immortalem Magnus hic Pontifex transiit 10 Aprilis anni 1585, ætatis 84, Pontificatus 13. Cui merito statuam marmoream in Capitolio statuit Roma, quam publicæ rei ubique intentus Elogium grandibus beneficiis ornavit. Dici non potest, quanto studio, zelo, cura perpetuo incubuerit, ut rem Catholicam, si qua parte fluctuaret, stabiliret, nutantem fulciret, labantem erigeret, erectam firmaret. Testes locupletes sunt tot in bonum Religionis erecta Collegia, Germanicum, Hungaricum, Anglicanum, Helveticum, Armenum, Græcum, Maroniticum, eaque optimis vivendi regulis instructa, ut teneræ hæ plantæ in Viridario Romano adolescerent, atque patrio dein solo insertæ fructus proferrent Ecclesiæ salutares. Neque hic conquievit in animarum proventum flagrans ardor, in Japoniam, Chinam, utramque Indiam, omnesque orbis partes curam exporrexit, missis eo viris Apostolicis, qui gentibus cæcitatem mentis abstergerent.

Tanto ergo desiderio totum mundum convertendi cum arderet, mirum videri non debet, quod præcipuo eos amore sit complexus, quos zelo suo idoneos promptosque existimabat. Scientiarum bonarumque artium uti possessor ita æstimator, litteratos fovebat, atque per eos, correcto Calendario, temporum computum in usum perennem ordinavit; per Toletum in Belgium missum Michaelem Bajum in orbitam reduxit. Henricum III Galliamque misere discerptam a Calvinistis, omni ope adjuvit, &, ubi ubi poterat, res inclinatas erexit, stabiliitque. Ubi honor Dei agebatur, nihil gratiæ aut metui dare solitus, invicta constantia pro domo Domini se opponebat, donec creatis 34 Cardinalibus, annis & meritis gravis eandem ingressus est ad coronam justitiæ: dignus sane Pontifex, in quem 50 Cardinales unanimi voce in Conclavi conspirarent.

Articulus IV.

Sixtus V.

Justis Gregorio persolutis, tertio ab ingressu in Conclave die electus est Felix Perettus Cardinalis de *Montealto*, ex Familia Conventualium S. Francisci ad purpuram assumptus, qui Sixti V nomen ele- 1141

 git,

git, in memoriam credo Sixti IV, ex eodem sacro Ordine ad Thiaram evecti. 5 annorum & 4 mensium spatio multa gessit constituitque.

Excerpta ex Constitutionibus Sixti V.

Anno 1585.

Acad. Graecii. 1. Confirmat Academiam *Graecensem*, a Carolo Archiduce fundatam, ac Societati Jesu commissam, ita, ut Rector Collegii sit simul Rector Academiae. Instituta quippe fuit ad eam normam, qua Dilingana.

2. Episcopatum Vindensem in Livonia, quam Stephanus Rex a Moscis recuperaverat, erigit.

9. Contra bannitos, praedones, aliosque facinorosos homines, passim grassantes, severa edicta promulgat.

20. Instituit Archiconfraternitatem Chordigerorum S. Francisci, cum largitione Indulgentiarum.

Visitatio liminum. 24. Ait, antiquum esse morem, ut Ecclesiarum Antistites visitent *Limina SS. Apostolorum* Petri & Pauli ad reddendam rationem suarum Ecclesiarum, ut ruinis & periculis communi opera obviam iri possit. Institutum hoc refriguisse; praecipit igitur, ut Episcopi & Superiores Praesules Itali tertio quoque anno, Germani, Galli, Hispani, Angli, Ungari, quarto anno vel per se, vel per Delegatum compareant.

Anno 1586.

34. Lauretanam Ecclesiam Collegiatam elevat in Cathedralem, in venerationem Almae Domus.

Thesaurum in Castro S. Angeli recondit. 43. Millionem, seu decies centena aureorum millia in Castro S. Angeli recondit, non removenda inde, nisi in summis necessitatibus, videlicet, si pro recuperatione terrae sanctae, aut generali contra Turcas expeditione bellum gerendum foret; & Christianus exercitus jam comparatus ad Turcarum fines consisteret, aut tanta esset annonae & rei frumentariae inopia, ut fames interitum populo allatura videatur, aut si pestilentiae lues grassetur, vel si manifestum periculum immineret, ne provincia aliqua a Catholicae Ecclesiae hostibus abripiatur, vel si bellum grave contra statum S. R. E. inferretur, aut civitas ejus ditionis deficeret; neque etiam in illis casibus, nisi duarum saltem tertiarum ex Cardinalibus, in Consistorio praesentibus, consensus accedat; & ea etiam moderatio adhibeatur, ut pars saltem dimidia pecuniae retineatur.

Suc-

Successores etiam vult obligatos, cum non possint convellere, quæ sancte adeo sunt constituta, proponitque exemplum Heliodori, pecuniam e templo abstrahere conati. Si autem in prædictis casibus (alii excluduntur) aliqua pecuniæ portio fuisset desumpta, prima occasione restituendam sancit. Sex claves ad hoc ærarium confici jussit, quarum tres tribus Cardinalibus, quartam Camerario, quintam Decano Clericorum Cameræ Apost. sextam Thesaurario generali tradi jussit, præstito juramento, se claves non daturos, nisi in præscriptis casibus. Simile juramentum Præfecto Castri S. Angeli deferendum, se non passurum extra illos casus pecuniam subtrahi. Idem jurandum omnibus Cardinalibus. Adjicit excommunicationem reservatam & alias pœnas, ipso facto incurrendas. Subscripserunt huic Bullæ, præter Pontificem 34 Cardinales præsentes.

46. Annatas, communia, quindennia, aliaque jura, ratione provisionum Beneficiallum & Unionum perpetuarum solvi jubet.

49. Artem conficiendi sericum introducit: arbores Mori plantari jubet, ut ex earum foliis vermes nutriri possint, sericum texentes.

55. Erigit studium generale *Quitense*, in India Occidentali sub directione Ord. Eremitarum S. Augustini.

66. Erectionem Seminarii Bononiensis pro 20 Scholaribus, a Greg. XIII cœptam, absolvit.

68. Damnat tanquam usurarios contractus illos societatis, quibus alter pecuniam, animalia, aut alias res tradit alteri, ea conditione, ut in quemcunque casum, etiam fortuitum, sors integra sibi restituatur, & nihilominus de fructibus participet, seu ita, ut periculum totum sit penes accipientem, fructus autem sint communes utrique.

69. Privilegia Judæis concedit, in Statu Ecclesiastico conducendi domos, artes exercendi, propriumque ritum in Synagogis suis, si sint approbati, Medicos agendi apud Christianos. In Judæos facilis.

72. In oppido Montis Alti patria sua Episcopatum erigit.

76. *Quales Cardinales creandi.* Non sint plures quam 70. Si plures crearentur, creatio esset irrita. Ex iis sint Episcopi 6, Presbyteri 50, Diaconi 14. Isti sint saltem 22 annorum, & intra annum Diaconatum suscipiant; alias carent voce activa & passiva. Si Card. Diaconus fiat Sacerdos, maneat tamen inter Diaconos, donec numerus 14 Diaconorum per novam creationem suppleatur. In tribus vacantiis sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Cardinales Episcopi præsunt, antiquior semper Presbyter Cardinalis præficiatur, in quarta vero vacantia prior ex Diaconis. Episcopis tamen Cardinalibus datur optio transeun- De Cardinalibus.

transeundi ad vacantem aliam Cathedralem. Inter 70 Cardinales, præter insignes J. U. Doctores, ex Religiosis Ordinibus assumantur saltem 4, insignes Theologiæ Magistri. Cardinales more vetustissimo creentur diebus jejuniorum mensis Decembris. Assumantur idonei ex omnibus Christianitatis Nationibus, quantum fieri potest.

Quales. Illegitimi, tametsi per subsequens matrimonium sint legitimati, ad Cardinalatum sunt inhabiles, prout etiam omnes, qui laborant aliquo vitio aut defectu, in quo dispensatur ad suscipiendos sacros Ordines. Ante creationem saltem per annum debent tonsuram & habitum gestasse, nec qui liberos, etiam ex legitimo matrimonio, suscepit, potest fieri Cardinalis. Duo fratres, aut duo patrueles, vel consobrini, aut amitini, simul non possunt esse Cardinales, nec patruus vel avunculus cum nepote ex fratre vel sorore. Qui absens creatur Cardinalis, jurare debet, se intra annum Romam ad Pontificem iturum; id si non fecerit, dignitate privatum declarat.

78. Reformat immoderatos sumptus circa vestes, ornamenta, dotes, convivia.

Congr. Marianæ. 79. Greg. XIII facultatem dederat, *Congregationes* Scholarium ubique erigendi, & Romanæ primariæ Annuntiationis B. V. Mariæ aggregandi. Sixtus V autem hanc facultatem extendit ad omnes etiam, qui non sunt scholares, & sub alio, quam *Annuntiationis* titulo eriguntur, & Romanæ aggregantur, cum extensione pariter Indulgentiarum.

Anno 1587.

84. Typographiam Vaticanam erigit.

85. Et Hospitale novum pro mendicis.

90. Conjugia Evnuchorum & Spadonum irrita declarat; quia sunt contra finem matrimonii.

92. Erigit Collegium honestarum viduarum & puellarum sub regimine Congreg. S. Bernardi.

Privileg. Observantium. 105. Confirmat privilegia Ordinis S. Francisci *de Observantia*, quem (licet ipse fuerit de Conventualibus,) sibi semper dilectissimum fuisse dicit.

106. Approbat Congregationem Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum.

Iterum millionem deponit. 108. Iterum millionem aureorum nummorum reponit in arce S. Angeli, asservandos, nec depromendos, nisi in casibus supra recensitis: addit tamen illis casibus, etiam tunc extrahi posse depositam pecuniam, quando expeditio esset suscipienda adversus quoscunque Ecclesiæ hostes, ad recuperandam Catholicam provinciam, ab ipsis abreptam.

112. Pro-

112. Prohibet, recipi in Ordinem Religiosum spurios, ex incestu vel sacrilegio natos. Declarat tamen, eos hac Constitutione non comprehendi, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore, quo sunt geniti, legitimum consistere potuisset matrimonium, & postea per legitimas nuptias sunt legitimati. Ad gradus tamen, honores & dignitates sui Ordinis perpetuo sint inhabiles, id est, ut postea declaravit, ad Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus, Quardianatus, Custodiatus, Provincialatus, Generalatus, & alia Officia, his similia.

117. Instituit aut confirmat XV Congregationes Cardinalium.

Prima est Congregatio *sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis*, quæ etiam *sacrum Officium* appellatur, jam a Paulo III instituta & a Pio V confirmata; tanquam firmissimum Catholicæ fidei propugnaculum, cui Papa ipse præsidet. Illius est invigilare puritati & integritati fidei, cum omni auctoritate inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, definiendi in omnibus causis, hæresin, schismata, apostasiam, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus, & quæcunque alia, etiam præsumptam hæresin sapientia, in toto orbe Christiano, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & alios Inferiores, ac Inquisitores, quocunque privilegio suffultos. Circa Inquisitionem Hispanicam tamen per hæc nihil intendit innovare. Hortatur denique Principes, ut supremæ huic Inquisitioni faveant, eique auxilium præstent. 15 Congregationes Cardinalium.

2da est Congregatio pro *Signatura Gratiæ*; cujus est libellos supplices legere, petitiones gratiarum audire, examinare, expedire. Etiam huic præsidet ipse Pontifex, eamque constituunt Cardinales, Major Pœnitentiarius, Præfectus Signaturæ Gratiæ, Præfectus Signaturæ Brevium, Præfectus Signaturæ Justitiæ, Præfectus Datariæ, si sit Cardinalis.

3tia est Congregatio *pro erectione Ecclesiarum & Provisionibus Consistorialibus*; cujus officium est cognoscere de causis novarum Ecclesiarum Cathedralium, dote, Capitulo, Clero, populo, & aliis, quæ ad erectionem pertinent; examinare difficultates incidentes, controversias, Ecclesiarum, Diœcesium, Monasteriorum, uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensiones, pluralitatem, incompatibilitatem, præsentationes, nominationes, electiones, postulationes, confirmationes, Suffraganeos, Coadjutores, cum vel sine jure succedendi, ætatem & qualitates promovendorum, eaque probe discussa ad Pontificem referre, ut in Consistorio secreto proponi possint.

4ta pro *ubertate annonæ Status Ecclesiastici*, ut videlicet curam intendant circa rem frumentariam & victualia, importationem vel exportationem frumenti, animalium &c. utque etiam pauperibus prospiciatur.

5ta pro *sacris Ritibus & Ceremoniis.* Huic cura incumbit, ut ubique veteres approbati ritus in Divinis Officiis & Sacramentorum administratione observentur, aliaque ad cultum Divinum pertinentia. Officia de Sanctis Patronis examinent, & Papa prius consulto concedant. Curam adhibeant circa Canonizationem sanctorum, festorumque dierum celebritatem. Principes, eorumque Oratores, aliasque personas, Romam venientes, pro cujusque dignitate more Majorum honorifice excipiant. Controversias de præcedentia in processionibus, aliasque incidentes circa sacras ceremonias difficultates, summatim cognoscant, & componant. Hæc Congregatio constet 5 Cardd.

6ta pro *classe paranda, & servanda in Status Ecclesiastici defensionem.* Sixtus V instructa classe 10 triremium, prædonibus mare Tyrhenum & Adriaticum purgaverat, classe comparata; jam vero hanc ut conservaret, & maria, atque portus & littora a piratis tuta præstaret, 5 Cardinalibus eam in rem curam imponit.

7ma, pro *Indice librorum prohibitorum*, ut libros contra fidem & bonos mores vulgatos prohibeant, & in Indicem referant; si libri, paucis exceptis, sint utiles, eos expurgent, & Indicem *expurgatorium* faciant.

8va, *pro Executione & Interpretatione Concilii Tridentini*, si circa reformationem morum & disciplinæ Ecclesiasticæ dubium occurrat. Antequam tamen Responsum detur, consulendus est Pontifex, qui ea, quæ fidem concernunt, suæ decisioni reservat. Particularium Conciliorum Decreta recognoscat S. Congregatio. Episcoporum, S. Limina visitantium postulata expediat: majora ad Papam referat. Quæ Cleri & populi disciplina exquirat, & quæ Tridentini observantia.

9na, pro *Statu Eccles. Gravaminibus sublevando.* Unde ei invigilandum quæstoribus, commissariis, exactoribus, judicibus, ne populum nimiis oneribus gravent.

10. pro *Universitate studii Romani*, quæ præstantes Professores constituat, remque litterariam sanamque doctrinam ad florem perducat, aut conservet.

11. pro *Consultationibus Regularium*, quæ horum dubiis, controversiis, & consultationibus respondeat: ad arctiorem religionem transire cupientibus licentiam concedat, non obstantibus prioribus Decretis.

eretis. Curet, ut Apoſt. Decreta executioni mandentur, & monaſteria juxta cujusque Ordinis Inſtitutum gubernentur.

12ma, pro *Conſultationibus Epiſcoporum & aliorum Prælatorum*, ut eorum quæſtionibus reſpondeat, lites componat, iis exceptis, quæ interpretationem Tridentini concernunt, jura ac bona Eccleſiarum defendant: Vicarios Apoſt. ubi opus, conſtituant.

13tia, pro *viis, pontibus, & aquis curandis.*

14ta, pro *Typographia Vaticana*, ut Biblia Latinæ, Græcæ & Hebraicæ editionis, Decretales, Concilia Generalia, præcipuorum Eccleſiæ Doctorum opera, aliosque libros Eccleſiaſticos, quam emendatiſſime curent imprimi, adhibitis vetuſtis Manuſcriptis, quibus Bibliotheca Vaticana eſt referta, evocatisque ex omni Chriſtiano orbe viris, linguarum peritiſſimis.

15ta, pro *conſultatione negotiorum Status Eccleſiaſtici*, ut querelas in caufis civilibus, criminalibus, & mixtis, ad forum ſæculare ſpectantes, audiant, & prompta juſtitia expediant; omnesque Gubernatores, Prætores, Judices, quantum ad juſtitiam adminiſtrandam, huic Congregationi ſint ſubordinati.

CAPUT XXVI.

Reliquæ Conſtitutiones Sæculi XVI.

Excerptæ

ex Tom. V. Part. I.

Articulus I.

Conſtitutiones Sixti V.

Anno 1588.

Poſtquam Sixtus V, jam anno primo ſui Pontificatus millionem nummorum aureorum ad futuras ſummas Eccleſiæ neceſſitates in Caſtro S. Angeli repoſuerat, & anno ſecundo rurſus millionem, nunc anno tertio (1588) tertium, graviſſime vetans, ne inde aſportentur extra caſus, in prioribus Bullis expreſſos. 125. 3tius millio.

127. Approbatur Congregatio Clericorum Regularium Minorum, ſub tribus votis in communi viventium.

S. Didacus. 128. Canonizatio S. *Didaci* Ord. FF. Minorum S. Francisci de Observantia.

134. Procurantes abortum, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, tanquam homicidæ plectantur.

140. Gravissimæ pœnæ in Clericos, male aut Simoniace ordinantes, aut promoventes, nempe suspensio a Pontificalibus, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ: promotorum inhabilitas perpetua ad omnia Beneficia.

Anno 1589.

161. Confirmatur transactio, inter Episcopum Passaviensem & Capitulum inita. Inter alias conditiones est, ut duo sint Vicarii Generales, alter Passavii, alter Viennæ.

Nova Ordinatio circa provisos. 164. Juxta Concordata Germaniæ statutum est, ut, si, defuncto Beneficiato mense Papali, a die notæ vacationis in loco Beneficii intra tres menses non appareat, provisionem Romæ esse factam, collatio aut provisio ad Ordinarium redeat. Greg. XIII declaravit sufficere, ut intra tres menses provisionem esse factam Romæ appareat, & provisus illico ordinarium de provisione facta edoceat. Sixtus V vero hac Constitutione declarat, sufficere, si provisus intra tres menses a die factæ provisionis dispositionem Pontificiam factam esse ordinario notificet, aut eandem in loco Beneficii promulget, ut adeo Ordinarius per 6 menses deberet exspectare, tres, donec provisio Romæ fiat, & tres, donec ea Ordinario sit intimata.

Anno 1590.

169. Et duabus sequentibus de aquæductibus, fontibus, pontibus, ædificiis, habitatione in collibus, & reliquo ornatu urbis curam impendit.

177. Academiam, Græcii in Styria, a Carolo Archiduce fundatam, ac regimini Societatis Jesu traditam confirmat, & privilegiis aliarum Universitatum ornat.

Appendix.

Postquam Constitutiones Sixti V jam fuerant editæ, multæ adhuc in variis Archiviis fuerunt inventæ, quas Collector subjungit. In his declaratur, non satisfieri præcepto Ecclesiæ, si communio paschalis non fiat semel in Parochia. Confirmantur omnia privilegia, a præcedentibus Pontificibus Societati Jesu pro Indis concessa: uti extra Ecclesiam, & sine consuetis ceremoniis baptizandi, condonandi bona aliena incerta pro casu indigentiæ, dispensandi in voto castitatis

aliis.

aliisque impedimentis occultis matrimonii, jam contracti, si sint Juris Ecclesiastici: dispensandi in gradibus consanguinitatis, affinitatis, denuntiationibus, in absentia ordinarii, in ordine ad contrahendum etiam matrimonium, pro foro interno tamen &c.

Greg. XIII alumnis Pontificiis in Germania concesserat privilegium, ut sine titulo mensæ, sine Dimissoriis, non servatis Interstitiis, etiam extra tempora a quocunque Episcopo Catholico, in sua Diœcesi ordinari licite & valide possint, dummodo à Rectore & Superioribus Seminarii tanquam idonei commendentur. Hanc Gregorii Constitutionem insertam Sixtus V per Bullam *Provisionis nostræ* 20 Aug. 1588 confirmavit.

Constit. *Fide dignorum*, prohibet Canonicis Coloniensibus, ne de Mensa Capitulari ultra triennium locationes faciant, sub pœna in alienantes statuta.

Const. *Exhibita* Collegio S. J. Tornaci Prioratum de Englos Ord. S. Benedicti unit.

Articulus II.

Gregorius XIV.

Excerpta ex Constitutionibus Gregorii XIV.

Anno 1591.

5. Sept. 1590 post mortem Sixti V Ecclesiæ præfectus est Nicolaus *Sfondrati*, Mediolanensis; sed undecimo mense Pontificatus obiit. Sepultus in Vaticano in Sacello, quod Greg. XIII erexerat. 126.

1. *Constit.* confirmat prohibitionem Pii V de non alienandis & infeudandis bonis & terris S. R. E.

14. Sixtus V voluerat, ut in Societate Jesu singulis tantum triennis in Congregationibus Provincialibus Novitii susciperentur; circa electiones quoque Præpositorum aliqua innovavit. At vero Greg. XIV ea ad antiquum usum, à prioribus Pontificibus confirmatum Const. *Exponi* reduxit.

17. Celebris est Constitutio *Cum alias* de Immunitate Ecclesiastica locali, & criminibus exceptis. Itaque Asylo non gaudere statuit 1 latrones publicos. 2. Viarum grassatores. 3. Depopulatores agrorum. 4. Qui homicidium in Ecclesia vel cœmeterio committunt. 5. Qui proditorie proximum suum occidunt. 6. Assassinii, hæresis, vel Majestatis reos. Criminum istorum reos Ecclesiastici curiæ seculari, ab illa requisiti extradant. Const. celebris de Asylo.

Extraditio autem ista non fiat sine licentia Episcopi aut Vicarii, licet alius sit Ordinarius, nec absque interventu personæ Ecclesiasticæ.

Extracti ducantur ad carcerem Ecclesiasticæ curiæ, nec curiæ sæculari extradantur, donec Episcopus cognoverit, eos esse criminum exceptorum reos.

His non observatis nemo præsumat, reum ex Ecclesia, Monasterio, Domibus, locisque sacris, aut religiosis extrahere, sub pœna excommunicationis. Hæc Constitutio Greg. XIV ultra 100 annos pro regula in hac re serviit, & adhuc in pluribus Diœcesibus servit; quamvis Benedictus XIII & XIV novas Constitutiones ediderint, pluraque crimina Asylo excluserint, & circa extraditionem reorum varia disposuerint, ut suo loco dicetur.

19. Greg. XIII in virtute S. Obedientiæ Rectori & Collegialibus in Collegio Germanico de urbe præceperat, ut Constitutiones observentur; Greg. XIV vero declaravit, verba Gregorii intelligenda esse de iis, quæ alias rationem peccati habent.

20. Sixtus V præter pœnas novas alias, excommunicationem, Sedi Apost. reservatam, tulit in procurantes abortum, etiam fœtu necdum animato. Greg. XIV Reservationem sustulit, & pœnas ad terminos Juris communis reduxit; ne nimius rigor, ut inquit, plus mali quam boni afferat.

22. Concedit usum Bireti rubri Cardinalibus, ex religiosis ordinibus assumptis.

25. Quamvis Paulus III, Julius III & amplissime Greg. XIII Institutum Clericorum Regularium Societatis Jesu jam approbarint, & confirmarint, non defuere tamen, Sixti V præsertim tempore, cui varii libelli oblati fuerant, qui non pauca capita impugnarent, instarentque, 1 ut negotia Societatis non per superiores, sed per Capitula definiantur. 2. Ut electiones Provincialium & Superiorum localium non a P. Generali, sed in Capitulis fiant. 3. Ut Novitii peracto Novitiatu in iisdem Capitulis ad vota scholasticorum admittantur. 4. Ut Professioni certum tempus statuatur, eoque exacto in Capitulo per suffragia ad illam admittantur. 5. Ut non nisi observata forma Judicii ordinarii dimittantur. 6. Nomen *Societatis Jesu* esse mutandum. 7. Non Professos non esse admittendos ad sacros Ordines; iisque permittendum transitum ad alios Ordines, utque ad mutationem Gradus aspirare possint.

Societatem Jesu contra adversarios protegit, & ejus Institutum de novo amplissime confirmat.

Omnes has cavillationes & impugnationes Pontifex singillatim rejicit & confutat, ac in virtute S. Obedientiæ prohibet, simulque Institutum, cum omnibus privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis & Indultis, a quocunque Pontifice, etiam per communicationem concessis, qualiacunque illa sint, de novo approbat & confirmat, acsi de verbo ad verbum huic Constitutioni essent inser-

ta, supplens omnes Juris & facti defectus, si qui intervenissent: renovatque pœnas omnes, in Bulla *Ascendente Domino* Gregorii XIII (quam renovat, approbat, confirmat, ac pro inserta habet) adversus impugnatores Instituti contentas.

Denique clausulis tam validis & expressivis firmat suam Constitutionem, ut nunquam de ullo sub- vel obreptionis vitio argui, nec, quæ in ea sunt contenta, per ullam similium vel dissimilium gratiarum revocationem, suspensionem, limitationem, derogationem, vel contrariam dispositionem revocata aut limitata censeantur, *sed ab illis semper excepta, & quoties emanabunt, toties in pristinum, & in eum, quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata, ac de novo concessa, confirmataque fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri*; non obstantibus quibuscunque.

Prohibet autem, hujus Constitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant, quomodolibet in futurum fieri.

26. Prohibet Fratribus Minoribus Reformatis S. Francisci, ferre Capucium & habitum Capucinorum.

41. Quartam funeralium proprie defuncti Parochiæ solvendam, detrahendam a legatis, aliis Ecclesiis factis.

Articulus III.

Excerpta ex Constitutionibus Clementis VIII.

Gregorio XIV 15 Octobris 1591 mortuo successit 29 Oct. altero Comitiorum die Joannes Antonius *Facbinetti*, Bononiensis, qui nomen *Innocentii IX* assumpsit. Sed non ultra duos menses Cathedram Petri occupavit, 29 Oct. ejusdem anni mortuus. Edidit 6 Constitutiones, quæ tamen nostram notitiam non admodum desiderare videntur. Tractat enim de urbibus & locis, ad S. R. E. spectantibus, non alienandis aut infeudandis: de ordinandis tribunalibus urbis: de condemnandis reis, & legitima filiorum non confiscanda: de bonis quibusdam Cameræ applicandis &c. 127. Innoc. IX.

30 Jan. 1592 electus est Hippolytus Aldobrandinus Florentinus, qui nomen Clementis VIII assumpsit. Ac 13 annis præclare Ecclesiam rexit, multasque Constitutiones edidit, quas inter magis memorabiles videntur.

Anno 1592.

1. Applicat fructus Ecclesiæ Chilissanensis in Creta Collegio Græcorum de urbe.

3. Con-

3. Confirmat Constitutionem Sixti V, de conservandis tribus millionibus, in Castro S. Angeli repositis.

6. Nuntio suo in Hispania mandat, ut per se vel per alium intersit Capitulis generalibus & provincialibus Ord. S. Benedicti.

30. Renovat Decreta Pontificum & pœnas in Duellantes, omnesque cooperantes, campum francum concedentes, secundantes &c.

Decimæ Ingolstadienses.

35. Monasterium ad Inferiorem Quercum dimidium ferme decimarum in territorio Ingolstadiensi perceperat. Guillelmus Dux Bavariæ, conventione cum Monasterio inita, has decimas Collegio S. J. Ingolstadii appropriat: Papa hanc causam & confirmationem Nuntio suo Viennensi committit.

37. Germanis Bononiæ studentibus varia privilegia concedit.

38. Monachos omnes Ord. S. Basilii, in Italia, Sicilia, Hispania, & alibi existentes, ad unam Congregationem reducit sub uno Abbate generali.

Colleg. Anglicum Valisol.

40. Confirmat Collegium Anglicanum, Vallisoleti a Rege Catholico erectum sub gubernatione S. J. ad quam susceptio Alumnorum pertinet, qui jurare debent, se sacros Ordines suscepturos, & post absoluta studia in patriam redituros ad popularium salutem.

42. S. Scripturam edi vetat, nisi secundum exemplar Bibliothecæ Vaticanæ.

47. Ad *Echebarem* Regem Mogor dat litteras, quibus ipsum hortatur, ut Presbyteros S. J. porro audiat, & Christianam Religionem amplectatur.

Anno 1593.

Judæi.

52. Judæi in Statu Eccles. non tolerandi, nisi Romæ, Anconæ, Avenione. Leges de illis confirmat. Refert usuras, fraudes, furta perfidæ hujus gentis.

53. Prohibetur, nequis legat aut retineat Thalmud aut alios Judæorum libros, fabulis, & blasphemiis scatentes, spectatque hæc prohibitio ad ipsos etiam Judæos, qui illos retinere, sicut Christiani, non possunt in terris Christianis, abolitis omnibus facultatibus, a quocunque concessis.

72. Plures Pontifices Clericis S. J. sub certis tamen clausulis dederunt licentiam legendi libros hæreticos & absolvendi ab hæresi in foro conscientiæ, de P. Generalis consensu. Jam vero Claudius Aquaviva Generalis petiit a Pontifice, ut prohibeat usum hujus privilegii in Regnis Hispaniarum, ubi viget Inquisitio, ne hæc per ejusmodi usum offendatur.

Ex

Ex Tomi V. Part. II.

Anno 1594.

77. Sex Decimas pro bello Turcico indicit omnibus Ecclesiasticis, exceptis Cardinalibus, & 12 Congregationibus Ordinum non Mendicantium, quæ sub Pio V conventionem inierunt cum Camera Apost. de subsidiis ordinariis.

81. Canonizatio *S. Hyacinthi* Ord. Prædicat. S. Hyacinthus.

83. Confirmat Collegium Anglicanum, Hispali erectum sub directione S. J. sicut Const. 40 Vallisoletanum, cum iisdem privilegiis & conditionibus. Colleg. Angl. Hispal.

85. Regi Poloniæ conceditur jus Primarum Precum.

86. Continetur famosa Bulla de largitione munerum, Regularibus utriusque sexus interdicta.

88. Confirmat Collegium S. J. cum universitate studii Generalis, Comotovii in Bohemia a Principe Lobkovicio erectum.

Anno 1595.

99. Conceduntur Duci Sabaudiæ privilegia circa provisiones Beneficiales.

102. Officinas omnes monetarias præter Romanam in Statu Eccles. supprimit, quia cuderunt monetam spuriam.

112. Approbat Indicem librorum prohibitorum.

116 Natio Ruthena cum Archiepiscopo Kioviensi & Episcopis Provincialibus ad unionem cum Ecclesia Romana admittitur, præstita professione fidei. Ruthen.

117. Pontificale Romanum emendatum approbatur.

118. Si Regularis exemptus extra Monasterium delinquat, Episcopus eum potest punire, si superior delinquentis non puniat &c.

Anno 1596.

125. Jubilæum indicit occasione conversionis Henrici IV Francorum Regis.

126. Hebræi non possint, acceptis pignoribus, majorem summam quam 12 Scutorum, mutuam dare.

130. Itali non habitent extra Italiam, in locis, ubi non viget cultus publicus Religionis Catholicæ.

138. Promotum per concursum ad Parochiam non esse approbatum pro tota Diœcesi, sed tantum pro illa Parochia, quam obtinuit.

Anno 1597.

157. Cardinales Diaconi, qui post decennium Diaconatus Presbyteratum suscipiunt, habent locum ante Presbyteros, qui post eos creati sunt Cardinales; dummodo decem saltem Cardinales Diaconi in eodem ordine permaneant.

163. Alphonso II Estensi, Ferrariæ & Mutinæ Duce, anno 1597 sine liberis mortuo, Cæsar Estensis, ejus agnatus proximus, in Ducatu Mutinensi successit. Voluit etiam succedere in Ducatu *Ferrariæ*, sed Clemens VIII feudum, linea, cui esset collatum, extincta, Romanæ Ecclesiæ apertum esse declaravit, atque Ferrariam cum Ducatu ad Cameram Apostolicam reduxit, cum interdicto, ne Cæsar Estensis Ecclesiæ jura invaderet.

Ferraria ad Cameram.

164. Quod Archiepiscopo Bracharensi, civitatem sui suffraganei ingredienti, hic cum toto Clero processionaliter obviam procedere debeat, sed pro prima vice tantum.

166. Cæsar Estensis, insuperhabito mandato Pontificis, post mortem Alphonsi II Ducatum Ferrariæ occupavit, ac militaribus præsidiis firmavit. Citatus ad experiundum judicio, non comparuit. Quare Pontifex causa cognita, feudum Ecclesiæ apertum pronuntiavit; quia Cæsar non esset ex linea, feudi, secundum litteras infeudationis, capaci. Agnitum id ab ipso Alphonso, qui propterea, dum viveret, acriter institisset, ut Papa feudum ad alteram Estensis Familiæ lineam extenderet.

Causa Ferrariensis.

At ille, se esse patruelem ultimi possessoris, hæredemque legitimum, a primo adquirente Borso, a Paulo II Papa infeudato, recta linea descendentem asseruit, avumque suum Alphonsum I Ferrariam jure clientelari legitime possedisse. Papa autem, quia ultimi possessoris successio defecisset, ad Cameram Apost. revolutam declaravit, & Estensem, ceu invasorem injustum, in pœnas Bullæ Cœnæ, & excommunicationem incidisse, comminaturque Interdictum locale. Adhortatur Principes, ne ei assistant, cæteris vero prohibet, ne eidem militent. Interim vero Pontifex, haberi delectus militum & bellum apparari jussit, ut, si arma spiritualia essent inefficacia, corporalia contumaciam frangerent.

Anno 1598.

171. Tandem vero Cæsar Estensis, Dux Mutinæ (ab Imperatore investitus) absolutionem a censura petiit, & per Lucretiam Estensem, Urbini Ducissam (soror hæc erat Alphonsi II ultimi possessoris) Ducatum Ferrariæ Romanæ Ecclesiæ restituit, sub his conditionibus, quas cum ea iniit Cardinalis Aldobrandinus, Pontificis nepos.

Finita.

Cæsar

Cæsar Estensis cum omnibus suis adhærentibus ab omni censura aliisque pœnis absolvatur. Omnia bona allodialia Domus Estensis, quæ habet in Ducatu Ferrariensi, retineat, sicut etiam omnia mobilia, aurum, argentum, salem, supellectilia, Instrumenta, archivia, aliaque, quantumvis pretiosa, ad Domum Estensem pertinentia, eaque in terras suas Imperiales asportare possit. Multa alia in specie enumerantur, quæ Cæsari Estensi reservantur. Hæc transactio solenniter utrinque fuit ratificata & subscripta. Conditiones.

172. 173. Devolutionem Ferrariæ ad Rom. Ecclesiam, & consolidationem utilis dominii cum directo, iterum iterumque acceptat, approbat, & confirmat, atque Nepoti suo Cardinali Aldobrandino, quem legatum renuntiaverat, demandat, ut Ferrariam, a regimine Ducali ad ordinem aliarum provinciarum Status Eccles. reducat.

178. Papam Romæ esse eligendum, tametsi extra illam decesserit.

180. Papa Ferrariam profecturus Romæ Card. Vicarium reliquit, cujus potestatem hic designat.

183. Ferrariam ordinat, constituto centum virorum Magistratu, cui leges præscribit.

184. Civitati Comaclensi concedit privilegia.

185. Cum luctuosa atque inaudita Tyberis exundatio urbem ejusque districtum misere devastaret, preces publicas indixit ad propitiandum Deum, peccata hominum plectentem.

Anno 1599.

191. Hortatur Regem Hispaniæ, ut probos & idoneos ad Episcopatus proponat: frequentiores Episcoporum translationes non petat: eorundem opera extra eorum Ecclesias non utatur, revocatque quascunque facultates non residendi.

201. Confirmat Statutum Capituli Basileensis de nullis amplius bonis in feudum concedendis; &, si obitu Vasallorum aperta fuerint, consolidandis.

204. Julius II. Ferdinandum Aragoniæ Regem ejusque successores in regno utriusque Siciliæ investiverat ea lege, ut jurarent, se nunquam fore Reges Romanorum, aut Lombardiæ Domini. Ab hoc juramento Philippus III Rex Hispaniarum solvitur. Siciliæ.

205. Sicut Julius II Ferdinando, Aragoniæ Regi, Leo X. Carolo V, Julius III. Philippo II, ita Clemens VIII. Philippo III, omnibusque ejus hæredibus & successoribus, masculis & fœminis Siciliam & terram citra Pharum Jure Clientelari possidendam tradit, ex-

cepto Benevento ejusque districtu, reservatoque Sedi Apost. solito censu annuo septem mille Ducatorum, & unius parafræni albi. Homagium, Ligium, & Vasallagium Rex præstitit per procuratorem Cordubam Svessæ Ducem, qui Juramentum clausit his verbis; *sic dictum Regem Philippum Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Juravi ego prædictus Dux &c.*

206. Confirmat Collegium Clericorum & Studiosæ juventutis, erectum in Diœcesi Leodiensi, sub regimine S. J. ex bonis derelictis Monasterii deserti.

Anno 1600.

Colleg. Scotorum. 235. Erigit Romæ *Collegium Scotorum.*

236. Omnibus Mendicantium superioribus conceditur potestas mittendi Missionarios in Japoniam, Sinas & Indiam Orientalem, abrogato Gregorii XIII Decreto, quo solis Missionariis Societatis Jesu, exclusis aliis, potestatem dederat, in Japoniam trajiciendi; prohibet autem, ne quis ex Insulis Philippinis eo naviget.

144. Omnia Beneficia in regno Sardiniæ indigenis, atque in eo natis legitime, esse conferenda, statuit.

Anno 1601.

245. Cum Brabantiæ pars sita sit in Diœcesi Leodiensi, Brabantini autem prætenderent, se ad tribunal Episcopi Leodiensis evocari non posse, Pontifex suum apud Belgas Nuntium Judicem ordinarium ac Vicarium Apostolicum eis constituit.

S. Raymundus. 247. Canonizatio S. *Raymundi* de *Pennafort* Ord. S. Dominici; qui Decretales jubente Gregorio IX in ordinem redegit.

255. Prohibet, ne Episcopi Corsicæ utantur opera Regularium, extra claustra degentium.

257. Restituitur Rudolpho II Imperatori Jus Patronatus ad Præposituram Ecclesiæ Tridentinæ, sub onere singulis annis Cameræ Apost. solvendi libram ceræ.

260. Qui, non suscepto Presbyteratu, Missam legit, aut Confessiones audit, degradetur, si ordines susceperit, & curiæ sæculari tradatur.

Anno 1602.

282. Prohibetur tanquam falsa, temeraria, & scandalosa propositio, quæ dicit, licere per litteras, aut internuntium confessario absenti confiteri, & ab eo absente absolutionem sacramentalem recipere.

Confessio absentis.

286. Pro-

286. Proscribuntur iterum Caroli *Molinei*, damnatæ memoriæ hæretici scripta, omnesque facultates ea legendi, sive a Cardinalibus, Legatis a Latere, sive a Nuntio Apost. sive ab Episcopo, sive a S. Inquisitione concessæ, revocantur, ac prohibetur, nequis in posterum, quacunque dignitate & authoritate fulgeat, opera hujus auctoris legendi facultatem impertiat; exemplaria vero omnia jubentur comburi. Molinæi scripta nemini licet legere.

289. Declarat, Franciscanos strictioris observantiæ esse veros Regulæ S. Francisci observatores, licet superiores suos non *Ministros*, sed *Custodes* appellent.

292. Universitatem studii generalis Ferrariæ privilegiis auget.

295. Declarat, Clero sæculari in Hispania in associatione funerum, processionibus, & aliis actibus publicis, ante omnes Monachos & Fratres præcedentiam competere.

CAPUT XXVII.

SÆCULUM XVII.

Ex Tomi V Parte III.

Anno 1603.

Articulus I.

Clementis VIII.

300. Cum Greg. XIII opera summorum astronomorum Calendarium emendasset, non defuerunt, qui eam correctionem carperent, uti Franciscus Vieta, ac nova Calendaria procuderent erronea. Quare Clemens VIII Christophoro *Clavio* S. J. Bambergensi, qui jam tempore Gregorii XIII in correctione Calendarii insignem operam posuerat, negotium dedit, ut uberiorem Calendarii Gregoriani explicationem ederet; quam ille magna industria perfecit. Hanc explicationem Pontifex approbat, omniaque alia Calendaria abrogat, prohibetque. 129. Clavius Calendarium perficit.

303. Episcopus Egitaniensis in Lusitania varia dubia proposuit Pontifici. 1. An, supposita consuetudine, quod Ecclesiæ suæ Canonici possint ab ea abesse, longiori tempore, quam a Trid. sit præscri-

ptum, ipse Episcopus possit eam consuetudinem ad præscriptum Tridentini reducere? *Resp.* affirmative.

Plures casus resolvit. 2. An omnes Canonici possint simul abesse, utendo vacatione? *Resp.* negative; ne Ecclesia servitio defraudetur. Idem de aliis Beneficiatis.

3. An Canonici non impediti teneantur per se ipsos officio suo satisfacere? *Resp.* affirmative.

4. An Episcopus possit Canonicos cogere, ut in choro vocem extollant? *Resp.* posse Episcopum eos ad id hortari.

5. An Canonicus tempore Missæ solennis, seu Conventualis, vel horarum, aut concionis possit a choro recedere, celebrandi gratia, & nihilominus frui distributione quotidiana? *Resp.* affirmative.

6. An Canonicus, Administrator Fabricæ, sit exemptus a choro & servitio Ecclesiæ, & nihilominus distributiones percipiat? *Resp* negative. Teneri eum ad servitium Ecclesiæ, sicut alios Canonicos: secus privandum distributionibus, sicut alios non servientes.

7. An pueri cum cottis inservientes debeant habere 4 Minores, aut saltem primam tonsuram? *Resp.* convenire, ut saltem prima tonsura sint initiati.

8. An Canonici Episcopum cum Cappa ad Divina Officia in Ecclesiam progredientem comitari teneantur? *Resp.* teneri, si iter breve sit.

9. An ipsi in aliis Ecclesiis celebranti debeant adesse? *Resp.* posse Episcopum aliquos secum ducere, aliis in choro proprio remanentibus.

10. Qualis locus Vicario Generali competat? *Resp.* ei locum competere super omnes Capitulares, tam in Congregationibus Capitularibus, & Sessionibus, quam Processionibus, dummodo ibi Canonici sacris vestibus induti non incedant.

11. Consuetudinem esse, ut provisus aliquid pecuniæ contribuat: an hoc prohibendum? *Resp.* si pecunia impendatur Ecclesiæ, Episcopum prohibere non posse, bene vero, si in utilitatem privatam Canonicorum impendatur.

12. An Episcopus laicos cogere possit, ut in Processionibus certo loco, ordinate, & cum cereis accensis incedant? *Resp.* cogere non posse, sed hortari.

Plura alia dubia dictus Episcopus proposuit, ad quæ Papa, consulta Congregatione Cardinalium, *super Episcoporum & Regularium negotiis* deputata, respondit 1. Episcopum cum consilio capituli posse nova statuta condere, sed ea prædictæ Congregationi ad examen & approbationem esse transmittenda.

2. Sta-

2. Statutum, ut, qui 40 annos Canonicatum vel aliud Beneficium possiderit, liber sit ab omni servitio, & nihilominus omnia emolumenta percipiat, tolerari interim posse, casu autem particulari eveniente eandem Congregationem consuli posse. Alia dubia.

3. Non licuisse Capitulo fundationem mutare Sede Apost. non consulta.

4. Non licere Capitulum celebrare tempore Missae Conventualis, vel horarum.

5. Tertiam redituum partem in distributiones quotidianas ab Episcopo esse convertendam.

6. Distributiones quotidianas non obvenire illis, qui tribus mensibus, sibi permissis, absunt; cum illae tantum praesentibus debeantur.

7. Episcopum in visitatione ut suspectum recusari non posse.

304. Idem Episcopus continuat plura dubia proponere, quae tamen minoris videntur esse momenti.

308. Novos Religiosorum Mendicantium Conventus, nisi sine detrimento aliorum se alere possint, erigi ab Episcopo non posse. Vocandos proin & audiendos superiores aliorum Conventuum, omnesque, quorum interest. Posse autem Regulares appellare ad Sedem Apost. interim vero negotium suspensum maneat, donec illa pronuntiet.

311. Praesules in Polonia libere sententias suas in Senatu dicere posse, absque incursu censurarum, aut irregularitatis.

317. Lis erat inter Dominicanos & Augustinianos circa habitum interiorem album, utroque Ordine illum privative sibi vindicante. Pontifex utrique illum permittit; prohibet tamen, ne in publicum procedant sine habitu exteriore nigro, per quem satis inter se distinguerentur.

325. Prohibet parentibus, ne liberos nutricibus haereticis committant.

Anno 1604.

329. Jubet, bona in Hispania, a Philippo II alienata, restitui Ecclesiis: animamque ejusdem Regis Philippi, pridem mortui, a censuris absolvit.

334. Pius V Missale Romanum correxit. Irrepserunt postea per novas editiones aliqui errores: hos emendari jubet Clemens VIII, correctumque Missale edi. Aliter impressa prohibet.

335. Collegium Clementinum pro Nobilibus adolescentibus erigit, illudque committit Clericis Regularibus de Somascha. Colleg. Nobil. dat Somaschis.

336. Prio-

336. Prioratum de la Fleche ad preces Henrici IV Regis unit Collegio S. J. oneraque Prioratus in Ministeria S. J. commutat.

340. Episcopo Herbipolensi conceditur facultas, tres Canonicatus, pro Theologis a Julio III reservatos, conferendi Doctoribus Juris Canonici.

358. & seqq. Adhortatur Monaci Dominum, Remp. Genuensem, Ducem Sabaudiæ &c. ut Episcopo Ventimiliensi operam jungant in extirpandis usuris.

Anno 1605.

370. Confirmatur Congregatio Clericorum sæcularium, in communi viventium, Lucæ ab Episcopo erectæ.

373. Prioratum & Ecclesiam Parochialem Ord. S. Benedicti de Fenovillet unit Seminario Tholosano, a Card. Joyosa erecto.

374. Hospitali 300 cæcorum Parisiis, a S. Ludovico erecto, confirmantur sua privilegia.

Solis Litaniis Lauret. publice uti licet.

375. Solis *Litaniis*, in Missalibus, Breviariis, Pontificalibus & Ritualibus comprehensis, & quæ in S. æde Lauretana decantantur, uti licet. Aliæ vero ad Congreg. sacrorum Rituum mittantur, recognoscendæ, sine cujus licentia sunt prohibitæ.

Articulus II.

Leo XI.

Clementi VIII mortuo, 1 Aprilis 1605 successit Alexander Mediceus, Leonis XI assumpto nomine; qui tamen 27 tantummodo dies Thronum Apostolicum tenuit.

Quatuor is tantum Constitutiones edidit. In IV dirimit litem, inter Clerum sæcularem in regno Castellæ & Legionis & Societatem Jesu exortam, ratione decimarum; Paulus III, Pius IV, & Greg. XIII, Societatem penitus exemerunt a solvendis decimis, cum derogatione *Cap. Nuper.* Leo XI autem decidit, quod Collegia S. J. in regno Castellæ & Legionis ex acquisitis bonis vigesimam partem solvere debeant; ex iis autem, quæ deinceps per emptionem vel conductionem essent acquisituri, decimas præstent.

Articulus

Articulus III.

Excerpta ex Constitutionibus Pauli V.

Anno 1605.

Postquam mortuo Leone XI sedes vacavit dies 18, electus est Camillus Card. *Borghesius*, sub nomine Pauli V consecratus coronatusque 28 Maji 1605, edidítque Constitutiones permultas. 130

1. Confirmatur Metropolitæ Kioviensi, Hallicíensi & totius Russiæ potestas instituendi & consecrandi Episcopos Ruthenos.

2. Prohibet, ne Parochi in India majorem eleemosynam petant ob funera, quæ apud Regulares sepeliuntur, quam percepissent, si in Parochia fuissent sepulti.

6. Eximit Carmelitas a quarta funeralium.

20. Mensam Numulariam seu Banchum S. Spiritus de Saxia in urbe erigit.

Anno 1606.

30. Iterum Monachos S Basilii ad unam Congregationem reducit.

38. Indulgentias, Regularibus concessas, omnes revocat, novasque concedit. 1. Habitum induentibus. 2. Professionem emittentibus. 3. Cuivis Religioso in festo principali sui Ordinis. 4. In mortis articulo; si non potens confiteri & communicare, saltem animo contrito nomen Jesu devote pronunciet. 6. Primam Missam legenti, & aliis præsentibus Religiosis, aut eodem die Missam celebrantibus. 7. Spiritualia exercitia per 10 dies obeuntibus. 8. Visitantes suam Ecclesiam easdem obtinent, ac visitantes Ecclesias urbis. 9. Missionariis, ad terras Infidelium proficiscentibus. 10. In visitatione superiorum ad 40 horarum preces, si duabus saltem horis, continuis aut discontinuis iisdem intersint. In omnibus autem his casibus præsupponuntur confessio, communio, & consuetæ preces. Præterea conceduntur plures Indulgentiæ non plenariæ, uti illis, qui per mensem quotidie per mediam horam meditantur: qui quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam coram Altari suæ Ecclesiæ recitant &c.

Revocantur Indulgentiæ.

Novæ conceduntur.

45. Undecim Vicarii Cleri sæcularis Diœcesis Hildesiensis sub protectionem Magistratus hæretici concesserant; redarguit hoc Papa, & Archiepiscopo Moguntino mandat, ut eos compellat, litteras protectionis Magistratui illi remittere.

48. Revocat omnes facultates, superioribus Regularibus concessas, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Officium S. Inquisitionis pertinentes, mandatque, ut Religiosi suspectos de hæresi Inquisitioni, vel Episcopo viciniori denuntient, nec superiores id impedire possint.

54. Doctoribus Sorbonicis concedit facultatem utendi Rocheto & Superpelliceo, ad instar Canonicorum Cathedralium.

58. Ante Zvinglii tempora erant Constantiæ Religiosi, *Scoti* appellati, & Moniales, *Beguinæ* dictæ. Postquam civitas ad Zvinglianismum defecit, hæc Monasteria fuerunt eversa, sicut plures aliæ ædes Ecclesiasticæ, vel ad profanos usus applicatæ. Postquam dein urbs ad sacra Catholica rediit, Episcopus cum Magistratu Constantiensi transactionem super his iniit, quam Papa hic confirmat.

60. Post obitum Andreæ Cardinalis ab Austria, Episcopi Constantiensis, vacabat Præpositura Peris, olim Ord. S. Benedicti. Hujus fructus interim asservatos (11000 Florenorum, seu 570 circiter Ducatorum de Camera) Episcopus Argentinensis & Basileensis pro erigendo Seminario Clericorum applicari petunt. Quod eis Papa indulget.

Anno 1607.

65. Capitulum Salisburgense Familias Austriacam & Bavaricam a voce passiva Decreto quodam excluserat, ne videlicet persona ex illis duabus Familiis in Archiepiscopum eligeretur. Pontifex hoc Decretum suspendit.

Suspendit Decretum Capit. Salisb.

67. Paulus V superiore anno Venetorum Remp. Ecclesiastico Interdicto subjecerat, quod immunitatem Ecclesiasticam violasset; præterea Brandolinum Valdemarinum Abbatem, & Scipionem Saracenum, Vicentinum Canonicum, ob quædam prætensa delicta carceratos teneret. Cum autem Reges Galliæ & Hispaniæ per suos Oratores intercessissent pro Republica, quæ jam ex aliqua parte satisfecisset, & plenius satisfacere intenderet, Pontifex Cardinali Jojosa commisit, ut Venetias profectus, Rempublicam, si satisfactionem præstiterit, ab excommunicatione absolvat, Interdictum tollat, & ad Ecclesiæ Sacramenta restituat.

Causa Venета.

69. Mandat, ut nomine Cameræ Apostolicæ capiatur possessio Castri Campi Orseoli post mortem Scipionis Piccolominei, quia hoc feudum ad Ecclesiam Romanam revolveretur, cum careat filio.

74. Ernestus, Dux Bavariæ, Archiepiscopus Coloniensis, ut abusus, qui in Monasteria penetraverant, tolleret, decrevit, 1 ut

in

in die, quo assumitur sacer habitus, nullum instituatur convivium, nulla superioribus offerantur dona, nulla exigantur ornamenta cellæ vel cubiculi. 2. Die professionis permittitur prandium, sed ita, ut pro singulis Religiosis non plus computetur, quam medius Florenus, seu 12 albi, a parentibus numerandi. 3. Non præferatur Virgini pueruli Jesu statua, sed in summa ara exponatur ei in Sacramento sponsus Virginum. 4. Die professionis non adsint plures hospites quam 12 in convivio, absque profusione, pompa, musica, saltu, nec ultra tertiam proferatur. 5. Si plures sint Novitii vel Novitiæ, uno die professionem edant, ut tempus & sumptus redimantur. 6. Nulli Professo vel Professæ liceat testamentum condere, vel solenniores exequias ordinare, vel anniversarium fundare. Approbat Ordinationes Coloniensis circa Moniales.

Hæc statuta Archiepiscopi Papa approbat & confirmat.

88. Archiepiscopo Pragensi dat potestatem visitandi omnia Monasteria, quantumvis exempta per Bohemiam, ad restaurandam disciplinam labefactatam.

Anno 1608.

100. Canonizatio S. *Franciscæ* Romanæ, ex oblatis sororibus S. Benedicti Montis Oliveti. S. Francisca.

102. Greg. XIII prohibuit, ne Missionarii in Japoniam & Chinam mittantur sine speciali licentia Sedis Apost. Clem. VIII omnibus superioribus Regularibus eam concessit, sed ut per Lusitaniam tantum iter instituerent, præcepit. Paulus V iter per aliam etiam viam concedit in Indias.

109. Hispaniæ Regi dat potestatem imponendi censum bonis stabilibus Ordinum Militarium, S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara.

115. Congregationi *Fuliensi*, Ord. Cisterc. sicut alii Pontifices, sic etiam Paulus V nova dat privilegia.

119. Card. Lantes constituitur Protector Conventualium S. Francisci, ea lege, ut superiorum ordinis auctoritatem, quantum fieri potest, conservet, &, si illi officio suo satisfaciant, gubernio fratrum se non immisceat: requisitus auctoritatem suam interponat.

124. Jubet, ut fabricæ Ecclesiæ S. Petri, quæ jam per multos annos ingenti sumptu construitur, quot annis de eleemosyna, quæ occasione Indulgentiarum Cruciatæ percipitur, contribuantur decem millia Ducatorum de Camera.

Anno 1609.

131. Clemens VIII decreverat, ne Fratres Congregationis Joannis Dei (qui Fratres *de Misericordia* appellantur) sacros Ordines suscipiant. Paulus V autem concedit, ut in quolibet Conventu sit Sacerdos, qui spiritualia ministret, sine alio officio, Fratri superiori subjectus, sicut alii.

De Fratribus Misericordiæ.

132. Missi a superioribus suis ad determinatas Indiarum regiones, non raro instar Jonæ alio deflectebant. Papa hoc fieri sub excommunicatione prohibet.

133. Abbas Fuldensis jubetur non nullas Præposituras Decano suo restituere.

138. Quod Officiales & Vicarii Generales Episcoporum in Hisp. debeant esse in sacris ordinibus constituti.

142. Oblationes pro Terra sancta in alios usus etiam pios converti non posse.

Anno 1610.

151. Bulla Cœnæ in extenso proponitur.

153. Magistros linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Arabicæ a Regularibus in studiis suis esse habendos.

S. Carolus.

161. Canonizatio S. *Caroli Borromæi.*

163. Confirmantur Constitutiones Collegii Borromæi, a Card. Friderico Borromæo Papiæ erecti.

165. Greg. XIII. ordinaverat, ut Episcopi in India singulis septenniis synodum Provincialem celebrarent; sed quia hoc in tanta locorum distantia erat nimis difficile, Paulus V ad duodennium tempus prorogavit.

Anno 1611.

167. Confirmatur concordia, inter Academiam Conimbricensem, & Professores S. J. inita.

168. Monetur Patriarcha Maronitarum, ut ritus, ab Antecessore mutatos, præsertim circa consueta illi genti jejunia, licet in Ecclesia Latina non vigeant, restituat; & excommunicantur, qui eundem in exercitio suæ Jurisdictionis turbant.

171. Potestas Nuntii Apost. in Hungaria etiam ad Bohemiam extenditur.

174. Præcipit Capitulo Paderbornensi, ut Coadjutorem cum jure succedendi in Episcopatu eligat; quia imminerent pericula, si sedem vacare contingeret.

176. Idem mandat Capitulo Monasteriensi, ob eandem causam.

178. Col-

178. Collectas exigendas esse in loco bonorum sitorum, non vero in loco domicilii.

Anno 1612.

184. & seq. Nuntio Apost. datur facultas admittendi cessionem Wolfgangi Archiepiscopi Salisburgensis, & eundem ab illius Ecclesiæ vinculo absolvendi, atque ad novam electionem procedendi, assignata Wolfgango pensione annua 20000 Florenorum. Causa Salisb. contra Archiep.

Not. Causam hujus cessionis dedi Part. VIII pag. 23; quippe *Wolfgangus de Ratenau*, Archiepiscopus Salisburgensis, vir turbulenti ingenii, susceptis cum Maximiliano I, Bavariæ Duce inimicitiis, salinas turbaverat, & Ferdinandum, Maximiliani fratrem, possessione Præposituræ Berchtolsgadensis, lite Romæ pendente, dejecerat. Cum autem Dux cum milite Salisburgo immineret, cum Thesauris Ecclesiæ in Carinthiam fugit, sed retractus ex fuga, cum Capitulo alioquin invisus esset, Archiepiscopatum resignavit, electusque est *Marcus Siticus* ab Alt-Embs.

189. & seqq. continetur Reformatio Tribunalium urbis, eorumque officialium. Ubi multa de signatura Gratiæ & Justitiæ, de Camerario & Camera Apostolica, de Gubernatore urbis, ejusque Tribunali, de Auditore Cameræ, & ejus Tribunali, de Auditorio Rotæ, de Capitolio & ejus Officialibus, de Jurisdictione in Hebræos, de Curia Ripæ, de Judicibus in causis criminalibus & civilibus, de Sportulis, de Commissariis, de Advocatis & Procuratoribus pauperum, de Procuratore Fisci & Substitutis, de Advocatis, Procuratoribus, & Sollicitatoribus, de Notariis Tribunalium urbis, de Registris, Extractibus, & Copiis. De Cursoribus & Mandatariis, de Executoribus, de Custodibus & Visitatoribus carcerum. Hos saltem nominare visum, quia multæ de illis Constitutiones etiam aliæ a diversis Pontificibus sunt editæ; quas tamen ad nos minus pertinere existimavi.

191. Determinatur prædictorum Officialium Notariis Taxa, ut etiam Taxa Sigilli.

192. Nuntio Coloniensi data facultas conferendi in Westphalia & Aquisgranensi districtu Beneficia, Mense Papali vacantia.

195. Monetur Marcus Siticus, Archiepiscopus Salisburgensis, ut quædam Statuta & Pacta Capituli, quamvis jurata, non observet, eo quod essent Juribus Archiepiscopi contraria.

197. Monetur Nuntius, ut Canonicis juramentum, prædicta statuta servandi, relaxet.

198. Sigismundo III Poloniæ Regi conceduntur subsidia Ecclesiastica, sponte oblata, pro bello contra Moscos.

200. & seqq. Confirmatur electio Marci Sittici. Quod Mathiæ Cæsari & Suffraganéis Salisburgensis Provinciæ intimatur. Clerus, populus, vasalli jubentur eum agnoscere, & obedientiam præstare. Vivebat nempe adhuc in custodia Ratenavius; de cujus renuntiatione & electione Marci varius erat sermo. Marcus ad cautelam absolvitur a censuris.

203. Etiam mulieribus prohibetur ingressus in Claustra Monialium, & omnes facultates abrogantur.

Anno 1613.

208. Confirmatur electio & coronatio Mathiæ Imperatoris.

210. Mathiæ Imperatori Jus Primarum Precum, seu nominandi ad Beneficia, primo vacatura, conceditur.

225. Administratio scholarum ad pauperes gratis instruendos tribuitur Clericis sæcularibus B. Mariæ, ac deinceps Congregatio *Matris Dei* nuncupetur.

Anno 1614.

230. Nuntius Apost. apud Sabaudiæ Ducem deputatur Judex omnium causarum in secunda Instantia pro quibusdam locis.

232. Publicatio Ritualis Romani, præceptumque illud observandi.

237. Facultas data Nuncio Inferioris Germaniæ visitandi civitatem & Diœcesin Moguntinam.

Anno 1615.

Contra Tyrannicidas. 241. Confirmatur Decretum Concilii Constantiensis contra asserentes, licere Tyrannum occidere.

244. Confirmatur studium generale, Paderbornæ ab Episcopo Theodoro erectum sub regimine Societatis Jesu.

245. Ludovico XIII Regi Christianissimo conceditur ad vitam Indultum nominandi ad Ecclesias & Monasteria in Minore Britannia & Provincia Provinciæ.

247. Prohibetur Ecclesiasticis in Dominio Archiducis Austriæ, ne bona hæreticis locent.

253. Capella Burghesiana cum sacra Imagine B. V. M. ad S. Mariam majorem transfertur ad novam Capellam, ibidem erectam.

256. De ritibus, & ceremoniis, ab Episcopis & Clero Rutheno observandis.

Anno 1616.

262. Innovantur Constitutiones Sixti IV & Pii V de Conceptione B. V. M. editæ. Asperantur pœnæ in transgressores.

267. Con-

267. Congregatio Fratrum Joannis Dei, per Italiam, Germaniam, Galliam, Poloniam propagata, erigitur in Ordinem Religiosum, sub tribus votis substantialibus, & quarto de juvandis infirmis, sub Regula S. Augustini. Ordo Joannis Dei.

268. Erectio Congregationis Pauperum Matris Dei *Scholarum Piarum* ad erudiendos pauperes scholares.

Anno 1617.

274. Prohibetur omnibus personis Ecclesiasticis, saecularibus & regularibus, in civitate & dominio Veneto, ne quandam collectam, absque facultate Sedis Apost. impositam persolvant. Clerici ne solvant collectas.

275. Prohibet iterum, ne B. V. M. in actibus publicis cum peccato originali concept a diceretur.

281. Prohibetur, nequis in Statu Ecclesiastico bona alienet in exteros, absque speciali facultate Sedis Apost. in scriptis obtenta.

284. Mandatur Nuntio Apost. ut visitet civitatem & Dioecesin Bambergensem.

Anno 1618.

288. Thomas a Villa Nova declaratur Beatus,

289. Uti etiam Philippus Benitius,

290. Et Paschalis Baylon.

Anno 1619.

292. Indictio Jubilaei pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus.

293. Irrita declaratur impositio vectigalis, in quibusdam castris ad Patriarcham Aquilejensem spectantibus, a Senatu Veneto facta.

295. Congregatio Fratrum Joannis Dei declaratur subjecta Jurisdictioni ordinariorum.

302. Beatificatio Francisci Xaverii cum facultate de eo celebrandi Missam & recitandi officium die 2 Dec.

303. Ferdinandus II Imperator ad cautelam absolvitur ob amotionem Cardinalis Cleselii ab aula Caesarea. *Historiam vide Part. VIII hujus apparatus.*

Anno 1620.

305. Sex Decimae imponuntur omnibus per Italiam fructibus & pensionibus Ecclesiasticis, in bonum Germaniae & Bohemiae.

307. Confirmatur electio Ferdinandi II in Imperatorem Romanorum.

310. Eidem conceditur Jus Primarum Precum.

312. Impositio Decimae per Germaniam pro Religionis defensione, uno tantum anno persolvendae.

315. Institutio Congregationis Piorum Sacerdotum Oratorii Jesu in Francia.

316. Confirmantur Constitutiones Congregationis Oratorii, a B. Philippo Nerio in urbe fundatæ.

His Constitutionibus editis obiit Paulus V Pontifex 28 Jan. 1621, & vacavit sedes diebus XI, electusque est Greg. XV.

Articulus IV.

Excerpta in Constit. Greg. XV.

Anno 1621.

131. S. Isidorus. *Constit.* 1. Canonizatio *Isidori Agricolæ*, Matritensis.

Congr. S. Mauri. 10. Plures Patres ex Ord. S. Benedicti in Gallia, zelo reformandi Disciplinam accensi, celebrem *Congregationem S. Mauri*, ad instar Cassinensis instituerunt, sub Vicario Generali, natione Gallo. Hanc Congregationem, ex qua deinceps multi viri docti prodierunt, Greg. XV approbavit, & privilegiis Cassinensis Congregationis ornavit.

22. Proceribus Galliæ sub pœna excommunicationis prohibetur, ne rebellibus adversus Ludovicum Regem adhæreant.

27. & 28. Conceditur Nuntio in Gallia potestas colligendi ab Ecclesiasticis subsidia pro Ludovico Rege contra hæreticos rebelles.

Acad. Pampel. 32. Pampelonæ erigitur studiorum universitas, cui Pontifex privilegia, aliis Academiis consueta, largitur.

34. Ecclesiasticis Siciliæ concedit, ut non nullas pecunias Donativi loco Philippo IV Regi offerant.

Eborensis. 39. Henricus Cardinalis ac postea Rex Lusitaniæ *Academiam Eborensem* fundavit, eamque Societati Jesu gubernandam tradidit; sed cum Archiepiscopus Jurisdictionem illius varie attentaret, Greg. XV eandem cum omnibus privilegiis & exemptionibus confirmavit.

41. Formam modumque eligendi summum Pontificem præscribit. Sed hoc Decretum ad annum sequentem uberius descriptum recurret.

45. Nemo habitum Capucinorum sibi vindicet vel usurpet.

48. Ludovicum XIII Regem Francorum admonet, ut occurrat malis, quæ patitur Ecclesia ex pestilentibus libris, qui in Gallia imprimuntur.

49. Congregationes Augustinianorum Discalceatorum uniuntur.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Aliæ Constitut. Sec. XVII. ex Parte IV. Tom. V.

Excerpta.

Articulus I.

Ex Constitutionibus Gregorii XV.

Anno 1622.

51. Ordinationem Tridentini de approbatione Episcopi ad curam animarum exercendam necessaria innovat inculcatque, ita, ut sine illa nullus Regularis confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire possit. Ad audiendas vero confessiones Monialium specialem requiri Episcopi approbationem & licentiam declarat. Cum autem Episcopis tanquam Sedis Apost. Delegatis novam in Regulares, etiam exemptos potestatem tribuisse videretur, Congregationi Concilii varia proposita sunt dubia: ut

1. An liceat Episcopo visitare Ecclesias Regularium, in quibus asservatur Eucharistia & audiuntur confessiones sæcularium? *Responsum* fuit a S. Congreg. *negative*, si sint exemptæ. Resolvuntur plures quæstiones de potestate Episcopi in Regulares.

2. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum locis, certis temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias eorum privilegia restringere ac moderari in Sacramentis administrandis? *Resp. negative*: hac in parte Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem in Regulares Episcopis tribuisse.

3. An facultas in exemptos per Constitutionem Episcopis attributa, intelligitur etiam attributa in personas nullius Diœcesis? *Resp. negative.*

4. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? *Resp. negative.*

5. An per verba Constitutionis, *possit Episcopus cum superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum electionibus per se vel alium interesse ac præsidere*, Episcopis datum sit jus confirmandi Abbatissas? *Resp. negative.*

6. An confessarii Monialium, jam ante Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari & approbari? *Resp.* ordinarios confessarios ante triennium elapsum non debere examinari.

7. An superiores Regulares indigeant approbatione Episcopi ad audiendas confessiones Monialium, sibi subjectarum? *Resp.* non indigere, si jam ante Constitutionem habuerint officium superioris ac confessarii, bene vero si postea illud consequantur. Secus absolutiones nullas fore, prout Resp. ad dubium 8.

9. An Regulares generaliter approbati ad audiendas confessiones secularium indigeant speciali approbatione pro audiendis Monialibus, sibi subjectis? *Resp. affirmative.*

10. An approbati pro uno Monasterio censeantur etiam approbati pro alio? *Resp. negative.*

11. An confessarius extraordinarius Monialium approbatus pro una vice in anno possit sæpius eas audire? *Resp. negative.*

12. Dicitur in Constit. quodsi superior Regularis, ab Episcopo monitus, confessarium Monialium aut administratorem bonorum non amoveat, ipse Episcopus possit eum amovere. Quæritur, an causam hujus amotionis debeat superiori Regulari significare? *Resp. negative.* Oneratur tamen conscientia Episcopi, ut in hac re caute procedat.

13. Datur item potestas Episcopo puniendi delicta, a Regularibus vel sæcularibus circa personas, intra septa Monasterii Monialium commissa, puniendi. Quæritur, an hæc delicta debeant esse notoria? *Resp. negative.*

14. An Regularis in loco, colloquiis destinato, absque licentia cum Moniali colloquens, ab Episcopo puniri possit? *Resp. affirmative.*

Hæc S. Congr. Responsa ab ipso Papa Greg. XV fuerunt approbata, & postmodum etiam ab Urbano VIII.

Modus eligendi Papam.

52. Constit. continetur forma eligendi summum Pontificem. Videlicet 1 defuncto Papa per 9 dies fiunt exequiæ. 2. His finitis fit in templo Invocatio S. Spiritus, habeturque per Card. vel alium oratio. 3. Exequiis peractis ex Ecclesia processionaliter itur ad Conclave. Primi incedunt familiares Cardinalium, dein Cantores, intonantes *Veni Creator Spiritus*: sequuntur Cardinales, primum Episcopi, dein Presbyteri, demum Diaconi. 4. Ubi ad Conclave perventum Decanus habet orationem. 5. Omnes jurant, se observaturos, quæ circa Conclave & electionem statuta sunt. 5. Exclusis illis, qui ad Conclave non pertinent, illud intus & foris clauditur. In Conclavi autem remanere possunt Familiares Cardinalium & Ministri Conclavis. 6. Circa colloquia, litteras, cibos observanda, quæ Pius IV statuit.

7. Qui

7. Qui non habet saltem Ordinem Diaconatus, caret voce activa; non autem is, cui os clausum est; quia clausura oris est tantum ceremonia extrinseca, qua novi Cardinales docentur modestiam, antequam in Consistoriis & Congregationibus suffragium ferant. 8. Mane sequenti campanula convocantur Cardinales ad Missam, sub qua communicant, statimque proceditur ad negotium Electionis. 9. Hæc triplici modo peragi potest: 1. per *quasi Inspirationem*, e. g. si unus ex Cardd. sine ullo prævio tractatu diceret: *ego hunc eligendum existimo, eumque eligo*, & reliqui omnes, nullo excepto, consentiant per vocem *eligo*. Per Inspirationem.

2. *Per compromissum*, quod fieri debet, nullo ex Cardinalibus dissentiente. Possunt autem Cardinales formam, modum, tempus Compromissariis præscribere, e. g. si tres elegerint, possunt definire, an omnium trium consensus in unam personam requiratur, an vero sufficiant duo suffragia &c. Per compromissum.

3. Per *scrutinium* secretum, qui est ordinarius eligendi modus. Distribuuntur autem Cardinalibus commode præparatæ schedulæ, quibus inscribunt nomen suum proprium, & nomen illius, quem eligunt, e. g. *Ego Cardinalis Robertus Bellarminus eligo in summum Pontificem Cardinalem Cæsarem Baronium.* Schedula complicatur, & sigillatur, atque a Cardinale defertur ad altare, penes quod stant scrutatores, ibique jurat in hanc formam: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo.* Quo facto schedulam mittit in calicem magnum, super altare stantem. Ad infirmos autem acceditur. Per scrutinium.

60. Palam numerantur schedulæ, quæ si numero Cardinalium non respondeant, omnes comburuntur, & fit novum scrutinium. Si autem correspondeant, fit *publicatio scrutinii*, hoc modo: primus scrutator accipit ex calice schedam, eamque legit in silentio, atque secundo scrutatori legendam tradit, hic tertio, qui alta voce nomen electi legit, ut Cardinales in scheda, omnium Cardinalium nomina complectente, quam singuli ante se habent, suffragium electi notare possint. Dein primus scrutator alteram schedam ex calice extrahit, & eodem modo circa singulas schedas proceditur. Omnesque schedulæ inseruntur in filum.

61. Si quis duas suffragiorum tertias pro se habeat, peracta est electio Papæ. Sin vero, primus actus post scrutinium est *accessus*, in quo omnia peraguntur, sicut in scrutinio, sic tamen, ut non liceat Cardinali suffragium dare alicui, qui nullum in scrutinio votum est nactus, nec illi, qui ab ipso suffragium habuit. Si autem quis nulli

ex illis, qui habent suffragium, vellet accedere, scribere deberet in schedula: *Nemini*. Sequitur numeratio suffragiorum, quæ quilibet obtinuit in scrutinio & accessu simul. Si plures per scrutinium & accessum simul accepissent duas tertias, vel etiam plura, ille erit Papa, qui vel unico suffragio alios superat. Atque hæc omnia in singulis scrutiniis observari jubet Greg. XV.

S. Theresia. 63. Canonizatio S. Theresiæ Virginis, tam Fratrum quam Monialium Carmelitarum Discalceatorum Fundatricis.

65. Beatificatio Petri de Alcantara, Ord. Min. strictioris observantiæ Discalceatorum.

66. Festum S. Annæ sub præcepto colendum.

Congreg. de Propaganda Fide erecta. 68. Erigit S. *Congregationem de Propaganda Fide*, cum magna potestate & privilegiis gubernandi Missiones & Missionarios. Reditus attribuuntur ex Camera Apost.

Revocantur privilegia Vivæ vocis oraculo concessa. 73. Revocantur omnia privilegia Vivæ vocis oraculo quibuscunque concessa, exceptis iis, quæ Cardinalibus sunt concessa.

74. Prohibetur, ne hæretici in Italia, & adjacentibus Insulis domicilium, quocunque prætextu figant.

78. Paulus V prohibuerat, ne in actibus publicis asseratur, B. V. in peccato originali fuisse conceptam. Greg. XV hanc prohibitionem etiam ad actus & colloquia privata extendit, scriptaque quæcunque. Fratribus tamen Ord. Prædic. concedit, ut privatim inter se ipsos tantum de ea materia possint differere.

Denuntiatio sollicitantium. 83. Confirmatur & ampliatur Constitutio contra Sacerdotes, quoscunque pœnitentes ad turpia sollicitantes, sive inter se sive cum aliis quomodolibet, perpetranda, sive in confessione, sive antea sive immediate post, seu occasione vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra confessionem in confessionali, aut loco quocunque, quo confessiones sacramentales audiuntur, si inhonestos ibi sermones aut tractatus habuerint. In hos S. Officii Inquisitores & locorum ordinarii diligenter inquirant, & reos severissime plectant, privatione Beneficiorum & inhabilitate ad illa, & pro delicti qualitate condemnatione ad triremes, aut perpetuos carceres, aut pro delicti enormitate, præcedente degradatione, sæculari curiæ tradendo. Confessarii vero monentur, ut quas personas sollicitatas noverint, ad denuntiandum obligent Inquisitioni vel ordinario.

84. Fratribus Jesuatis S. Hieronymi conceditur facultas, audiendi confessiones tantum in Ecclesiis Parochialibus suæ Congregationis.

Colleg. Angl. Olyssipone. 86. Olyssipone Collegium Anglicanum fundatur, & confirmatur.

91. Epi-

91. Episcopatum Parisiensem in Archiepiscopatum erigit, eique Suffraganeos subjicit, Carnotensem, & Meldensem, qui, sicut & ipse Parisiensis, ad Senonensem Metropolitanam Ecclesiam antea spectaverant. Archiep. Parisiensis.

94. Instituit Festum S. Joachim, sub Ritu Duplici 20 Martii celebrandum.

100. Supprimuntur aliquot Monasteria in ditione Henrici Ducis Condei, & pro illis erigitur Collegiata Ecclesia & Collegium S. J. ad preces ejusdem Ducis, cui omnia Monachorum bona traduntur, cum onere dictam Ecclesiam & Collegium fundandi, construendi & dotandi, Monachis vero, quibus votum paupertatis & obedientiae relaxatur, providendi.

102. Revocantur omnes facultates, etiam a Rom. Pontificibus concessae, retinendi aut legendi libros prohibitos; nec deinceps ejusmodi licentiae concedantur, nisi a Congreg. S. Officii, quae singulis hebdomadis coram Pontifice habetur.

Anno 1623.

108. Instituit Festum S. Brunonis sub Ritu Semid.

110. Sortilegos, maleficos, & omnes cum diabolo pactum habentes, Episcopo denuntiari jubet.

115. Erectum a Card. Aldobrandino Novitiatum pro Fratribus Jesuatis S. Hieronymi confirmat, ad reformandam disciplinam.

Obitus Greg. XV.

Editis his aliisque Constitutionibus obiit Alexander Ludovisius, Greg. XV 8 Jul. 1623 tertio Pontificatus sui anno, aet. 70. Ejus corpus, sepultum primo in Vaticano, postea translatum est ad Collegii Romani Societatis Jesu Ecclesiam, quam ejus Nepos Ludovicus Ludovisius Cardinalis magnifico opere exstrui curavit, in honorem S. Ignatii, quem patruus Greg. XV inter sanctos retulerat. Elogium.

Tanta autem Greg. brevi Pontificatus sui tempore gessit, ut dimidium seculum implesse videretur. Romam annonae caritate liberavit: pauperibus novo xenodochio prospexit. Vallem Telinam in Depositum recipiendo grave bellum inter Franciam & Hispaniam avertit. Max. I Bavariae Dux ei vexilla, in pugna Pragensi capta, & postea Bibliothecam Heidlbergensem, Orientalium praesertim linguarum Manuscriptis librisque celebrem, ad Bibliothecam Vaticanam transmisit.

Sancti Ignat. Xaver. Petrus de Alcant. Phil. Nerius. In sanctorum numerum retulit, eadem die Isidorum Agricolam, Ignatium Loyolam, Franc. Xaverium, Theresiam, Petrum de Alcantara, Philippum Nerium.

Cum ante Pontificatum Nuntium ageret Apost. apud Ducem Sabaudiæ, Lesdiguerius, Dux Gallus, ei promisisse fertur, se Catholicum fore, quando Ludovisius foret Papa. Stetit promissis.

Electio Urbani VIII.

132. Undecimo ab obitu Gregorii die Cardinales ingressi Conclave, 6 Aug. elegerunt Maphæum Barberinum Florentinum æt. anno 55, assumpto Urbani VIII nomine, conspicuum.

Articulus II.

Excerpta ex Constitutionibus Urbani VIII.

Anno 1623.

1. Concedit pro more privilegia illis, qui in Conclavi inservierunt.

2. 3. & 4. Exhibentur Bullæ Canonizationis SS. Philipi Nerii, Ignatii, & Xaverii.

9. Regulæ Cancellariæ, quas postea exhibebo.

21. Militibus Ord. Teutonici eadem conceduntur privilegia, quibus gaudent Melitenses.

Anno 1624.

35. Dum Papa super Regno Siciliæ Philippo IV Hispaniarum Regi Investituram impertitur, concedit, ut cum eodem retinere possit Ducatum Mediolanensem; quod Julius II interdixerat.

44. Rex Hispaniæ ejusque Ministri absolvuntur a censuris, quas ob exactum quoddam vectigal a personis Eccles. absque Sedis Apost. licentia, incurrissent.

46. Greg. XV Congregationem Benedictino-Helveticam a Jurisdictione Ordinariorum exemerat. Hanc exemptionem Urbanus confirmat.

56. Confirmat Constitutiones Pii V & Sixti V, de solvendis Cameræ Apost. Annatis, communibus, quindenniis, & aliis juribus.

Ducatus Urbinii ad Cameram. 63. Cum obiisset sine liberis masculis Franciscus Maria de Rovere *Dux Urbini*, devolutus est Ducatus cum appertinentibus secundum litteras infeudationis ad Ecclesiam Romanam, Dominum Directum. Quare Urb. Papa Inventarium confici jubet.

66. Epi-

66. Episcopo Eustettensi addicuntur per totam Dioecesin Decimae unius anni, ab omnibus Ecclesiasticis, saecularibus & Regularibus solvendae, in subsidium belli.

68. In suspensione Indulgentiarum pro anno Jubilaei indicti non comprehenduntur Indulgentiae Portiunculae.

71. Beatificatio Jacobi de Marchia Ord. Min. S. Francisci de observantia.

74. Datur potestas Nuntio in Polonia procedendi contra Ecclesiasticos cujuscunque dignitatis, qui adversus Regem suum Sigismundum conspiraverint.

77. Statuuntur & declarantur aliqua circa Regulares. 1. Nullum posse ad strictiorem ordinem transire, nisi prius constiterit, eum esse recipiendum. Tum vero recta eo se transferat. 2. Fugitivos & apostatas, sive cum habitu, sive sine illo vagentur, ab Episcopis incarcerentur, & superioribus consignentur, secundum Regularia statuta puniendi. 3. Nullus ejiciatur, nisi sit vere incorrigibilis. 4. In jejunio & poenitentia prius per annum probetur in carcere. 5. Ejecti subjiciuntur ordinario. 6. Perpetuo suspensi ab exercitio SS. Ordinum. De apostatis.

Confirmat etiam Bullam, a Clemente VIII pro reformatione Regularium editam, ad omnes ordines cujuscunque Instituti directam, qua sancit 1, ut nullus sit exemptus a Choro, nequidem Generalis, si non sit impeditus suo officio, nec lectores aut concionatores, nisi diebus, quibus legunt, aut praedicant; his enim solis cum illis dispensari posse. De Regularibus.

2. Lectio S. Scripturae aut casuum conscientiae bis in hebdomade in singulis Monasteriis habeatur. 3. Omnia, quae Religiosi quocunque titulo acquirunt, statim Conventui incorperentur. Nec possit superior etiam depositi aut custodiae nomine bona immobilia concedere. 4. Neque mobilia ut propria habeant. 5. In victu & vestitu sit uniformitas, nihil superflui, & ex communi suppeditetur.

6. In Conventu non sint plures, quam commode sustentari valeant. 7. Nullus, nisi actu legat aut praedicet, ullo Gradus sui privilegio gaudeat. 8. Clausura accurate servetur, & janitor portae semper assistat. Nullus sine licentia & socio exeat, reversusque rursus superiori se sistat. 9. Nullus Romam eat, nisi a Generali aut Protectore licentiam in scriptis obtinuerit. 10. Superior clavem habeat ad omnes cellas, nec ullus etiam de nocte illam ita obserat, ut a superiore reserari non possit. 11. Nulli in privatis cellis caminus permitta-

tur,

tur, nisi Superiori & Prædicatori. 12. Nullæ sint fenestræ, ad vicinorum ædes prospectantes.

Reservatio Casuum.

Idem Clemens VIII Decretum edidit, ab Urbano VIII hic approbatum, quo prohibetur, ne superiores Regulares alia peccata sibi reservent, quam sequentia, quæ ab eo enumerantur, uti sunt.

1. Veneficia, incantationes, sortilegia.

2. Egressio nocturna ac furtiva e Monasterio.

3. Proprietas, quæ sit peccatum mortale, & perjurium in Judicio.

4. Auxilium vel consilium ad procurandum abortum fœtus animati etiam effectu non secuto.

5. Falsificatio sigilli: & furtum de rebus Monasterii, quod sit peccatum mortale.

6. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.

7. Occisio, vulneratio, aut gravis percussio cujuscunque personæ.

8. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum superiorum ad inferiorem, aut inferiorum ad superiorem.

Præter hos octo casus nulli reserventur, nisi in Capitulo Generali vel Provinciali.

Statutum præterea 1 ne superiores audiant confessiones subditorum, nisi habeant casus reservatos, aut ultro petant audiri. 2. In singulis Domibus pro numero personarum constituantur duo vel tres, qui absolvant a non reservatis, & etiam ab his pro casu occurrente, in quo sibi committendam potestatem ipse præsertim Confessarius existimat. 3. Superiores ne utantur ad gubernationem ea notitia, quam ex confessione hauserunt. 4. Possunt tamen superiores graviores determinare pœnitentias, quæ a confessariis imponantur. 5. Si superior facultatem absolvendi a reservato negaverit, poterit tamen Confessarius pro ea vice absolvere.

89. Beatificatio Francisci Borgiæ S. J. Generalis.

93. Pœnæ in male ordinantes & ordinatos.

Colleg. Hibernorum Lovanii.

94. Lovanii erigitur Collegium Hibernorum.

Anno 1625.

96. Oratorio Berulliano conceduntur privilegia Oratorii Neriani.

100. Papa nocte Nativitatis Domini ensem & pileum solet benedicere, atque alicui Principi, de Ecclesia bene merito, donare; & hoc quidem anno donavit Uladislao Poloniæ Principi, ob res fortiter gestas contra Barbaros, Romæ tunc ob Jubilæum præsenti.

107. Eri-

107. Erigitur Provincia Bavarica Ord. Min. S. Francisci de Observantia Reformatorum.

115. In translationibus Episcoporum tempus vacationis computandum a die, quo in Consistorio absolvitur a vinculo suæ Ecclesiæ.

118. Prohibet, ne imagines necdum beatificatorum proponantur cum radiis, aut splendore, aut tabellæ vel lumina ad sepulchrum ponantur.

127. Facultatem absolvendi ab hæresi & aliis casibus Bullæ Cœnæ, particularibus personis a Papa vel S. Officio concessam, non comprehendi in suspensione pro anno sancto declarat.

129. Beatificatio Andreæ Avellini Theatini.

132. Tractat de numero Missarum non reducendo absque facultate Sedis Apost. tametsi fundatio aut stipendia sint incongrua, revocanturque omnia indulta contraria. Non licet, stipendii parte retenta, alteri Missas legendas committere pro minore stipendio: nec plures assumere Religiosos, quam Conventus possit alere. Non tamen pauciores sint, quam 12; secus Monasteria visitationi & jurisdictioni Episcopi subjecta sunto. Sed hæc jam alias delibavimus una cum responsis ad dubia proposita. **Missæ non reducendæ.**

138. Erectio Collegii *Maronitarum* de Monte Libano in urbe. **Colleg. Maronitarum.**

142. Absolvit Regem Hisp. ejusque Ministros a censuris, incursis ob certum vectigal, ab Ecclesiasticis ultra sexennium, a Paulo V concessum, exactum.

143. Capitulum Generale Ord. Prædicatorum quovis sexennio celebrandum.

148. Nemo Romæ degens alio mittat libros imprimendos, sine Cardinalis Vicarii, & Magistri sacri Palatii facultate: degens vero extra urbem sine licentia ordinarii, & Inquisitoris.

149. Beatificatio Felicis a Cantalicio Ord. Min. S. Francisci Capucinorum.

152. Bona Jurisdictionalia, ad Ecclesiam vel locum pium spectantia, in feudum aut emphyteusin ne concedantur, neque ultra triennium locentur, nec locatio prorogetur.

155. Festum S. Bernardi servandum de præcepto in Dominiis Reip. Genuensis.

166. Confirmatur Constitutio Greg. XV de Electione summi Pontificis.

Anno 1626.

167. Congregatio Fratrum Reformatorum Conventualium Ord. S. Francisci supprimitur, eisque, ut ad alias propagines Ord. S. Francisci transeant, conceditur. Bona vero eorum Conventualibus attribuuntur.

170. Prohibetur, nequis librum aut Manuscripta ex Bibliothecis Fratrum Prædicatorum extrahat, aut extrahi permittat. (*Tali præcepto etiam aliæ Bibliothecæ indigerent, quæ ingenti cum detrimento distrahuntur.*)

172. Declarat, S. Elisabetham, Reginam Portugalliæ, tertium Ordinem S. Francisci expresse fuisse professam.

173. Jussu Pauli V Card. Bellarminus, assistentibus Procuratoribus Ord. S. Benedicti, antiquum Breviarium & Missale ejusdem Ordinis reformavit, novumque edidit, ab eodem Paulo V approbatum; verum cum difformitas oriretur, aliis veteri, aliis novo utendum censentibus, res delata est ad Urbanum VIII, qui, ut novo utantur, præcepit, ex quo semel ab initio est acceptatum.

174. Beatificatio Mariæ Magd. de Pazzis.

181. Cum bona Collegii Helvetici, quod Mediolani est erectum, sæpius invaderentur, Rector Collegii supplicavit Pontifici, ut de remedio provideret. Is igitur Collegii Protectores ac Defensores constituit Episcopos, Laudensem & Comensem, Pœnitentiarium item & Archipresbyterum Mediolanensem.

Articulus III.

Excerpta ex Tomi VI. Parte I.

Ex Constitut. Urbani VIII.

Anno 1626.

133. *Constit.* 184. Judicibus urbis dat potestatem, reos, qui de furto confessi sunt, etiam de aliis furtis, licet de illis diffamati non fuerint, in genere interrogandi.

195. Episcopo Uratislaviensi committit, ut confirmet Collegium & studium generale, Societati Jesu Nissæ in Silesia erectum a Carolo & Leopoldo Archiducibus Austriæ.

196. In-

196. Indulget Ecclesiasticis Regni Sardiniæ, ut possint subsidium pecuniarium Regi Catholico contribuere.

203. Confirmat Decretum Ordinis Melitensis, quo Nobiles etiam Helveti ad Ordinem illum Equestrem & Commendas admittuntur.

Anno 1627.

211. Tollitur abusus festo S. Marci immittendi in templum ferocem taurum.

216. Episcopo Japoniæ datur potestas procedendi contra Regulares, non parentes Decretis Congreg. de Propaganda.

219. Promulgatur Bulla Cœnæ.

223. Laureti erigitur *Collegium Illyricum* sumptibus sacræ Domus, sub directione Societatis Jesu. Jam Greg. XIII illud fundaverat pro 30 juvenibus Illyricis. Redactum dein fuit ad 12, qui Romam translati sunt. Urbanus VIII rursus Lauretum reduxit, atque sub regimine ejusdem Societatis ad 36 adauxit. Jus autem determinandi & mittendi personas Ecclesiis Illyricis concessit. Colleg. Illyr. Laureti.

225. Greg. XIII etiam Pragæ ejusmodi Collegium erexerat, sed morte interveniente pia ejus intentio ad effectum non pervenerat. Pragense. Cum autem dein Hussitarum aliorumque hæreticorum furoribus sacra omnia ac profana fuissent deformata, Urbanus VIII pro 20 Alumnis illud ex Apost. sua Camera de novo fundavit, sub Clericorum Societatis Jesu gubernatione, cujus in hoc educandorum, instituendorumque adolescentum munere diligentiam, fidem, integritatem, & in aliis hujusmodi Collegiis satis esse perspectam ait. Attribuit autem pro eorum sustentatione in annos singulos 1530 taleros: voluitque, ut ex illis 20 Alumnis octo essent Bohemi, tres Silesii, duo Lusatii, duo ex utroque Palatinatu, duo ex Marchia Brandeburgica, duo ex utraque Saxonia, unus ex Hassia.

226. Similiter confirmat *Alumnatum Viennensem*, a Greg. XIII cœptum, sub cura Societatis Jesu, pro 20 Alumnis, quorum septem Alumnatus Vienn. sint ex Austria Superiore, septem ex Inferiore, duo ex Vallesia, duo ex Rhœtia, & duo Bernenses. Attribuit autem illis pro annis singulis ex Camera Apost. 1380 scuta Romana. Si jam consideremus insuper Collegium Germanicum, Romæ erectum, Alumnatum *Dilingamum* pro Superiore Germania, *Coloniensem* pro Inferiore seu Rhenana, &c. facile assequi possumus, quantum singulis annis pecuniarum Sedes Apost. impendat pro salute solius Germaniæ. Diling. Colon.

227. Quod Capucini vere sint Fratres Ord. Minorum S. Francisci, ac ex illius vera & nunquam interrupta linea descendant, sub illus regula militent & militarint.

232. Reservationes pensionum, Beneficiis Ecclesiasticis impositarum, revocat, (exceptis iis, quas Patronus laicus sibi reservavit) uti etiam Indulta, ejusmodi pensiones, etiam ad pias causas, imponendi, licet sint temporales tantummodo.

Colleg. Urbanum de Propag. Fide.

233. Erigitur Romæ Collegium *Urbanum* de Propaganda Fide, fundatore Joanne Bapt. Vives, Isabellæ Claræ Eugeniæ, Belgii Principis Legato. Alumni ex omni Natione assumi possunt, qui studiis confectis, sacris Ordinibus initiati ad partes Infidelium se conferant, ad eos convertendos.

Examen de promovendo ad Episcopatum.

234. Datur Instructio ad conficiendos processus inquisitionis de iis, qui ad Episcopatum vel Prælaturam sunt promovendi. Si non aliunde habeatur certa notitia, inquirendum per testes, qui non sint sanguine vel affinitate juncti, non nimium familiares, non æmuli aut inimici, vel aliunde suspecti. Inquiratur autem 1. an testis noscat promovendum? 2. ubi sit natus? 3. an ex legitimo matrimonio, honestis & Catholicis parentibus? 4. an expleverit 30 annos? 5. an sex menses fuerit in sacris constitutus? 6. an in exercitio susceptorum ordinum probe versatus, in susceptione Sacramentorum frequens & devotus? 7. an semper Catholice vixerit? 8. an integer vitæ, bonis moribus, bonæ famæ? 9. an vir gravis, prudens, usu rerum præstans? 10. an insignitus Gradu in Jure aut Theologia, atque ea sit scientia, quæ in Episcopo requiritur, ut possit alios docere &c.? si non sit Doctor, an publicum ab Academia habeat testimonium, vel saltem a viris gravibus? 11. an munere aliquo sit functus, & quomodo? 12. an scandalum dederit, aut Canonico aliquo impedimento laboret? 13. an idoneum & dignum existimet? Ad singula autem puncta exquirenda causa scientiæ, seu unde testis sciat. Responsiones autem per extensum scribantur.

Eadem ferme interroganda, si ad alium Episcopatum sit transferendus, præsertim quomodo satisfecerit muneri Episcopali, an resederit, visitarit, ordinarit, confirmarit, solenniter celebrarit, animabus tanquam bonus Pastor providerit, Ecclesiæ jura defenderit &c.?

Informatio de Statu Ecclesiæ.

Apponuntur interrogatoria pro Informatione de *Statu Ecclesiæ*: quanta sit civitas, quot domus, quot fideles, cui Domino in temporalibus sit subjecta? an adsit Ecclesia Cathedralis, & qualis, cui suffraganea, quot & quales dignitates, Canonicatus, Beneficia, quot

Presby-

Presbyteri, Clerici inservientes, quæ dignitas major post Pontificalem, quanti cujusque redditus? an adsit Præbenda Theologalis, & Pœnitentiaria? an exerceatur cura animarum, an adsit fons baptismalis, sacrarium, supellex sacra, chorus, organum, campanile, cœmeterium, sacræ Reliquiæ, & quomodo asserventur?

Qualis Domus Episcopi, quanti ejus proventus, in quibus consistant, an onerati pensionibus, & quibus? quot in civitate Ecclesiæ Parochiales, Collegiatæ, Monasteria, Confraternitates, Hospitalia, an Mons Pietatis? quam ampla sit Diœcesis, quot in ea loci, an adsit Seminarium?

Pro habenda Informatione de aliquo Monasterio, quærendum, in qua Diœcesi sit, cujus Ordinis, sub qua Invocatione, quale ædificium, quot in eo Monachi, qui redditus Mensæ Abbatialis vel Prioralis, Mensæ Conventualis? an Monasterium habeat aliquam jurisdictionem spiritualem vel temporalem? quam, & in quos? an curam animarum? per quem hæc exerceatur? **Monasterii.**

Cum examen perfectum fuerit, Notarius illud cum documentis publicis, ac Professione fidei in Instrumentum redigat publicum. Prælatus, cui examinis negotium commissum fuit, illud clausum signatumque ad Pontificem mittat, si Ecclesia vel Monasterium non sit ad nominationem vel præsentationem Imperatoris, vel alicujus Regis. Si vero sit, Instrumentum examinis mittatur ad Cardinalem Protectorem illius regni, in quo Ecclesia sita est. Prælatus etiam examinator significet, quantam testibus fidem habendam putet, & quid ipse sentiat. **Quid post examen.**

Processus sic formatus transmissusque primum a Cardinale, cui munus referendi incumbit, tum ab aliis tribus Cardinalibus examinatus subscribatur, ac postea fiat Relatio in Consistorio.

236. Archiepiscopus Coloniensis tria dubia S. Congregationi Concilii proposuerat: 1. an incolæ loci, in quo Tridentinum est promulgatum, transeuntes per locum, ubi non est promulgatum, domicilium non mutantes, valide ibi contrahant matrimonium, sine præsentia Parochi & testium? 2. quid? si eo se conferant solo animo contrahendi sine Parocho & testibus, retinentes idem domicilium? 3. quid? si eo transferant domicilium, solo animo, ut sine Parocho & testibus possint ibi contrahere? **Dubia Colon. de clandest. matrim.**

Respondit S. Congregatio ad 1 & 2, non esse validum matrimonium inter sic transeuntes *cum fraude*. Ad 3. Si domicilium *vere* transferant, matrimonium fore validum. Hæc Responsa Concilii Urbanus VIII hac Constitutione confirmavit.

238. & 39. Indultum celebrandi Missam & recitandi Officium
Missa & Offic. 5 Febr. 5 Februarii de 23 Martyribus Japonensibus Ord. S. Franc. de Observantia, & tribus e Societate Jesu, prò omnibus utriusque Ordinis Religiosis.

Not. Hoc Indultum S. Rituum Congregatio extendit ad omnes Sacerdotes, etiam sæculares, 5 Febr. in Ecclesiis S. J. celebrantes, idque per speciale Decretum approbante Pontifice. Idem postea concessum Franciscanis.

248. Ludovico XIII Galliarum Regi petenti conceditur, ut centum Scutorum millia a Clero Gallicano possit exigere.

259. Similiter Clero Polono conceditur facultas, largiendi Regi suo subsidium.

Anno 1628.

Revocatio. 279. Revocatur facultas, quibuscunque Regularibus concessa, audiendi confessiones secularium absque examine & approbatione ordinarii.

292. Greg. XIII plura Seminaria fundaverat in Germania, sed
Semin. Fuld. quia ejus fundationis litteræ inveniri non poterant, Urbanus VIII ea de novo erexit vel confirmavit; tale erat *Fuldense*, pro Franconia, Hassia, Saxonia, Thuringia, Westphalia, Marchia Brandeb. Brema, Mechlenburgo, Holsatia institutum.

300. Sicut Greg. XIII, Clem. VIII, Greg. XV, ita etiam Urb. VIII prohibet, ne Religiosi S. J. utantur facultatibus Bullæ Cruciatæ, aut alium sibi eligant confessarium, quam a superioribus deputatum.

Anno 1629.

303. Cardinali de Richelieu conceditur facultas, hæreticos Galliæ ad decennium absolvendi.

Acad. Osnabrug. 315. Francisco Wilhelmo Episcopo Osnabrugensi conceditur licentia, erigendi Academiam.

316. Seminarium Romanum, a Pio IV sub cura Societatis Jesu pro educanda & instruenda juventute institutum, confirmat, & taxæ tabulam proponit, quantum cuivis Monasterio, Capitulo, Capellæ, Ecclesiæ pro eadem sit contribuendum.

323. Beatificatio Cajetani Thienæi.

324. Extenditur facultas Bullæ Cruciatæ vescendi in quadragesima ovis & lacticiniis ad Clericos seculares.

Anno 1630.

338. & seqq. Præsidi Inquisitionis Melitensis variæ dantur facultates eligendi Compromissarios ex qualibet *Lingua* seu Natione.

348. Beatificatio Joannis Dei.

353. De-

353. Devoluto ad Cameram Apost. Ducatu Urbino & Senegalliensi cum civitatibus Eugubino, Pisauro &c. per mortem Ducis Francisci Mariæ de Rovere, Vasalli, absque liberis masculis defuncti, Papa jubet possessionem illius Ducatus, & appertinentium capi, & in documenta inquiri. Ducat. Urbinus.

354. Quia Camera Apost. erat prope exhausta in Subsidia bellorum, quæ Ferd. II Imperator adversus hostes Ecclesiæ gessit, Papa Ecclesiasticis per Italiam indicit sex Decimas, ut Cæsari porro possit assistere. Dat Subsidia Ferd. II.

356. More aliorum Pontificum decernit, ut ob prorogatas in Lusitania facultates & gratias Bullæ Cruciatæ quot annis solvantur fabricæ S. Petri Romæ, quæ jam multis annis ingenti sumptu exstruitur, decem millia Ducatorum de Camera.

Anno 1631.

358. Redditus Ecclesiastici in Palatinatu Superiore & Inferiore ad decennium addicuntur Cæsari & Fœderi Catholico.

360. Prorogatis Indulgentiis indicit preces pro Religione in Germania.

364. Revocat quascunque licentias legendi aut retinendi libros prohibitos.

365. Dimidiam partem redditUum Ecclesiasticorum, hæreticorum e manibus per Germaniam vindicatorum, addicit Fœderi Catholico. (Not. *Edictum Restitutionis tunc urgebatur.*)

372. Metropolitanus non admittat appellationem, nisi sit a sententia definitiva suffraganei, vel definitivæ vim habente, aut a gravamine, per definitivam non reparabili. Appellatio.

376. Prohibetur Judicibus sæcularibus, ne causas civiles Regularium, quando conveniuntur, cognoscere audeant.

387. Constitutiones Apostolicæ, fidem, aut S. Inquisitionis officium concernentes, omnes Regulares, quantumvis exemptos, comprehendunt.

389. Jubilæum universale indicitur ad Divinam opem implorandam in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

Not. *Suecus tunc Germaniam vastabat, & Mantuanum bellum flagrabat.*

391. Omnes concessiones V. V. oraculo, cuicunque factæ, revocantur. Privil. V. V. oraculo data iterum revocantur.

393. Notarii ante creationem examinandi sub pœna nullitatis.

395. Con-

395. Confirmat Constitutionem Pauli V, qua dispensationem in votis simplicibus, quæ Professi Societatis Jesu emittunt circa paupertatem, & non ambiendam aut admittendam dignitatem extra Societatem, soli summo Pontifici reservat.

Anno 1632.

Legati Hisp. temeritas. 401. Card. Gaspar Borgia, Regis Catholici Minister, publico in Consistorio Pontifici velut exprobravit, quod Cæsari, periclitante in Germania Religione, subsidia minus large præberet. Gravissime id tulit Pontifex, qui fecisset, quantum vires permisissent; summa tamen moderatione in delinquentem usus est. Oratorem vero Regis Regis Hispaniæ non agnovit. *Vide Constit.* 407. & *seq.*

411. Decimam, Regi Catholico concessam, per *ipsum Clerum* exigi mandat.

Transf. de bonis Eccles. 428. *Transactio* per Cardinales Harrachium, & Pallotum cum Cæsare inita, de bonis Ecclesiasticis, hæreticis in Bohemia ereptis. Permittuntur ea Cæsari, ad pias causas impendenda; Ecclesiasticis autem quoddam vectigal conceditur, sali impositum.

Anno 1633.

Exequiæ apud. Reg. 435. Si funus apud Regulares sepeliatur, Parochus non potest cogere hæredes, ut curent, etiam in Parochia fieri exequias, aut celebari Missas.

Not. Ecce hic definitam quæstionem, quam aliqui Canonistæ movent, ignari fortassis Decisionis Pontificiæ.

De Constit. Apost. 441. Decretum, ut omnes Regularium Superiores subditos suos persæpe admoneant de injuncta omnibus observantia Apost. Constitutionum, ad Officium S. Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium.

445. Confirmantur quædam dismembrationes & uniones commendarum *Linguæ* Franciæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Anno 1634.

Espernonii absol. 449. Committitur Nuncio Franciæ, ut Joannem Aloysium Ducem de Espernon, Gubernatorem Aquitaniæ, ejusque Ministros, absolvat a censuris, in quas incidisse declarati fuerunt ab Archiepiscopo Burdegalensi, ob illatas quasdam violentias eidem Archiepiscopo. (*Vide Hist. Franciæ.*)

450. Nova Ecclesiasticis per Italiam indicit subsidia, propter calamitates Germaniæ.

451. Novum indicit Jubilæum ad easdem calamitates & pericula Religionis avertenda. Prorogat autem Indulgentias ad 4 hebdomades.

459. Pro-

459. Prohibet iterum, ne eorum, quos Ecclesia necdum in Beatorum aut Sanctorum numerum retulit, imagines cum radiis, aut laureolis publice proponantur; sed vult, ut, si ejusmodi imagines aut tabellæ offerantur, in loco secreto, extra Ecclesiam reponantur, donec canonizatio accedat. Prohibet insuper, in lucem edi vitas eorum, qui cum sanctitatis fama decesserunt, aut eorum miracula vel revelationes sine consensu ordinarii, qui viros doctos consulat. Hæc nisi sint observata, ad processum Inquisitionis de sanctitate non procedatur, & cœptus abrumpatur; quia omnia acta forent irrita, nisi constet *de non cultu*. Aliud esset, si ab immemoriali tempore, hoc est, a tempore centum annos excedente, cultus alicui fuisset delatus, aut per communem Ecclesiæ consensum.

Articulus IV.

Ex Tomi VI. Part. II.

Constit. Urbani VIII.

463. Tractat de Electione Magni Magistri Melitensis Ordinis. 134
1. Eo mortuo status consilium eligat Locum-tenentem, qui justitiam administret. 2. Nullus extra limites octo linguarum natus gaudeat voto activo aut passivo, nisi sit Frater Magnæ Crucis. 3. Omnes Fratres conveniant in Ecclesia Conventuali S. Joannis. 4. Missa celebrata, & Spiritu S. per solennem Hymnum invocato, singuli Fratres, jus suffragii habentes, conferant se ad capellam suæ linguæ, in Ecclesia destinatam, atque ibidem quælibet lingua tres ex sua lingua in Electores Magni Magistri eligat, ut adeo deinceps non octo tantum, sed 24 electores eligantur. Ipsaque electio trium Fratrum ex qualibet lingua per secretas schedulas fiat, quibus inscriptum sit: *Ego Frater, eligo Fratrem in unum ex* 24. Elector autem adscribit suum nomen, & nomen ejus, quem in unum ex 24 eligit, e. g. *Ego Frater Carolus Osca eligo Fratrem Nicolaum Morea in unum ex* 24.

5. Addit alta voce hoc juramentum: *ego N. juro, me eligere illum, quem secundum Deum eligendum judico.* Complicatamque schedam immittit in urnam. 6. Aperitur scheda quælibet ex ea parte, qua nomen electi est inscriptum. Debet autem electus habere saltem quartam partem suffragiorum suæ linguæ. 7. Quia vero lingua Anglicana vacat, septem reliquæ linguæ tres eligant ex diversis Nationibus, ex Gallica

videlicet, Italica, Hiſpana, aut Germanica, ut 24 electores compleantur.

8. Iſti 24 ad Conclave ſe conferant, ad eligendum Magnum Magiſtrum.

471. Quia Prælati quidam majores ea, quæ Trid. circa Reſidentiam præſcripſit, minus diligenter obſervarunt, Pontifex pœnas auget, & tempus determinat, quo viſitantes limina Apoſtolorum abeſſe poſſint a ſuis Eccleſiis.

Anno 1635.

474. Confirmat diſpoſitionem Pauli III, qui Marchionatum Maſſarani aliaque loca Philiberto Ferrerio Fliſco, pro linea primogenita in feudum conceſſerat, cum onere cenſus annui.

475. Concedit Regi Cath. unam decimam, ut Imperatori ferre poſſit auxilium & Hollandis reſiſtere.

479. Religioſi, qui emittunt peculiare votum non ambiendi nec acceptandi ullam dignitatem extra ordinem, non liberantur hoc voto, etiamſi ad alium ordinem tranſeant, aut quacunque ratione dimittantur.

480. Quia plures Scriptores, gloſſatores, commentatores varias Diſpoſitiones Pontificum corruperunt, aut etiam emanatas eſſe ſcribunt, quæ nunquam emanarunt, ideo nulla eis fides habenda, niſi prius conſtiterit de earum originalibus, a Datario, Secretario Brevium, Archiviorum Præfectis, & Regiſtrorum Magiſtris, aliisque reſpective Sedis Apoſt. officialibus, recognitis & collatis.

484. Committitur Nuntio in Belgio, ut Electorem Trevirenſem, a Miniſtris Regis Hiſp. captum, in ſuam cuſtodiam recipiat.

Anno 1636.

507. Pœnitentiaria Lauretana Majori in urbe Pœnitentiario ſit ſubjecta. Caſus, in quibus non poſſunt Pœnitentiarii abſolvere.

519. Proponit Electori Moguntino neceſſitatem eligendi Regem Romanorum, ſuppletque defectus, qui ſint interventuri; cum duo Electores ſint hæretici, & Ferd. II Imperator electus, necdum ſit coronatus; quod tamen ſecundum leges & conſuetudines antiquas requireretur.

523. Hortatur Regem Hiſp. ne permittat, Miniſtros ſuos in Luſitania bona Eccleſiaſtica occupare.

Anno

Anno 1637.

531. Eriguntur 12 Alumnatus in Collegio Urbano de Propaganda Fide, pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Cophtis, Melchitis, Jacobitis, fundatos a Cardinale Barberino, Pontificis Fratre. ad hunc pertinet Nominatio, ad Congreg. de Propaganda confirmatio.

553. Declarat, per nullos actus suos se intendisse approbare & confirmare electionem Ferdinandi II in Imperatorem; cum tam de jure, quam de more, non nisi prius exhibitis electionis, & aliorum, ad id requisitorum instrumentis, & prævia matura causæ cognitione, in Consistorio Pontificio secreto & sub Bulla Consistoriali concedi & expediri consueverit confirmatio. De elect. Ferd. II.

555. Nuntio Apost. Viennensi dat facultatem, Archiepiscopum Trevirensem, quem jam per biennium in custodia sua detinuerat, liberandi, atque ad Ecclesiam suam remittendi, eo quod apud Sedem Apost. nihil fuerit deductum probatumque, propter quod ille juxta Canonicas sanctiones retineri & custodiri debeat. Jubet dimitti Trevirensem.

556. Eundem Archiepiscopum mansisse & manere in possessione suarum Ecclesiarum, & Monasterii S. Maximini, ei in commendam a Sede Apost. concessi declarat.

557. Mandat eidem Nuntio, ut lites, inter eundem Archiepiscopum & subditos vertentes, amice componat.

558. Eidem Electori concedit facultatem in electione Rom. Regis ferendi suffragium, perinde, acsi fuisset vocatus ad illam.

Anno 1638.

561. S. Augustinum, S. Nicolaum Tolentinum aliosque sanctos Ord. S. Aug. non posse depingi in habitu Discalceatorum.

565. Parochos non posse plus exigere ex sepulturis Regularium, quam ex eis, quæ fiunt in Ecclesiis Parochialibus.

572. Erigitur Episcopatus Bagtatensis seu Babyloniensis in Persia, dotatus a quadam pia fœmina in Gallia.

573. & 575. Absolvit varios Ecclesiasticos a censuris, ob recursum ad Judices seculares incursis.

586. Quando Vigilia S. Joannis Bapt. incidit in Festum Corporis Christi, jejunium anticipandum feria IV præcedente.

588. Postquam Ferdinandus III in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, legitime fuerat electus, & præstito in manibus Archiepiscopi Moguntini juramento, aliisque solennitatibus peractis Archiepiscopi prædicti ministerio, ritu & pompa solitis, fuerat coronatus, electio- Confirmat elect. Ferd. III.

electionis vero hujusmodi negotium per legatum suum, ad præstandam summo Pontifici obedientiam destinatum, exponi fecit, Papa eandem electionem in publico Consistorio approbavit & confirmavit, suppletis defectibus juris & facti, qui aut ratione formæ, aut loci coronationis, aut personarum Principum Electorum, seu etiam ex eo, quod Ferd. II coronam auream de manu Pontificis non susceperit, seu quavis alia ratione vel causa forsan intervenerint.

Primæ preces. 590 Ferdinando III Rom. Regi, in Imperatorem electo, Primariæ Preces petenti conceduntur.

591. Dat licentiam transferendi Indulgentias plenarias, quando Festum S. Franc. Xaverii incidit in Dominicam primam Adventus.

Anno 1639.

603. Indulget, ut Indi, Æthiopes, & Mauri præcepto annuæ confessionis possint satisfacere a Dominica Septuagesimæ usque ad octavam Corporis Christi, propter penuriam confessariorum.

604. Prohibet, prout Paulus III jam prohibuerat, ne Indi in servitutem redigantur, aut bonis suis spolientur aut liberis, sub pœna excommunicationis reservatæ.

615. Antonius Cardinalis Barberinus, qui 12 Alumnos pro Collegio Urbano de Propaganda Fide fundaverat, adhuc 13 alios addit, pro Abyssinis, Brachmannis, Armenis &c.

627. Cum Malatesta Episcopus Pisaurensis in causa Archiepiscopi Trevirensis, jam per 5 annos in custodia detenti, nihil promoveret, Pontifex Archiepiscopum Athenarum ei subrogat, cum mandato, efficacius pro eo liberando agendi.

Anno 1640.

648. Magno Magistro dat facultatem imponendi quoddam vectigal pro munitione Insularum Melitæ & Gozzo.

Censura in Lucanos. 649. Cum Respublica *Lucana* immunitatem Ecclesiasticam violasset, Papa Episcopum Castelli ad eam delegavit, sed vi armata ab aditu fuit prohibitus; quare Pontifex Episcopo dat potestatem excommunicandi Primores, & Rempublicam Interdicto Ecclesiastico subjiciendi.

657. S. Dominicus in Patronum totius Regni Neapolitani eligitur. Pontifex hanc electionem confirmat.

663. Declaratio Constitutionis Clem. VIII de *largitione munerum*, Regularibus utriusque sexus interdicta.

665. Nua-

665. Nuntio in Helvetia mandat, ut in locis, ubi inidonei absque examine & aliis requisitis per Patronos ad Beneficia sunt promoti, amoveantur, & idonei subrogentur.

666. Postas per Statum Eccles. ordinat, & via antiqua uti jubet.

667. Archiepiscopo Ragusino dat facultatem, legatorum piorum medietatem applicandi ad reparationem Ecclesiarum, Monasteriorum & mœnium Reip. Ragusinæ, terræ motibus conquassatæ.

Anno 1641.

669. Confirmat Constitutiones Pii V & Greg. XIII, quibus damnant propositiones Michaelis Baji, item Constitutionem Pauli V, qua prohibet scribere de auxiliis Divinæ gratiæ, absque facultate Generalis Inquisitionis. Prohibet librum Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, &, cum aliquot Patres Societatis Jesu in Belgio contra hunc librum Jansenii scripsissent, atque de auxiliis Divinæ gratiæ contra propositiones ejusdem Jansenii tractassent, Pontifex etiam istos libros, ad se delatos, prohibuit, eo quod absque licentia sacræ Inquisitionis essent editi. Vetat scribere de auxiliis &c. Damnat librum Jansenii.

681. Præmonstratenses in Hispania habitum ne mutent, & prænomen Fratris reassumant.

Anno 1642.

693. Sub pœna excommunicationis prohibet, nequis in Ecclesiis Diœcesis Hispalensis tabaccum sumat, ad abolendos magnos abusus, qui invaluerant.

709. Cum Maximilianus Henricus Dux Bavariæ, Maximiliani I Electoris Nepos, 17 annorum Princeps, Dispensatione Sedis Apost. Subdiaconatu initiatus, & omnium dignitatum capax esset declaratus, postea a Capitulo Coloniensi Ferdinando Patruo suo Coadjutor est datus, sed cum certa Capitulatione prævia, quam Pontifex sacris Canonibus contrariam & irritam declarat. Capitulatio irrita.

711. Mauritius Cardinalis a Sabaudia, ut tutelam Caroli Emmanuelis Nepotis sui gerere possit, aliasque ob causas sacræ dignitati renuntiavit. Hanc renuntiationem puram ac liberam Papa acceptat.

718. Capitulum Cathedrale Ratisbonense postulavit in Coadjutorem Episcopi Alberti Franciscum Wilhelmum, Episcopum Osnabrugensem, Mindensem & Werdensem, ex Familia Bavarica. Sed Capitulum quasdam pactiones addidit, quas, sine facultate Sedis Apostolicæ per se irritas declarat Pontifex, & in quantum sunt in præjudicium successoris, aut immunitatis Ecclesiasticæ, iterum irritas declarat.

719. Confirmat Decretum S. Rituum Congregationis, quod Protonotarii Apost. titulares, seu non participantes, præcedere debeant Canonicis Cathedralibus, quando isti non incedunt collegialiter.

Festa de præcepto.

720. Cum varii Præsules quererentur de multiplicitate Festorum, refert quænam sint de præcepto, videlicet, præter Dominicas, Festum Nativ. Christi cum tribus sequentibus, Circumcis. Epiph. Resur. cum 2 seq. Ascens. Pentec. cum 2 seq. SS. Trinitatis, Corp. Christi, Purif. Annunc. Assumpt. Nativ. B. V. M. SS. Apost. omnium Sanct. Invent. S. Crucis, S. Joan. Bapt. S. Joseph. S. Annæ, S. Sylvestri, S. Laurentii, Patroni principalioris Diœcesis, Patroni civitatis vel oppidi; hosque dies pie & devote coli mandat; alia autem festa, devotione populi introducta, non esse de præcepto declarat.

Anno 1643.

744. Depositionem Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ord. Prædicatorum, & electionem novi Generalis esse irritas. Utrique tamen se miscere Regimini Ordinis prohibet.

Hymnos emendat.

749. Urbanus VIII Hymnos Breviarii emendari, atque meliore latinitate ac metro donari curavit, horumque usum præcipit.

751. Festum S. Norberti a die 6 Junii ad 11 Julii cum Indulgentiis transfert.

761. Cardinali Dongho dat facultatem pacem ineundi cum Venetis, Hetruriæ, Parmæ, Placentiæ, & Mutinæ Ducibus, qui terras Status Ecclesiastici invaserant.

772. Nuntio Coloniensi mandat, ut Monasterium ad locum pacificationis se conferat.

Anno 1644.

779. Deputantur, qui recipiant loca occasione nuperi belli Pontifici erepta.

780. Viennæ in Capella palatii Cæsarei erigitur confraternitas sub invocatione S. Francisci Xaverii, quam Pontifex approbat, & confirmat.

782. Mandat iterum, ut Hymni, partim emendati, partim ex integro de novo conditi, atque notis Musicis impressi, in omnibus Ecclesiis decantentur, omissis antiquis.

Articulus

Articulus V.

Obitus Urbani VIII.

Maximus hic Pontifex, pietate, magnanimitate, mente excelsa, zelo, doctrina, continuis pro sancta Dei Ecclesia laboribus, toto orbe celebratissimus, ad immortalem vitam transiit 29 Julii 1644, ætatis 77, Pontificatus 21. Libertatis Ecclesiasticæ vindex fuit acerrimus, datis ad summos Principes litteris, monitionibus, adhortationibus, constanter institit, ut Ministros suos cohibeant, ne ad thuribulum manus suas exporrigant. Sollicitudines ejus pro Ecclesia loquuntur 789 Constitutiones, quæ in Bullario extant, præter multas alias, quæ eidem non sunt insertæ. Elogium.

Beatorum Catalogo inscripsit, Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, Franciscum Borgiam, Cajetanum Thienæum, Magdalenam de Pazzis: fastis vero sanctorum Andream Corsinum, Elisabetham Reginam Portugalliæ, B. Rochum, Deoque ac sanctis ejus novas Ecclesias construxit. Præter multifariam ejus sacram doctrinam, Poeseos amator fuit & æstimator, quod vel correcti Divini Officii Hymni perpetuo prædicabunt. Pontificale & Matyrologium recognitum & emendatum edidit. A Congi Rege & Abyssiniæ Imperatore, Christianæ fidei & obedientiæ Sacramentum recepit. Archi-Gymnasium Romanum, quod *Sapientiam* vocant, augustius reddidit. Collegium *Urbanum* de Propaganda Fide construxit, & cum fratre suo Cardinale Barberino dotavit. Canonizati.

Justitiæ comprimis tenax Carolum Ducem Lotharingiæ communione Fidelium movit, quod dimissa Nicolæa conjuge, Beatricem a S. Cruce ducere attentarit, se in nuptiis contrahendis nullum habuisse consensum causatus, licet, obtenta a Sede Apost. in consanguinitatis impedimento dispensatione, multos ei annos conjugaliter convixerit. Dux Loth. excomm. propter divortium.

Prodiit ejus tempore pestilens liber Jansenii, quem proscripsit. Sed quia plures in Belgio ejus Bullam suppostitiam aut obreptitiam dicebant, per suum in Belgio Nuntium hunc pervicaciæ prætextum eis occlusit. Pacem Italiæ procuravit, Regularium lites composuit, eorum disciplinæ per multas Constitutiones invigilans. Molem *Hadriani*, seu *Æliam*, nunc *Arcem* seu *Castrum S. Angeli* nuncupatam, novis munitionibus firmavit, prout etiam Bononiæ, Arimini, Anconæ, aut nova Castella erexit, aut vetera reparavit, statuum suorum, totiusque Italiæ, quin totius Christianitatis communi bono ubique intentus. Damnat librum Jansenii &c.

Articulus

Articulus VI.

Innocentius X.

Successorem Urbanus VIII nactus est Joannem Bapt. *Pamphilium*, Romanum, Auditorem olim Rotæ, & Nuntium Apost. in Hispania, concordi calculo 15 Sept. 1644 electum, licet 72 jam esset annorum, nomen Innocentii X adoptavit, multasque Constitutiones edidit; quarum aliquas, quæ magis videntur memorabiles, attingemus.

Excerpta ex Tomi VI. Parte III.

Seu

Constitutiones Innocentii X.

Anno 1644.

135. *Constit.* 3. Cum Urb. VIII in assignatione Festorum de præcepto ommisisset Festum Conceptionis B. V. M. Philippus IV Rex Hisp. pro suis Dominiis illud petiit de præcepto solenniter celebrari juxta pristinam consuetudinem; quod Papa ei concessit; uti etiam postea Regi Galliæ.

5. Confirmat Constitutiones Sixti V & Clem. VIII de non amovendis pecuniis trium millionum Scutorum ex Castro S. Angeli, nisi in casibus expressis.

7. Prohibet, ne Cardinales sæcularibus titulis & insignibus utantur, uti coronis &c. exceptis solis, Familiæ propriis, in scuto expressis, & pileo Cardinalitio, Christi sanguine rubente superimposito.

Anno 1645.

11. Thomæ Turco Generali Ord. Prædicatorum, volenti reformare suum Ordinem, amplam dat potestatem.

Funeralia. 14. Non posse cogi hæredes sepultorum apud Regulares, ut Officia in Parochia celebrent.

15. Regulares etiam intra quindenam paschalem posse audire confessiones secularium, modo semel communio fiat in Parochia.

24. Nuncio Viennensi datur facultas, Archiep. Trevirensem e custodia dimittendi.

29. Confirmat Decretum Congregationis concilii, non licere Eucharistiam in Ecclesiis Regularium publice exponere, nisi ex causa publica:

publica: ex causa autem privata licere, si sacra hostia sit velata. Processiones autem extra ambitum Ecclesiæ non esse instituendas, excepto Festo Corporis Christi.

30. Exigitur eleemosyna pro fabrica S. Joannis Lateranensis ratione extensionis Cruciatæ ad Ecclesiasticos seculares, ad vescendum ovis & lacticiniis in quadragesima.

45. *Manila* in Philippinis erigitur Academia S. Thomæ sub administratione Ord. Prædicatorum. Acad. Manil.

46. Irritatio Indultorum, in præjudicium Cameræ Apost. &c. concessorum.

48. Statuit, ut Societas Jesu singulis novenniis Congregationem Generalem celebret; atque in ea novi Assistentes eligantur, diversi a prioribus. Provinciales, Rectores, aliique Superiores post triennium officio decedant, & per annum & dimidium nullo superioris munere fungantur. *Not. Hac Constitutio postea anno* 1663 *ab Alex. VII fuit abrogata.*

Anno 1646.

52. Confirmatur Concordia inter Parochos Majoricenses & Regulares ratione sepulturæ, & quartæ funeralium.

53. A Regularibus solvendas Parochis Decimas, quæ solvebantur a laicis, antequam bona ad Regulares pervenirent. Decimæ.

69. Claronenses Catholici admittuntur in participationem juris nominandi ad Beneficia Episcopi-Cellæ.

Anno 1647.

84. Jus partem bonorum Ecclesiasticorum & Monasteriorum in Palatinatu superiore percipiendi prorogatur Electori Bavariæ ad 15 annos.

88. Reservat sibi & Apost. Sedi jura disponendi de Ecclesiis, Monasteriis & Beneficiis Ecclesiasticis Civitatum & Diœcesium, Metensis, Tullensis, & Virdunensis.

Anno 1648.

104. Oppidum Rupellense in Episcopatum erigit.

107. Erectio Seminarii Maronitarum Ravennæ sub Regimine Congregationis de Propaganda. Semin. Maronit. Ravennæ.

116. Per celeberrimam Constitutionem *Zelus Domus Dei* nullos declarat articulos Pacis Westphalicæ, Religioni Catholicæ, Sedi Apost. Ecclesiis aliisque locis piis, ac personis, & Juribus Ecclesiasticis quomodolibet præjudiciales. Constit. contra P. W.

122. Indulgentias & varia privilegia ad absolvendum & dispensandum largitur Societati Jesu pro Indiis.

Anno 1649.

123. Declarat, eos, qui Episcopum Castrensem Romanæ Provinciæ in itinere occiderunt, incurrisse excommunicationem, Pontifici reservatam, aliasque pœnas.

Turbæ Leod. 127. Cum magna ferveret discordia inter Canonicos Leodienses, prohibuit, ne eveniente casu vacationis Ecclesiæ ad electionem Episcopi procederent sine licentia sanctæ sedis.

128. Cum Civitas Leodiensis in Ferdinandum Episcopum suum insurgeret, & pars minor Canonicorum, Leodii residens, cum ea conspiraret, major autem pars Huji sedem fixisset, Pontifex Capitulum Hujum transtulit.

130. Episcopatum Castri ad urbem Aquæ Pendentis transfert, propter majorem salubritatem aeris, & quia Episcopus Castrensis fuit interemptus.

Anno 1650.

136. Absolvitur Rex Catholicus, quod proventuum Cruciatæ subsidium & Decimas in alios usus, quam ad quos concessa fuerant, impenderit.

139. & 140. Mittit Aloysiæ Reginæ Poloniæ Rosam benedictam, Regi vero Joanni Casimiro ensem & pileum.

141. Addicit Regi Catholico subsidium 19 Millionum, ab Ecclesiasticis regni Castellæ & Legionis persolvendum.

146. Mandat Nuntio Hispaniarum, ut colligat eleemosynam centum millium Scutorum pro fabrica S. Petri de urbe, ratione Cruciatæ, in sex annos prorogatæ.

Anno 1651.

147. 1500 Scuta ratione extensionis ejusdem Cruciatæ ad Ecclesiasticos.

Extinguit parvas domus Regul. 157. Supprimit & extinguit parvos Conventus Regularium per Italiam, eosque cum bonorum applicatione ad statum sæcularem reducit; eo quod in iis cultus Divinus & Religiosa Disciplina conservari nequeat, simulque mandat, ut superiores religiosos, ibi habitantes, per majores Conventus distribuant, ac prohibet, ne novæ Domus Religiosæ erigantur.

Anno

Anno 1652.

159. Canonici Doctorales, Magistrales, Lectorales, Pœnitentiarii, primæ dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, prout etiam Parochi, non possunt esse inter Familiares Episcoporum; quia debent officiis suis invigilare.

162. Cardinalis Gondius de Retz a Rege Franciæ in custodiam Duci jussus fuerat, & in ea adhuc detinebatur. Quapropter Papa suo in Gallia Nuntio mandat, ut eum in custodiam suam recipiat, & judicet. (*Vid. Hist. Gall.*) Card. Retz.

Anno 1653.

163. Simile mandatum dat Archiepiscopo Avenionensi, scilicet, prædictum Cardinalem recipiendi in custodiam, causamque cognoscendi.

165. Variæ differentiæ ortæ sunt inter Joannem de Palafox Episcopum Angelopolitanum in America, & Presbyteros quosdam Societatis Jesu, dum isti privilegiis, post Concilium Tridentinum a Greg. XIII aliisque Pontificibus sibi concessis, uti voluerunt, ille vero uti prohibuit. Causa delata est, missis Romam Procuratoribus, ad Innoc. X, qui negotium S. Congregationi Concilii examinandum commisit. Turbæ cum Palafoxio.

Respondit hæc, non posse Regulares, etiam Societatis Jesu, confessiones sæcularium in illa Diœcesi audire, nisi ab Episcopo sint approbati, nec prædicare in suis Ecclesiis, non petita Benedictione Episcopi, nec in aliis Ecclesiis sine illius licentia, atque contravenientes ab eo puniri posse: nec propterea conservatores adversus Episcopum aut ejus Vicarium Generalem eligi potuisse, hosque indebite ab illis fuisse excommunicatos. Monet tamen S. Congregatio Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor erga Societ. Jesu, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laboravit, & sine intermissione laborat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine suæ Ecclesiæ perutilem adjutricem agnoscens, benigne foveat, ac pristinæ suæ benevolentiæ restituat &c.

Plura etiam dubia alia Episcopus ille per suos Procuratores Congregationi proposuit, uti

1. An casu, quo Episcopus præcipiat, Decreta aliqua Tridentini a Regularibus observari, Regulares, etiam S. J. sub prætextu, infringi sua privilegia, possint eligere Conservatores? *Resp.* Congreg. in casibus, in quibus vel per ipsum Concilium, vel per Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni & correctioni Episcopi, non licere ipsis conservatores eligere. Variæ quæstiones de potestate Episcopi in Regulares resolutæ.

 2. An

2. An Regularibus, asserentibus, se habere privilegia, quo minus obediant Episcopo in executione Decretorum Juris communis Concilii Tridentini, & Constitutionum Apost. debeant Ordinarii ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? *Resp.* Ordinarios teneri hujusmodi assertioni adhibere fidem, absque integrali exhibitione privilegiorum.

3. Quid? si Ordinarius judicet, privilegia non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere? *Resp.* Si verba privilegiorum sint obscura, & ambigua, summum Pontificem esse adeundum pro interpretatione.

4. An Constitutio Greg. XV circa conservatores Regularium, cum Declarationibus S. Congregationis Concilii, æque afficiat Religiosos S. J. ac alios Regulares? *Resp.* affirmative; nam privilegia omnia esse redacta ad terminos dictæ Constitutionis, ac proin conservatores ad illius præscriptum esse eligendos.

5. An Regulares, qui ad jura aut privilegia tuenda assumunt conservatores, teneantur coram Ordinario præstare cautionem de judicio sisti, & judicatum solvi? *Resp.* Non teneri.

Plura alia dubia R^mus. de Palafox proposuit, quæ tamen vel continentur in prædictis, vel ex iis solvi possunt, uti de approbatione nova necessaria in alia Diœcesi: de Sacramentis quibusdam non ministrandis, de vasis sacris, altaribus &c. ubi unctio intervenit, non consecrandis a Regularibus &c.

Procurator vero Generalis S. J. pariter sua dubia proposuit, uti 1 an Episcopus in Indiis possit totum aliquod Monasterium vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? *Resp.* Per se posse; sed ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo & animarum pernicie contingere possit, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima causa subsit.

2. An Episcopus Regularem, pro confessionibus semel approbatum, sine nova causa suspendere possit? *Resp.* Non posse sine nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente.

3. An Episcopus possit contra Regulares exemptos per censuras procedere, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis vel prædicatione Verbi Divini? *Resp.* Posse, in vim Constitutionis Greg. XV, quæ incipit *Inscrutabilis*.

4. Quomodo licentia confessiones audiendi & prædicandi ab Episcopo concedi possit? *Resp.* Posse concedi etiam per litteras missivas, vel oretenus.

5. An

5. An Conservatores Societatis Vicarios Generales Episcoporum per censuras compellere possint vi Bullæ Greg. XIII *Æquum reputamus? Resp.* Posse a manifestis injuriis & violentiis eos compescere, etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis.

Atque hæc omnia responsa Innoc. X Papa approbavit, & confirmavit.

167. Damnantur quinque Propositiones Jansenii. Et prima quidem: *aliqua Dei præcepta &c.* temeraria, impia, blasphema anathemate percussa, hæretica. Secunda: *in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori nunquam resistitur*, hæretica declaratur. Tertia: *ad merendum & demerendum &c.* hæretica. Quarta: *Semipelagiani admittebant &c.* falsa & hæretica. Quinta: *Semipelagianum est, dicere, Christum per omnibus omnino hominibus mortuum esse &c.* falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur. (*Vid. Part. VIII de Hist. Jansen. ubi de his famosis Propositionibus prolixe est tractatum.*) Damnat 5 Propos. Jansenii.

173. Nullæ declarantur litteræ Senatus Mediolanensis, quibus *Festum S. Dominici* celebrari mandat; eo quod laici non habeant potestatem dies festos indicendi. Dies Festi.

177. Ludovicus Henricus de *Gondrin* Epistolam Pastoralem edidit, Propositionibus Jansenii faventem, atque temeraria, scandalosa, & hæresin redolentia continentem. Quare Pontifex tribus Franciæ Episcopis mandat, ut ea de re informationem capiant, atque ad Sedem Apost. transmittant, an a Gondrino aut ejus jussu editæ. Postea adhuc 5 Episcopi Delegati sunt additi. Gondrini Propos.

Anno 1654.

186. Novitates & actus jurisdictionales, in Castro S. Cæsarii a Mutinensibus exerciti, declarantur irriti, cum Castrum ad Pontificem pertineat.

190. Confirmat Concordiam, initam inter Episcopum Constantiensem & Monasterium Augiæ Divitis Ord. S. Benedicti. Hujus Concordiæ præcipua capita sunt. Episcopus tanquam Abbas perpetuus, auctoritate Apost. constitutus, potest visitare Monasterium, quoties voluerit, vel mittere Visitatores Clericos sæculares, adjuncto Regulari ex Congregatione Helvetica vel Suevica; qui saltem semel in anno visitare debeant.

Confirmat Compositionem Episcopi Const. cum Religiosis Augiæ Divitis.

Potest Episcopus tanquam Abbas ad nutum constituere vel destituere Priorem, vel ex Conventualibus, vel justis de causis ex alterutra Congregatione. Si quis a Priore gravatum se sentit, potest recurrere ad Episcopum, si ab Episcopo, ad Nuntium vel Sedem Apost.

Episcopus debeat Monachis providere de alimentis, in frumento, vino, pecuniis, cum gratioso additamento, prout Monasterii proventus permittent, juxta designationem, approbatam ab Abbatibus S. Galli, Einsidlensi, & Weingartensi, qui ad compositionem alias sunt adhibiti.

Beneficia Regularia simplicia Monasterii retineant illi, qui possident: si vacaverint, possunt Conventuales ea petere; sed Episcopus faciet, quod sibi bonum fuerit visum. Ecclesiæ Schinensis Vicarium constituet Episcopus ex Conventualibus. Prior singulis annis, vel quoties opus fuerit, rationem reddat Episcopo, vel visitatoribus; &, si quid superfuerit, applicetur Ecclesiæ vel Conventui. Juvenes Monasterii pro discenda Philosophia & Theologia ad Academiam aliquam vel Monasterium mittantur ab Episcopo, & ab eo alantur. Smaragdus in cista sacrarii custodiatur, ita, ut ex superiori parte cistæ cerni possit, clave una apud Episcopum, altera apud Conventum asservata &c.

Mons Pietatis Cracoviæ.

191. Confirmat *Montem Pietatis*, Cracoviæ erectum ab Episcopo & aliis, pecuniarum summam conferentibus, ut inde pauperibus mutuum dari possit, sub censu trium pro centum, pro sustentatione Officialium, seu administratorum aliisque necessitatibus, & accepto pignore, dupli vel tripli valoris, quod post annum, si debitor non reluat restituendo creditum, vendatur plus offerenti, ut Monti ex pretio satisfiat, residuum vero debitori restituatur. Singulis vero annis Administratores Episcopo rationes reddant.

Commendatarii.

193. Commendatarii, Monasteria Ordinis Cisterciensis in commendam habentes, non possunt Priores vel Officiales Ordinis instituere vel destituere, nec visitare Monachos, aut eosdem corrigere; sed visitatio ad Abbatem Cisterciensem & 4 Primores spectat.

195. Commissio ad septem Franciæ Episcopos directa super verificatione Pastoralium Archiep. Senonensis, & Episcoporum Bellovacensis & Convenarum.

198. Festum S. Dominici in regno Neapol. de præcepto servandum.

199. Capi-

199. Capitulum Bellovacense Constitutionem, qua Pontifex 5 Propositiones Jansenii damnaverat, in locis, Jurisdictioni suæ subjectis, promulgavit, excommunicatum propterea ab Episcopo. Declaravit Pontifex, Capitulum quoad territorium suum exemptum venire nomine Ordinariorum, quibus commissa fuit Constitutionis promulgatio.

Articulus VII.

Obitus Innocentii X.

Ad vitam quietiorem transiit 7 Jan. 1655, ætatis 83. Pontificatum gessit annis 10, tribus mensibus, diebus 23, creavit Cardd. 40, zelo Religionis & imperterrita constantia præstans. Damnavit ut hæreticum librum Arnaldi, cui titulus: *De magnitudine Ecclesiæ Romanæ, & SS. Petri & Pauli Pontificatu*, in quo auctor omnimodam æqualitatem inter Petrum & Paulum asseruit, exclusa subordinatione hujus ad illum. Hanc de bicipiti Ecclesia doctrinam docte confutarunt Augustinus de Bellis, Theophilus Raynaudus, Isaacus Habertus, Petrus de Marca. Elogium.

Quamvis autem jam Urb. VIII Jansenii librum damnarit, primus tamen Innoc. X extractas ex eo 5 Propositiones anathemate feriit. Qua occasione infinita deinceps scripta ultro citroque sunt edita. Declaravit quidem Innoc. intentionis suæ minime fuisse, S. Augustini doctrinam damnare, prout Jurius & Leideckerus Calvinistæ cum Jansenianis sparserant; falsum tamen est, Pontificem declarasse, doctrinam *de gratia de se & intrinsece efficaci* esse doctrinam S. Augustini, unde eruditissimus alioquin scriptor Hyacinthus Amat de Graveson in sua *Hist. Eccles. Part* 3 *Colloq.* 2 *pag. m.* 59 & 60 hic indiget correctione. Pontifices cautiores fuerunt, quam ut de hac gravissima quæstione Theologica, in Congregationibus de Divinis auxiliis tantopere agitata, & indecisa, ita loquerentur, ubi aliis silentium imposuerant. Jans. Prop. Graveson. error Hist.

Proscripsit Innoc. X Pacem Westphalicam, in quantum bonis Ecclesiasticis & Ecclesiæ Catholicæ est perniciosa. Propterea vix in ullum Pontificem tot probris & calumniis impudenter insurgunt Protestantes, atque in Pamphilium, Innocentium X, præsertim infrunita de fratris ejus conjuge *Olympia* spargentes mendacia. Protestantium calumniæ in Innoc. ob P. W.

At magnus animus hæc non moratus, Ecclesiam non modo contra hæreticorum, sed Turcarum etiam insultus strenue propugnavit, suppeditatis Venetæ Reip. Melitensibus, Poloniæ Regi aliisque Principibus,

pibus, pecunia, copiis, triremibus, aliisque belli subsidiis, ex bonis Ecclesiasticis depromptis.

Articulus VIII.

Alexander VII.

Persolutis de more Innocentio X novendialibus exequiis, Cardinales Conclave ingressi, postquam vacavit sedes 3 menses, summa in terris dignitate 7 Aprilis 1655 ornarunt Cardinalem *Fabium Chisium* Senensem, ad omnia summa natum, atque legationibus apud summos Principes, & novissime etiam Monasterii in Westphalia, ubi de pace tractabatur, gravissimo atque difficillimo tempore Cæsarem inter & Galliæ Regem conciliatoris munere excellenti cum nominis commendatione persunctum. *Alexandri VII* nomen assumpsit, præclarisque Constitutionibus Ecclesiam instruxit.

Excerpta ex Bullarii Tomo VI. Part. IV.

Seu

Constitutionibus Alexandri VII.

Anno 1655.

136. Funeralia. *Constit.* 1. Parochum cum Cruce in associatione cadaverum posse ingredi in Ecclesias Regularium, nullam tamen functionem ibi peragere.

Episcopatus Litomeric. 19. Episcopatus *Litomericiensis* in Bohemia erigitur propter amplitudinem Pragensis.

21. Cum Innoc. X plures Regularium Conventus jurisdictioni Ordinarii subjecerit; quæsitum est 1, an Episcopus possit, ejusmodi Conventuum Abbates, Priorem &c. deputare, & familiam ordinare? *Resp.* S. Congregatio super statu Regularium, non posse.

Dubia de Regul. soluta. 2. An possit Religiosos amovere? *Resp.* Posse ex rationabili causa, præmonito tamen superiore, cujus est eosdem ad alios Conventus mittere.

3. An compellere possit ad exhibendas rationes accepti & expensi? 4. an se possit ingerere in ea, quæ disciplinam concernunt? 5. an visitare possit villas, in quibus degunt fratres conversi seu laici pro agrorum cultura? *Resp.* Posse.

9. An visitans possit procurationes exigere? *Resp.* Non posse.

10. An

10. An Jurisdictio, locorum Ordinariis tanquam delegatis Sedis Apost. concessa in decreto Innoc. competat etiam Vicariis Generalibus, Abbatibus, proprium territorium & jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? *Resp.* Competere.

11. An Provinciales possint ejusmodi Conventus visitare? *Resp.* Posse.

12. Quid si Superior Regularis puniendo præveniat. An potest Episcopus inhibere? *Resp.* Non posse, nisi excesserit.

14. An possit Episcopus inhibere, ne Provincialis Religiosum alio mittat? *Resp.* Non posse.

38. Cum Polonia a Svecis & Moscis bello invaderetur, Poloni quidam vasa sacra, aurea & argentea, tradiderunt, ut moneta ex illis cuderetur. Hos a censuris absolvendi dat Nuntio facultatem.

40. Abbati S. Galli, nullius Diœcesis, Provinciæ Moguntinæ, dat potestatem creandi Notarios.

41. Dat Facultatem, Christinam Reginam Sveciæ absolvendi ab hæresi. **Christina.**

48. Deputat 4 Prælatos ad eandem Reginam excipiendam & Romam deducendam.

57. Canonici Curiensem Canonicatum suppresserunt, & reditus mensæ suæ univerunt. Hoc irritum declaratur.

59. & 60. Reginæ Sveciæ dat licentiam, ingrediendi cum honesto Comitatu Monasteria.

62. Cum Sveci & Mosci, occupata direptaque tota propemodum Polonia, Casimirum Regem resistendo imparem reddidissent, Pontifex mandavit Ecclesiasticis Poloniæ, ut sacra vasa, & alia utensilia, (calices & patenas consecratas excepit) traderent, ut ex iis conflatis cudi possit moneta. **Vasa sacra.**

Anno 1656.

83. Cum Romam nuntiatum esset, Episcopum Samogitiensem pro parte Svecorum se declarasse, ac propterea Episcopatum Vilnensem a prætenso Sveciæ Rege accepisse, Papa Nuntio suo in Polonia mandat, ut adversus eum processum formet.

96. Alexandriæ in Provincia Mediolanensi erigitur *Mons Pietatis* ab Episcopo. Papa eum approbat, cum jure percipiendi 2 pro 100 pro salariis Administratorum, & comparanda domo. **Mons Piet. Alex.**

107. Absolvit Capitulum Cæsaraugustanum a censuris ob recursum ad Judices sæculares.

120. Deputat Episcopum Tullensem in Suffraganeum & Vicarium Generalem Henrici Gondi Cardinalis de Retz Archiepiscopi Parisiensis, absentis.

126. Dispensat in Irregularitate cum Clericis Sæcularibus & Regularibus, qui in nupera invasione Poloniæ hæreticos occiderunt.

Testes in Testam.

129. In Testamentis non requiri præsentiam Parochi, sed sufficere alios duos testes, inter quos possit esse Confessarius, etiam Regularis.

130. Compositio inter Missionarios Hollandiæ Regulares, & Clericos sæculares, cum subjectione ad Vicarium Apostolicum.

Damnat iterum 5 Prop. Jansenii.

136. Confirmat Constitutionem Innocentii X, qua is 5 Propositiones Jansenii tanquam hæreticas damnavit, easque iterum hac Bulla *Ad Sanctam* Alex. VII ut tales damnat, aitque, nonnullos iniquitatis filios, 5 illas Propositiones, vel in libro Jansenii non reperiri, sed ficte & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eo intento non fuisse damnatas, asserere cum scandalo non reformidare.

Sibi omnia, quæ in hac re gesta sunt, sufficienter esse perspecta, utpote qui Innocentii X jussu omnibus illis congressibus interfuerit, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa sit, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset.

Excerptas

In sensu a Jansenio intento damnat.

Declarat dein ac definit, quinque illas Propositiones, ex libro Jansenii, cui titulus *AUGUSTINUS*, *excerptas*, *ac in sensu*, *ab eodem Jansenio intento*, *damnatas fuisse*, & uti tales, inusta eadem singulis nota, iterum damnat, cum ipso etiam libro Jansenii, omnibusque aliis editis aut manuscriptis, in quibus prædicta Jansenii doctrina adstruitur vel defenditur. Mandat denique omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel scripto, exponant vel interpretentur, palam vel occulte imprimant sub pœnis & censuris contra hæreticos in jure expressis, ipso facto absque ulla alia declaratione incurrendis.

Executores autem hujus Constitutionis deputat Episcopos aliosque locorum ordinarios, Inquisitores, Judices Ecclesiasticos, suumque in Belgio Nuntium.

Anno 1657.

146. Commendatarii Monasteriorum Camaldulensium ne se ingerant in electionem Superiorum & Officialium.

148. Mandat, ut Cardinales, trium Patriarchalium Ecclesiarum, S. Petri, S. Joannis Later. & S. Mariæ Majoris Archipresbyteri, Divinis

pis Officiis diligenter intersint, aliisque exemplo præluceant, jura Ecclesiarum suarum defendant &c.

153. Prohibentur in Ecclesiis profani Cantus, & Moduli Musici, qui Choreas potius, quam Ecclesiasticam melodiam & gravitatem imitantur. Profani Cantus.

165. Hortatur Joannem Austriacum, Gubernatorem Belgii, ne alios Professores in Academiam Lovaniensem assumi sinat, nisi qui sanæ sint doctrinæ.

173. Concedit plenariam Indulgentiam omnibus, qui in Domibus Societatis Jesu per octiduum sacra peragunt Exercitia.

176. Quia per irruptionem Svecorum & Moscorum in Poloniam atque aliorum rebellionem res Catholica in Polonia est imminuta, schisma vero & hæresis potentius invaluit, ampla Nuntio Apost. datur potestas, Religionem ad meliorem statum perducendi.

177. Declarat, Cistercienses posse vesci carnibus, cum abstinentia ab illis non sit de substantia Regulæ.

178. Præsules Poloniæ & Lithuaniæ, quorum zelus turbatis Reipublicæ temporibus enituit, hortatur, ut per visitationes & Synodos rem prolapsam restituant.

183. Ministri Regii Neapoli Episcopos Ortonensem & Camplensem arci Piscariæ incluserant. Papa committit Nuntio, ut eos sibi extradi curet, custodiendos, donec de excessibus constet.

195. Subsidium decem millium Talerorum, ab Ecclesiasticis tradendum, Casimiro Regi Poloniæ addicit.

Anno 1658.

197. Transactio inter Ferd. Carolum Archiducem Austriæ, Comitem Tyrolis, & inter Episcopum Curiensem super annosa lite de juribus in Valle Venusta &c. approbatur.

201. Pontifex prætendit de jure & consuetudine, ut electionis in Rom. Regem aut Imperatorem, & aliorum requisitorum Instrumenta sibi prius exhibeantur, & non nisi prævia matura causæ discussione, in Consistorio suo secreto, & sub Bulla Consistoriali confirmatio impertiatur. Quare protestatur, se per nullum actum his juribus suis velle derogare. Jus Pont. circa electionem Imp.

213. Edita Bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanova, Archiepiscopi Valentini. S. Thomas de Villanova.

229. Quamvis alias Alumnis Collegii Græcorum de urbe præceptum sit, ut ritum Græcum observent, secundum illum autem non tantum Jejunia quadragesimalia servare, sed etiam diebus Mercurii & Jejunium Græcorum.

Veneris ab esu carnium & ovorum abstinere debeant, permisso diebus sabbati carnium esu; concedit tamen illis Pontifex, ut, quamdiu in Collegio versantur, circa jejunia & abstinentias ritum Latinum sequantur.

Anno 1659.

230. Pius V antiquos Pœnitentiarios Minores Basilicæ S. Petri amovit, eisque Presbyteros Societatis Jesu substituit, domumque & reditus assignavit; nec tamen super his, obitu interveniente, litteræ Apostolicæ fuerunt expeditæ. Quare Alex. VII cœptum hoc opus absolvit. Voluit autem esse & appellari *Collegium Apostolicum Minorum Pœnitentiariorum*, illudque sub immediata protectione Sedis Apost. suscepit, atque Presbyteris S. J. in perpetuum concessit, ea lege, ut Societas 12 Pœnitentiarios, cum Rectore, Ministro, & 4 Fratribus laicis in eo constituat.

Pœnitentiaria S. Petri,

Ex Pœnitentiariis duo pro Natione Italica, duo pro Gallica, duo pro Hispana & Lusitana, unus pro Germanica, unus pro Hungarica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Græca, & unus pro Illyrica deputentur a Præposito Generali Societatis. Debent autem singuli esse illius Nationis, pro qua deputantur, nec possunt alii deputari, licet linguam peritissime calleant, nisi, emergente necessitate, ad tempus, donec provisum fuerit de Nationali Pœnitentiario.

Quibus Conditionibus S. J. tradita.

Quamvis autem P. Generalis Rectorem & omnes reliquos deputet, Pœnitentiarii tamen deputati a signatura Pœnitentiarii prius examinari & approbari debent: semel tamen approbati examinandi deinceps non sunt, nisi id ipsi summo Pontifici videatur ex causa particulari. Sicut etiam ad Pontificem recurrendum, si Major Pœnitentiarius Cardinalis aliquem a P. Generali deputatum, nollet admittere. Qui vero semel approbati & in Collegium admissi sunt, amoveri non amplius possunt sine ejusdem Pœnitentiarii Majoris licentia, qui tamen eam negare non debet, nisi ex justis causis, sicut neque amovere aliquem, dissentiente Generali; sed tunc ad Papam referendum.

In Basilica quisque confessionale suæ Nationis occupet bis in die, nempe mane sub Divinis Officiis, & post meridiem tempore vesperarum per duas horas. In omnibus porro, quæ Pœnitentiarii Officium concernunt, subjecti sunt Jurisdictioni Majoris Pœnitentiarii, quoad disciplinam vero regularem & administrationem Oeconomiæ P. Generali. Facultates omnes Alex. VII abrogavit, novasque Pœnitentiariis concessit, in tabula peculiari, publice prostante, descriptas.

231. Si-

231. Similiter Pœnitentiariam Lauretanam ordinavit, confirmato Societatis Jesu Collegio Pœnitentiario, statuitque, ut 12 in eo sint Pœnitentiarii sub Rectore, unus pro Natione & Lingua Gallica, unus pro Hispana, unus pro Germanica, unus pro Belgica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Illyrica, & unus pro Græca, cæteri pro Italica, ejus singuli Nationis, pro qua sunt deputati: omnesque in Ecclesia Lauretana, in qua est sacra Domus, omnium Christi fidelium, ad se accedentium, confessiones diligenter audiant. Reliqua, quæ superiori Constitutione de Pœnitentiariis in Basilica S. Petri de urbe dicta sunt, Minoribus etiam Pœnitentiariis Domus Lauretanæ sunt communia. Deputat eos similiter P. Generalis, cui in iis, quæ disciplinam & œconomiam spectant, sunt subjecti, in iis vero, quæ pertinent ad munus Pœnitentiarii, Cardinali Majori Pœnitentiario Romæ existenti. Similiter Pœnitentiaria Lauretana.

238. Inter Episcopum Herbipolensem & Capitulum facta est transactio super variis causis dubiis & controversis, quam Papa approbavit & confirmavit.

Nota.

Cum in editione Romana, a Carolo *Cocquelines* collecta, quam habeo, desiderentur Constitutiones Alexandri VII ab anno 1660, itemque Clementis IX, eas ex editione Luxemburgensi antiquiore supplendas putavi. Sed quia multo amplior est & plenior Romana, alii etiam sunt Constitutionum numeri.

Anno 1660.

96. Alex VII innovat Constitutionem Pauli V, qua Superioribus Regularibus injungitur, ut, si quem ex subditis suis noverint hæreticum esse, aut de hæresi suspectum, eundem S. Inquisitionis Officio denuntient. Neque in puncto hæresis præmittendam esse correctionem fraternam declarat.

97. Formam Juramenti, quod Alumni Pontificii solent emittere, quod scilicet non tantum triennio, sed per totam vitam Sedis Apost. servitiis sint obstricti, & singulis annis, si in Europa fuerint, si vero extra Europam, singulis bienniis, Congregationi de Propaganda fide status sui rationem sint reddituri, confirmat. Juramentum Alumnorum.

108. Indicit Jubilæum pro obtinenda ope Divina contra Turcam.

109. In quem finem per Italiam imperat 6 Decimas, de bonis Ecclesiasticis.

Anno 1661.

111. Regulares Ord. Cisterciensis, utentes dispensatione Sedis Apost. circa esum carnium, ubique acceptata, non posse privari voce activa & passiva ab iis, qui carnibus abstinent.

113. Concedit, ut 11 Congregationes Monasticæ 40000 Scutorum ad censum capiant pro prima solutione sex Decimarum.

114. Innovat Constitutiones & Decreta in favorem sententiæ, asserentis, animam B. V. Mariæ in primo instanti creationis, ex speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati Originalis præservatam, immunem, atque in hoc sensu conceptionis ejus Festivitatem a Fidelibus solenniter celebrari. Crevisse horum numerum post Constitutionem Sixti IV a Trid. innovatam, & observari mandatam.

Constitutio celebris in favorem sententiæ piæ de Immaculata Conceptione.

Auctam rursus fuisse hanc pietatem post erectum hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Ordinem Religiosum & Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias, ita ut, accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam omnes fere Catholici eandem complectantur. Et quia ex contraria sententia orta sint scandala, a Paulo V prohibitam fuisse publice doceri aut prædicari, eamque prohibitionem a Greg. XV ad privata quoque colloquia extensam, cum mandato, ut non alio, quam conceptionis nomine in Missa & Officio quicunque utantur.

Nihilominus tamen, prout Rex, Episcopi, & Capitula Hispaniarum conquerantur, non defuisse, qui contra dictas prohibitiones piam sententiam etiam publice impugnare & vellicare præsumerent.

Quare Alex. VII Antecessorum exemplo volens piæ sententiæ favere, ac tueri hanc devotionem & cultum erga sanctissimam Virginem, sine macula Originalis peccati conceptam, eandem sententiam prohibet impugnari, argumenta insoluta relinquendo, contrariam vero doceri, asseri, aut defendi gravissime vetat. (8 *Dec.* 1661)

115. Beatificatio *Francisci Salesii.*

Anno 1663.

Revocat Decretum Innocentii X.

134. Innoc. X statuerat, ut Provincialium & Superiorum localium Societatis Jesu Officium triennio terminetur, atque iidem per sesqui annum ad nullius Superioris munus deinde applicentur. Hoc Innocentii statutum abrogat Alex. VII, tempusque Regiminis Præposito Generali ad mentem S. Ignatii Fundatoris liberum relinquit.

141. In-

141. Indulgentias plenarias concedit omnibus Confessis & S. Communione refectis, Festo SS. Ignatii & Xaverii templum S. J. devote visitantibus.

Anno 1664.

147. Jubet confici novum librorum prohibitorum Indicem ordine Alphabeti sine antiqua distinctione in tres classes, ne quis putet, eos, qui sunt in prima classe, magis esse prohibitos, quam ii, qui sunt in 2 vel 3 classe; cum tamen hi aliquando sint deteriores illis. Index librorum prohibitorum ordine Alphab.

149. Ad instantiam Ord. S. Dominici vetat, ne Minores novum Rosarium, tanquam traditum S. Francisco & S. Claræ, sub titulo Seraphici introducant.

Anno 1665.

157. Exhibetur formula Juramenti, subscribenda ab omnibus Ecclesiasticis Galliæ, pro rejiciendis 5 Propositionibus Jansenii. Est autem talis: Forma abjurandi 5 Propositiones Jansenii.

Ego Constitutioni Apost. Innocentii X datæ 31 Maji 1653, & Constitutioni Alexandri VII datæ die 16 Oct. 1656 summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen AUGUSTINUS, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apost. damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

158. Prohibet duas Censuras S. Facultatis Parisiensis, latas in duos libros, quorum primo titulus: *Defensio auctoritatis Pontificiæ &c.* Alteri: *Amadæi Guimenii Lomarini Opusculum, singularia totius fere Theologiæ moralis complectens, adversus expostulationes contra nonnullas Jesuitarum Opiniones Morales, ad Tractatum de peccatis, de opinione probabili &c.* Judicium vero de contentis in his libris sibi reservat.

Anno 1666.

166. Exhibetur Bulla Canonizationis S. Francisci Salesii. S. Salesius.

168. Multa referuntur de Regulis & Instituto Ord. Cisterciensis.

Obitus Alex. VII.

Obiit præclarus hic Pontifex 22 Maji 1667. Zelo ardebat singulari Religionem propagandi. Sabaudiæ Duci adversus Waldenses, Regi Poloniæ adversus Svecos, Regi Hungariæ & Venetis adversus Turcas, Catholicis Helvetiæ Cantonibus adversus Tigurinos & Bernates, larga suppeditavit belli subsidia. Christinam Sveciæ Reginam propter fidem exulem, Romæ recepit honore regio, invitatam prius per Lucam Holstenium, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, virum doctrina cele- Elogium.

celeberrimum. Societatem Jesu, propter obedientiam Sedi Apost. præstitam, Veneta ex ditione pulsam, reduxit. Litteratos æstimatione & amore præcipuo est complexus, litterarum & omnigenæ eruditionis ornamentum ipse longe maximum. Fortitudinem ejus in adversis probavit dissidium cum Gallia, ob læsum a Corsis legatum exortum; quod alias descripsimus.

Articulus IX.

Clemens IX.

Anno 1667.

157. Vacantem 29 diebus sedem implevit Julius *Rospigliosus* Pistoriensis Hetruscus 20 Jun. 1667.

Primis Constitutionibus indixit Jubilæum: privilegia pro more contulit Conclavistis & Dapiferis. Confirmat Decreta Capucinorum, in Capitulo Generali concepta. Officium S. Ignatii sub ritu duplici ab omnibus celebrari præcipit: Officium vero & Missam de B. V. Immaculata, cum octava.

Anno 1668.

26. Suspendit statutum Innocentii X, quo voluerat, singulis novenniis celebrari Congregationem Generalem ab Ordine Societatis Jesu.

27. Indulgentias concedit orantibus pro conservatione Regnorum Poloniæ & Cretæ.

Congr. Jesuatorum extincta. 30. Supprimit & extinguit Congregationem Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiis, item Congregationem *Jesuatorum* S. Hieronymi, & Fratres S. Hieronymi de Fesulis. Bona eorum ad alias pias causas destinat. Sacerdotibus prædictarum Congregationum præcipit, ut vel alios Ordines ingrediantur, vel in habitu Sacerdotum sæcularium sub obedientia Ordinariorum vivant.

31. Anathemate ferit interfectores Episcopi Nicoterensis.

Anno 1669.

35. Omnibus Religiosis prohibet exercere mercaturam, aut negotiationem sæcularem, etiam in Indiis, Japonia, China.

Congr. Card. pro Indulg. & Reliquiis. 36. Erigit Congregationem Cardinalium & aliorum Prælatorum pro Indulgentiis & sacris Reliquiis recognoscendis.

38. Con-

38. Confirmat Decreta Alexandri VII & Congregationis de Propaganda Fide circa quosdam abusus, in Indiis vigentes. Præcipit videlicet — Decretà de Missionariis Indiarum.

1. Ne Clerici cogant pauperes ad operas locandas suis Ecclesiis absque mercede.

2. In infligendis pœnis magna moderatione utantur, & lenitate in instructione.

3. In Seminarium etiam Nobiles admittantur.

4. Uti etiam ad scientias addiscendas omnes sine discrimine; nisi culpa sua se indignos reddiderint.

5. Presbyteri sæculares idonei a Beneficiis & cura animarum ne arceantur; cum Regulares illuc adventantes tot millibus non sufficiant.

6. Missionarii ne se ingerant in politiam sæcularem.

7. Concionentur sæpius lingua vernacula illius populi.

8. Deputet Vicarius in Confessarios etiam Sacerdotes sæculares, ne solis Regularibus & exteris confiteri debeant.

9. Abusus audiendi confessiones per interpretem, aut exhibendo syllabum peccatorum pœnitenti, & hujus annutum, penitus tollatur.

10. Nemo sub prætextu ignobilitatis aut rudioris ingenii a Sacramentis arceatur, nisi prorsus sit incapax.

11. Ad ægrotos etiam in vile ac sordidum tuguriolum S. Viaticum deferant, memores, Christum in stabulo natum & in Cruce mortuum.

12. Ne ritus Christianos cum gentilibus confundi patiantur.

13. Caveatur omnis avaritiæ suspicio, Sacramenta & Divina gratis ministrentur, pro sepultura nihil exigatur.

14. Parochi Europæi habeant Capellanum Indum, qui sermone patrio concionetur, & confessiones audiat.

15. Pueri idonei instruantur Grammatica aliisque necessariis, ut in Sacerdotes possint aliquando formari.

16. A processionibus arceatur, quidquid ex gentilitatis reliquiis est ludicrum aut minus dignum.

39. Declarat, si de festo Duplici celebretur Missa in altari privilegiato, illam suffragari animabus, licet non legatur Missa defunctorum.

Obiit Clemens IX Romæ 9 Dec. 1669, Pontificatus tertio; virtute, integritate, rebusque gestis compensans brevitatem Regiminis. Frequens in nosocomiis ægrotis ministrabat; peregrinos omni humanitatis genere coluit, 12 pauperibus quotidie in suo palatio mensæ adhibitis. Cretam Insulam ut servaret, nihil intentatum reliquit: — Elogium.

Principes Christianos, & Christianissimum maxime Regem, quamvis bello Belgico tunc distentum, permovit, ut Insulæ, Europæ præsidio, succurrerent. Sed major erat hostis potentia, & peccata fortassis minora. Candia civitas princeps, post 52 Turcarum insultus fractos & propulsatos, illis tandem se dedere coacta est, summo mœrore Clementis IX.

Gallicanæ Ecclesiæ pacem dedisse visus est, cum 4 Episcopi, Alectensis, Apamiensis, Andegavensis, & Bellovacensis, qui formulæ Alexandri VII subscribere detrectaverant, totumque regnum dissidiis miscuerant, ejus auctoritate permoti simpliciter subscripserunt, prout pluribus litteris & testimoniis Pontifici Romam nuntiatum est.

Articulus X.

Clemens X.

Anno 1670.

Postquam sedes quinque propemodum mensibus vacaverat, vota denique Canonica cecidere in Æmilium *Altierium* Romanum 29 Aprilis 1670, qui vix adduci potuit, ut sacrum Principatum assumeret, octogenariæ jam ætatis, & virium infirmitatis usus excusatione.

Excerpta ex Constitutionibus

Clementis X.

Anno 1670.

138. S. Petrus de Alcant. 1. Constitutio continet Bullam Canonizationis *S. Petri de Alcantara*, Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum, ubi insignes ejus virtutes, Reformatio Ordinis, & miracula recensentur.

S. M. M. de Pazzis. 3. Bullam Canonizationis S. Mariæ Magd. de *Pazzis* Ord. B. M. V. de Monte Carmelo, cum virtutibus & prodigiis.

8. Præceptum recitandi *Officium S. Xaverii* sub Ritu Duplici.

9. Indictionem Jubilæi universalis.

Approbatio. 10. Regularibus non licere prædicare sine licentia Episcopi, nec audire confessiones sæcularium, sine ejus approbatione: specialem autem requiri ad audiendas confessiones Monialium.

24. Indultum de Missa & Officio celebrandis in honorem B. *Stanislai Koskæ* 13 Nov. per totam Poloniam, Lithuaniam, & in omnibus S. J. Ecclesiis.

25. Pro-

25. Proponitur Instructio, quomodo examinandi sint testes super contrahendis matrimoniis.

37. Revocantur exemptiones a vectigalibus & oneribus publicis.

Anno 1671.

47. Confirmantur exemptiones & privilegia Collegii Germanici.

59. Promulgatur pro more Bulla Cœnæ.

62. Canonizatio *S. Rosæ Limanæ*, tertii Ordinis S. Dominici. S. Rosa Lim.

63. Uti etiam *S. Ludovi Bertrandi* Ord. S. Dominici, Missionarii Apostolici in America, cum insigni elogio. S. Lud. Bertrandi.

64. Nobilibus in Statu Ecclesiastico datur licentia, exercendi commercia sine præjudicio Nobilitatis, ut illa magis pro bono publico floreant, & otium vitetur.

65. 66. 69. Indulgentia plenaria pro omnibus fidelibus concessa in festo S. Lud. Bertrandi, Rosæ Limanæ, Cajetani Thyenæi, & S. Franc. Borgiæ, in eorum respective Ecclesiis. S. Cajetanus. S. Borgias.

In sequentibus multæ aliæ Indulgentiæ conceduntur pro variis Sanctorum Festis.

Anno 1672.

93. Quando sæculares apud Regulares sepulturam eligunt, Parochus non plus eleemosynæ exigat, quam percepisset, si in Ecclesia Parochiali sepulti fuissent. Quando autem cum cadavere ad Ecclesiam Regularem fuerit perventum, functiones funerales non ad Parochum, sed ad Regulares pertinere. Funeralia.

95. Idem repetitur, Parochum, cum ad Ecclesiam Regularem funus comitatus fuerit, posse ad januam funus benedicere, sed non intrare Ecclesiam, officia vero funeralia Regularibus relinquenda.

Not. Videtur hic decisa quæstio, quam aliqui Canonistæ moverunt, an, cum aliquis apud Regulares sepelitur, Parochus in sua Ecclesia possit exercere funeralia, uti Officium funebre &c. atque pro illis taxam exigere? nam funebres functiones debet Regularibus relinquere, eleemosynam tamen consuetam, quam percepisset, si in Ecclesia sua sepultura fuisset celebrata, potest exigere a defuncti hæredibus.

97. Beatificatio Pii V Papæ.

102. Indulgentia plenaria pro Ecclesiis Servorum B. M. V. festo S. Philippi Benitii, quem Clemens X cum Lud. Bertrando, Rosa Limana, Cajetano, & Franc. Borgia, Sanctis adscripserat. S. Philippus Benitius.

106. Constitutio 93 & 95 circa funera extenditur ad eos, qui eligunt sepulturam in Ecclesiis S. J.

109. Archiepiscopus Genuensis sedem suam in Ecclesia secundum ritum consuetum in cornu Evangelii habuerat; hunc autem dein locum Dux & Senatores occuparunt, translata ad cornu Epistolæ Archiepiscopi sede. Diu lis tenuit. Tandem Archiepiscopus transactionem iniit, quam hic irritam Papa declarat.

Crimina quæ jubentur denunciari.

110. Enumerantur crimina, quæ in virtute S. Obedientiæ & sub pœna excommunicationis, jure ipso incurrenda, jubentur denuntiari Officio sacræ Inquisitionis, aut Ordinariis locorum, uti hæreticos, aut de hæresi suspectos, fautores, defensores &c. suspectos de magicis artibus, aut necromantia, incantatione, sortilegio, pacto tacito vel expresso cum dæmone, aliisque superstitionibus, ad inveniendos thesauros adhibitis &c. legentes absque facultate, aut retinentes, imprimentes, vendentes libros hæreticos, aut libros hæreticorum, ex professo de religione tractantes, aut necromantia ac rebus magicis, maxime cum abusu rerum sacrarum: aut qui contra votum solenne, aut vivente conjuge, attentant matrimonium. Qui abutuntur Sacramento pœnitentiæ ad fines inhonestos, sollicitationes ad turpia. Proferentes blasphemias hæreticales contra Deum, Sanctos, sacras Imagines. Qui agunt conventicula in contemptum vel præjudicium religionis. Qui induxerunt aliquem ad sectam Judaicam, vel aliam, Religioni Catholicæ contrariam. Si non Sacerdos attentet legere Missam, aut audire confessiones, etiamsi non exprimat verba consecrationis aut absolutionis. Alii autem casus, hic non expressi, nullatenus excluduntur; jubeturque hæc ordinatio quot annis bis publicari.

116. In Gallia soli Minores S. Francisci Tertii Ordinis conferant habitum Tertii Ordinis, exclusis Capucinis.

Etiam Convictores in Coll. Germ. jurare debent.

118. Præter Alumnos in Collegium Germanicum & Hungaricum etiam suscipiuntur convictores, qui suis sumptibus vivunt, nec juramentum emiserunt, quod statim, absolutis studiis, aut e Collegio dimissi, in patriam sint reversuri, sed Romæ moras trahebant, atque excusso disciplinæ jugo, innocentiam, quam attulerant, non adeo studiose coluerunt; quare Papa præcipit, ut etiam convictores juramentum de festino in patriam reditu sicut Alumni præstent.

120. Renovat Decretum Urbani VIII contra quosdam Officiales in Portugallia, violantes Immunitatem Ecclesiasticam.

121. Anathema eorum, qui Jacobum Patriarcham Antiochenum, domum redeuntem in rheda lethaliter vulneraverunt.

Anno 1673.

126. Prohibetur, nequis libros aut scripta in lucem edat de Missionibus absque expressa licentia S. Congreg. de Propaganda Fide, in scriptis obtenta, ac libro præfixa. Non edendi libri de Missionibus.

131. Enumerantur & confirmantur Indulgentiæ, confraternitati S. Scapularis hactenus concessæ, & Ordini Carmelitarum.

138. Indultum, ut de B. Bernardo Ptolomæi, Fundatore Congregationis Montis Oliveti Ord. S. Benedicti, celebretur Missa & Officium 20 Aug. a tota Congregatione.

140. Declaratur, Constitutiones 93 & 95 supra relatas, de associatione cadaveris & ingressu Cleri sæcularis in Ecclesias Regularium, non esse observandas in regnis Castellæ & Legionis.

144. Vicarii Apostolici eorumque Missionarii in Indiis Orientalibus eximuntur a S. Inquisitione Goana, si versentur in iis locis, quæ non sunt subjecta Regi Portugalliæ, uti in Sinis, Cocincina, Siamo, Tunkino, Camboya, Principibus Infidelibus subjectis. Res [illegible]

145. Multa alia disponuntur in favorem Vicariorum Apostolicorum in Sinis & Indiis, quibus etiam Regulares quoad varia subjiciuntur.

146 Nullus acceptet Officium Vicarii Generalis vel Foranei in Sinis aliisque regnis, quæ Vicariis Apostolicis Episcopis sunt attributa.

147. Nemo impediat Missionarios, a superioribus suis in Indias destinatos, a suo itinere.

148. Vicariis Apostolicis Episcopis in Sina & India prorogatur potestas, ex indigenis ordinandi, absque titulo, Sacerdotes, modo sciant legere latine, quamvis non intelligant, & Canon Missæ & formulæ Sacramentorum ipsis declarentur. Breviarium vero ipsis mutari potest in alias preces.

150. Confirmatur electio B. Stanislai Koska in patronum principaliorem Poloniæ & Lithuaniæ.

Anno 1674.

155. Præcipitur omnibus Episcopis & Regularibus, in virtute S. Obedientiæ, ut Ordinationes S. Congregationis de Propaganda Fide observent.

156. & 157. Eximuntur iterum Episcopi & Vicarii Apostolici in Sinis & Indiis ab omni Jurisdictione Ordinariorum in locis ipsis assignatis.

162. Papa avocat aliquas causas, pendentes in S. Inquisitione Lusitana; easque committit Inquisitioni Romanæ, cui obedire præcipit.

166. Canonici Bisuntini Decanum, primam post Pontificalem dignitatem, eligunt. Excommunicantur, & pœnitentes absolvuntur.

167. Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ jam anno 1603 cum Genevensibus conventionem inierat, qua ipsis quædam bona, ad Ecclesiam Cathedralem Genevensem spectantia, concesserat, aliaque contra immunitatem Ecclesiasticam. Clemens X hæc omnia irrita declarat.

Anno 1675.

170. Beatificatio Joannis de Cruce, primi Carmelitæ Discalceati.

171. Item Francisci Solani Ord. FF. Minor. S. Francisci de Observantia.

175. Revocatur Constitutio 116 atque tam Capucinis, quam Tertiariis in Gallia datur potestas, sæculares utriusque sexus admittendi ad Tertium Ordinem S. Francisci, juxta usum receptum.

176. Plures Pontifices prohibuerant, ne in Collegium Germanicum & Hungaricum Itali assumerentur, sed cum hoc ob potentes commendationes non semper observaretur, atque inde ob diversitatem Nationum disciplina labefactaretur, Cardinales Protectores Collegii, Barberinus, Chisius, Rospigliosus, de Alteriis Clementi X supplicarunt, ut Decretum conderet non alios in Collegium admittendi, nisi qui habent qualitates in Bulla fundationis & Constitutionibus requisitas, & sint nati & educati in provinciis, in eadem Bulla determinatis.

179. Papa domum emit pro hospicio conversorum ab hæresi, illudque dotat.

180. Confirmantur exemptio & privilegia Collegii Germanici, atque Jurisdictio, per solos Cardinales Protectores exercenda. Attribuit Greg. XIII Collegio in partem fundationis Monasterium quoddam S. Benedicti desertum, in Ducatu Mediolanensi; sed dum Episcopus Laudensis Jurisdictionem in illud exercere conatur, intervenientibus Cardinalibus Protectoribus, Papa illum coercet.

181. P. Antonius Vieyra S. J. Lusitanus, cum ob aeris incommoda Roma in patriam redire vellet jam senex, a Papa exemptus fuit ab omni jurisdictione S. Inquisitionis Lusitanicæ, ac soli Romanæ universali per orbem Christianum Inquisitioni subjectus. Laudat in eo Pontifex Religionis zelum, sacrarum litterarum scientiam, vitæ ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita.

P. Vieyra.

188. Sta-

188. Statuitur, ut Convictores in Collegiis Anglorum, Græcorum, Maronitarum, Scotorum, & Hibernorum, curæ Societatis Jesu attributis, eodem omnino, ac Alumni, victu, vestitu, & disciplina utantur.

190. Paulus III & Pius IV statuerant, ut nemo ex Societate Jesu possit ad alium ordinem transire sine summi Pontificis aut Præpositi Generalis S. J. licentia (solo Ordine Carthusianorum excepto) Greg. XIII postea decrevit, ut cum eadem licentia possint transire ad quemcunque Ordinem; cum autem P. Generalis negaret licentiam, ad laxum ordinem, in quo non vigeret religiosa disciplina, quidam ad strictæ observantiæ ordinem primo transibant, dein vero ab hoc ad laxum. Hoc Papa hic fieri prohibet, tertiamque illam professionem in ordine laxo irritat, si facta sit sine Sedis Apost. aut Generalis S. J. licentia.

194. Præcipitur Ordinariis locorum & Generalibus Ordinum, ut saltem bis in anno necessitates Terræ Sanctæ populo proponi curent.

195. Beatificatio 19 Martyrum Gorcomensium.

Articulus XI.
Excerpta ex Constitutionibus
Innocentii XI.
Anno 1676.

Constit. 1. Pro more promulgavit & confirmavit Regulas Cancellariæ. 139.

9. Duæ Quæstiones a Minoribus fuerunt propositæ. 1. An Parochus, per cujus Parochiam funus processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium, pro transitu possit aliquid exigere? *Responsum* negative. Deductio funeris.

2. An Parochus defuncti possit libere & licite per alterius Parochiam processionaliter transire cum cadavere ad Ecclesiam Regularem cum stola & cruce elevata? *Responsum* affirmative.

15. Consecratam Hostiam vel ejus particulam surripientes vel retinentes, tradantur Curiæ seculari. Cognitio vero de Hostia ad S. Inquisitionem spectat.

Anno 1677.

44. Dismembrantur ex Archiepiscopatu Bituricensi sex Episcopatus, & ex illis novus constituitur Archiepiscopatus Albiensis, ad preces Lud. XIV.

Anno

Anno 1678.

45. Cum dissensiones inter Vicarios Apostolicos & Missionarios in Sinis essent ortæ, septem Missionarii S. J. ad urbem sunt revocati, atque omnibus cujuscunque Ordinis & Instituti certa juramenti formula præscribitur, quod, si Ordinarii Indiarum, vel Principes aut Reges Catholici fuerint conquesti de administratione Missionum, sua jura & privilegia violari, se nolint ingerere, sed suo officio ad præscriptum Sedis Apost. fungi: in locis Vicariorum Apost. nullos actus exercere (non obstantibus quibuscunque Ordinis privilegiis) nisi prius a Vicariis accepta sit approbatio & licentia. Jurare insuper jubentur, se Decretis Sedis Apost. & Congregationis de propaganda, sine ulla disquisitione, aut sub- vel obreptionis exceptione, illico parituros.

7 Missionarii revocati.

Juramentum.

47. Declarantur irrita acta omnia a consilio Castellæ in Hispania contra Nuntium Apost. in Capitulo Clericorum Regularium, cum violatione immunitatis Ecclesiasticæ.

Anno 1679.

54. Damnantur 65 Propositiones, tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ sub pœna excommunicationis. Quas Part. IX cap. I exhibui una cum damnatis ab Alex. VII & Alex. VIII.

56. Conceditur pro Regno Portugalliæ Facultas celebrandi festum B. M. V. de Monte Carmelo, cum Missa & Officio.

57. Quatuor Monasteria Eremitarum S. Augustini separantur a Provincia Bavarica, videlicet, Salisburgense, Dissembergense, Ratembergense, & Sefeldense, aliis provinciis aggreganda.

58. Carolus II Rex Catholicus elegit S. *Josephum* in Patronum & Protectorem omnium suorum regnorum & provinciarum. Hanc electionem ad instantiam Regis Papa confirmat, concessis in ejus Festo plenariis Indulgentiis.

S. Josephus Patron. Hisp.

60. Festum Patrocinii B. V. M. ab Alex. VII institutum, extenditur ad omnes ditiones Regis Catholici.

61. Declaratur, Inquisitores Portugalliæ suspensionem ab officiis incurrisse propter inobedientiam erga suam sanctitatem, quæ jusserat, ut aliquot Processus, contra Judæos instituti, in manus Nuntii Apost. consignarentur.

68. Adscribitur albo Beatorum servus Dei Thurribius Archiepiscopus Limanus, cum facultate Missam & Officium celebrandi Limæ, ubi obiit, Majoricæ, ubi natus est, & Salmanticæ, ubi studuit, exponendi ejus reliquias, non tamen in processione circumferendi.

70. Con-

70. Confirmatur summarium Indulgentiarum Confraternitatum SS. Rosarii.

71. Conceditur privilegium præscriptionis centenariæ Canonicis Regularibus S. Joannis in Lusitania, prout Paulus III Congregationi Cassinensi illud concesserat.

73. Quando contigerit, Festum S. Benedicti transferri, transferuntur quoque Indulgentiæ plenariæ.

Anno 1680.

81. Extenditur Festum B. M. de Mercede ad omnia dominia Regis Catholici, cum Missa & Officio celebrandum.

85. Approbantur Institutum & Constitutiones Clericorum sæcularium, in commune viventium, sub immediata jurisdictione Ordinariorum, quod anno 1640 auspicatus est Bartholomæus Holzhauser, Vicarius Chiemensis, Sacerdos pientissimus, extraordinariis Dei gratiis illustratus, qui zelo Domus Dei accensus, sæculares Sacerdotes ad normam primæ Christianæ Ecclesiæ reformavit. Inst. Cleric. in comm. viventium.

In 6 autem partes eorum Institutum dividitur. Prima tractat de *cura propriæ salutis* & *profectu in spiritu*: secunda *de communione bonorum*; nam reditus suos Ecclesiasticos ad commune Instituti bonum contribuunt; de patrimonialibus vero pro arbitrio possunt disponere, memores tamen pauperum suorum consanguineorum. Tertia de *fraterna cohabitatione* duorum vel trium Clericorum, si fieri possit, in eadem domo. Quarta de *separatione mulierum*, ne in eadem domo cohabitent cum Clericis. Quinta *de obedientia*, quam exhibere debent suo Ordinario, a cujus jurisdictione nulla ratione sunt exempti, ac propriis suis superioribus, ac præsertim generali Præsidi. Sexta *de cura animarum*. Ad hoc autem Clericalis vitæ & disciplinæ genus juramento se adstringunt.

Adduntur tres Constitutiones de juventute ad hanc normam instituenda. Prima agit de pietate *Christiana*. Secunda de *morum honestate*. Tertia de *studiis litterarum*.

Hoc igitur Institutum Clericorum sæcularium in commune viventium, Ecclesiæ utilissimum, ejusque Constitutiones Innoc. XI approbavit, ad instantiam Imperatoris, Electorum, Moguntini, & Bavari, pluriumque Episcoporum, qui hos Clericos (quos *Bartholomitas* ab auctore vulgo appellant) in Diœceses suas receperunt, magno Clericalis vitæ, & animarum emolumento.

95. Confirmantur Decreta, quibus statuitur, ut in statu Ecclesiastico masculi agnati, exclusis fœminis succedant, ad conservandas familias.

96. Prolixe declarantur & confirmantur Regulæ & Constitutiones Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti.

Anno 1681.

99. Concesserat Clemens X, ut Festum SS. Joannis de Matha & Felicis de Valois in tota Hispania celebretur. Hoc indultum Innoc. XI ad totam Galliam extendit.

100. Extenditur Festum S. Rosæ Limanæ ad Lusitaniam.

Anno 1682.

116. Cantabri S. Ignatium in Patronum suum primarium elegerant; hanc electionem secundum Decretum Congregationis rituum Papa confirmat.

118. Confirmatur summarium Indulgentiarum & facultatum &c. confraternitati servorum B. M. V. de Matre dolorosa.

Anno 1683.

130. Congregationi Suevicæ Ord. S. Benedicti conceduntur omnia privilegia spiritualia, Congregationis Cassinensis, S. Justinæ de Padua &c.

131. Indicuntur omnibus Ecclesiasticis per Italiam & Insulas adjacentes tres decimæ per quinquennium propter bellum Turcicum: exceptis Cardinalibus, Melitensibus &c.

Anno 1684.

Religio Piarum Scholarum.

136. Greg. XV Congregationem Pauperum Matris Dei *Piarum Scholarum* in Ordinem Religiosum Mendicantem erexerat anno 1621, Innoc. XI vero hic eos a Jurisdictione Episcoporum eximit, omnibusque privilegiis Religiosorum Mendicantium ornat.

143. Confirmantur aliæ novæ Constitutiones Clericorum sæcularium in communi viventium.

Congr. Benedictino-Bavarica.

144. Erigitur Congregatio Benedictino-Bavarica Monasteriorum, videlicet Ratisbonensis ad S. Emmeranum, Reichenbacensis, ad Superiorem Quercum, Michaelfeldensis in Palatinatu, Prüfeningensis, Ensdorffensis, & Weissenoviensis in Palatinatu, Mariæcellensis prope Ratisbonam, Mallerstorffensis, Tegernseensis, Rothensis, Scheurensis, Atlensis, Weichenstephanensis prope Frisingam, Benedicto-Burani, Andecensis, Wesso-Fontani, Thierhauptensis, ut Congregationis Benedictino-Helveticæ, doctrina, disciplina, zelo honoris Dei apprime florentis exemplo, inter se arctius unita, mutuis sese officiis ad summum florem perducerent: simulque Papa hanc Congregationem eximit a Jurisdictione ordinaria

dinaria Episcoporum, salvo jure pristino confirmandi Abbates, itaque, quæ Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apost. competunt.

Anno 1685.

149. Declaratur, Clericos Regulares in commune viventes omnium Beneficiorum esse capaces, & ad titulum communitatis ordinari posse.

Anno 1686.

160. Confirmantur Constitutiones Congregationis Benedictino-Bavaricæ, biennio abhinc erectæ, sub invocatione SS. Angelorum custodum.

Singulis trienniis Abbates conveniant in aliquo Monasterio, & Capitulum celebrent; Præsidem cum 2 Visitatoribus eligant, atque de iis tractent, quæ ad observantiam Regulæ S. Benedicti spectant, & de statu etiam temporali Monasteriorum. Impeditus Procuratorem mittat, qui tamen post Abbates sedeat. Religiosis appellatio ad Præsidem conceditur, per litteras facienda, & ab hoc ad Capitulum, denique ad Papam. Constit. ejusdem Congr.

Præses habeat proprium Congregationis sigillum, & documenta, & in uno Monasterio constituatur commune Archivium, cum aliquali Ærario pro Visitatoribus aliisque necessariis expensis, quarum ratio reddenda in Capitulo. Visitatores per ipsum Abbatem loci delinquentes corrigi faciant. Si vero Abbates fuerint negligentes, in proximo generali Capitulo corripiantur. Aut etiam ab officio amoveantur, si nimis fuerint negligentes aut dilapidatores.

In Monasteria non plures suscipiantur, quam commode ali possint. In casu necessitatis indigenti Monasterio communi auxilio succurrendum. Et hinc possunt personæ pro casu necessitatis ab uno Monasterio, ad tempus saltem, transferri ad aliud.

Communis Novitiatus instituatur in aliquo Monasterio: prius tamen ad duos menses in Monasterio, ad quod suscipiuntur, versentur in habitu sæculari. Post annum Novitiatus ad Monasterium suum redeant, admittendi ad solennem professionem, si majora suffragia faveant.

Commendantur litterarum studia; hinc ad Monasterium aliquod, communem studiorum locum conveniant juniores Professi. Nullus autem ad Academiam publicam mitti deinceps possit, nisi de consensu Capituli generalis. Professores constituit Capitulum, & extra illud Præses de consilio visitatorum scholastici post absoluta studia annum impendant regularibus exercitiis, sub Instructore pio & experto Pa-

 tre.

tre. Professores novas opiniones, aut parum communes, vel minus tutas ne doceant. S Scripturæ sensum ne detorqueant. Libros non evulgent sine facultate proprii Prælati & Capituli aut Præsidis.

Abbatum potestas.

Abbatum liberæ gubernationi nihil derogatur. Bona tamen immobilia & mobilia pretiosa non alienent sine consensu majoris partis Capituli, nec sine illo contrahantur debita majoris momenti, aut suscipiantur onera perpetua, vel ædificia construantur, unde Monasterium depauperetur; præsentationes ad Parochias, nisi privative ad Abbatem spectent, concessio tituli mensæ, admissio ad professionem, minora etiam negotia, unde periculum vel incommodum Monasterio sequi posset, in Capitulo consulantur. Leviores causæ, uti susceptio ad Novitiatum, admissio ad sacros Ordines &c. cum senioribus expediantur.

Reditus ne ad luxum expendantur. Abbas in itinere socium Religiosum secum habeat. Hospitalitas exerceatur, sed sine superfluitate.

Officiales.

Abbas *Priorem* sibi eligat, 15 saltem annis Professum, de consilio Conventus: qui Disciplinæ Regulari unice invigilet. Singulis septimanis Abbas Capitulum habeat ad emendandos defectus. Priori addatur Sub-Prior, qui primum post Priorem locum occupet. Alios etiam Officiales eligat, qui granario, culinæ, cellæ &c. præsint; qui tamen per se non sint exempti a Choro. Graviora delicta corrigat cum consilio Prioris & Seniorum. Officium Prioris per se duret triennio, uti etiam aliorum Officialium. Tempore quadragesimæ Officiales munera sua quot annis resignent, exspectaturi resolutionem Abbatis.

Disciplina.

In singulis Monasteriis a Conventu eligatur Monitor, qui justas querelas ad Abbatem deferat. Chorus nunquam omittatur, nemoque absit, nisi de speciali licentia. Matutinum in Choro media nocte celebretur, nisi aliud necessitas aut consuetudo legitima in quibusdam locis exigat.

Omnes singulis annis Festo SS. Angelorum vota renovent, præparati pridiano jejunio & animi recollectione. Singulis item annis per octiduum sacra peragantur exercitia cum confessione annua, & quotidie a media 6ta mane ad 6tam pia meditatio, uti etiam ante prandium, & noctu ante cubitum examen generale & particulare per quadrantem horæ. Sacerdotes saltem bis in hebdomade confiteantur, alii semel, ac singulis festis de præcepto, atque majoribus Ordinis ad sacram Synaxin accedant. Ab hora quarta ad quintam vespertinam instituatur lectio spiritualis, & alias sæpius, visitentque superiores.

Com-

Commendatur exacta Clausuræ custodia; & votorum observantia, atque ordinis diurni: jejunium (præter ordinaria) singulis diebus Mercurii, (excepto tempore Paschali & a Nativitate Domini usque ad Epiphaniæ octavam) in Adventu &c. cura infirmorum &c.

Sanctissimas istas & sapientissimas Constitutiones, aliasque plures Innoc. XI Papa confirmavit. 6 Febr. 1686.

161. In Congregatione eadem interim observetur mos pristinus eligendi Abbatem, Præside, Pontificis nomine, Abbate S. Emmerami, donec alia ordinatio fiat.

162. Feuda Romanæ Ecclesiæ alienari non posse sine ejusdem consensu. Hinc irrita declaratur alienatio feudi Masserani, facta Duci Sabaudiæ.

172. Clericos Regulares Piarum Scholarum esse capaces possessionum.

Anno 1687.

186. Abolentur Asyla seu *Franchitia* Domorum secularium; quæ res magnas in Gallia turbas excitavit. Asyla.

190. Priori Generali Ordinis Carthusiani conceditur potestas, suos Religiosos absolvendi a Casibus Bullæ Cœnæ, pro foro interno conscientiæ, ita, ut huic facultati deinceps per promulgationem Bullæ Cœnæ non censeatur derogatum, nisi specifica Carthusianorum fiat mentio.

191. Damnantur omnia scripta, & 68 Propositiones Michaelis de *Molinos*, Quietismi parentis hæresiarchæ. De quibus *Part. IX cap.* 1.

Articulus XII.

Excerpta ex Constitutionibus

Alexandri VIII.

Anno 1689.

In primis pro more resuscitantur & confirmantur Regulæ Cancellariæ, conceduntur gratiæ Conclavistis & Dapiferis. Promulgatur Jubilæum. 140.

5. Electus in Abbatem Ordinis Cisterciensis, qui non sit expresse professus Ordinem, nihil juris acquirit.

6. Revocantur exemptiones a vectigalibus, & aliis oneribus publicis.

Anno 1690.

9. Conceditur, ut Indulgentiæ 2 Aug. in Ecclesiis Minorum applicari possint defunctis.

Privilegia Mission. 14. Missionariis S. J. pro Indis conceduntur variæ Indulgentiæ, & facultates dispensandi in gradibus consanguinitatis & affinitatis, excepto primo, in defectu ordinariorum, aut ultra duas dietas absentium: absolvendi ab omnibus peccatis & censuris, etiam contentis in Bulla Cœnæ: utendi altari portatili, & oleo sacro trium vel quatuor annorum: dispensandi in voto castitatis, non tamen solenni: in impedimentis matrimonii contracti pro foro conscientiæ: item ad petendum debitum conjugale: in jejuniis: legendi libros Infidelium.

Nanchin. Episc. 16. Diœcesis *Macaonensis* dividitur in duas, erecta *Nankinensi*, in China, in quam pariter Regi Portugalliæ Jus Patronatus competat, tum in ordine præsentandi ad novum Episcopatum, tum ad alias dignitates & Beneficia. Ad Archiepiscopatum vero Goanum, sicut Macaonensis, spectet.

Et Pekini. 17. Oppidum pariter *Pekinum* erigitur in Civitatem, constituta Cathedrali, cum prius similiter ac Nankinum ad Episcopatum Macaonensem spectaverit. Pertineat pariter ad Provinciam Goanam. Rex Portugalliæ Jus Patronatus habeat, propter assignatam eidem, sicut Nankinensi, in annos singulos dotem.

Regaliæ. 22. Extensio *Regaliæ*, cum 4 Propositionibus, in Conventu Cleri Gallicani anno 1682 prolatis, & aliis inde secutis, irrita & prorsus nulla declaratur. Vid. Part. VIII de statu Galliæ.

24. Exemplo Pii IV & V prohibet gestare secum certa arma, ad lædendum & occidendum apta, uti pugiones, mucrones, cultros cuspidatos, aliaque breviora, quæ facile abscondi possunt.

36. Damnantur 31 Propositiones, quas vide *Part. IX. cap.* 1.

Articulus XIII.

Excerpta ex Constitutionibus

Innocentii XII.

Anno 1691 *editis.*

141. S. Cajetanus. 3. Promulgatur Canonizatio *Cajetani Thienei*, Clericorum Regularium, qui Cajetani aut etiam Theatini dicuntur, primi Institutoris, una cum Indulgentiis in ejus Festo.

4. Item

Item *Joannis de Deo.* 5. Joannis a *S. Facundo* Ord. Eremit. S. Augustini. 6. Paschalis Baylon, Ord. Minorum Discalc. S. Joan. de Deo. Joan. a S Facundo, S. Baylon.

9. Congregationi Benedictino - Bavaricæ conceduntur omnia privilegia Monachorum Cassinensium.

Anno 1692.

28. Prohibet, ne Romani Pontifices Bonis Ecclesiasticis fratres, nepotes, aliosque consanguineos ditent, neve Cardinali ultra 12 millia Scutorum dentur. Hanc Constitutionem Cardinales jurarunt, & subscripserunt.

31. Potestatem Majoris Pœnitentiarii ita moderatur, ut possit quidem Regulares ab omnibus culpis & censuris absolvere pro utroque foro, sæculares vero pro interno tantum, & ne quidem in hoc personas Principes a Casibus, in Bulla Cœnæ reservatis, nec eos, qui vivente Papa aliam electionem tentant, nec Astrologos judiciarios, nec violatores immunitatis Ecclesiasticæ, nec ab hæresi publica, nec violantes ob malum finem Clausuram Monialium. Potestas Majoris Pœnitentiarii.

Potest autem pro foro conscientiæ dispensare ab omni irregularite occulta, sive ex delicto sive ex defectu proveniat: cum ordinatis per saltum, ordinatis sine litteris dimissoriis, a Simonia occulta. In matrimoniis contrahendis tantum dispensare possit in impedimentis occultis impedientibus, non vero dirimentibus, etiamsi sint occulta: additis tamen exceptionibus, uti si secuta jam sit copula &c. in crimine, si nihil sit machinatum.

Dispensare potest in omnibus votis simplicibus pro foro interno, seu ea potius in alia bona opera commutare; dispensare item cum iis, qui contrahendo matrimonium votum transgressi sunt, ad petendum debitum. Relaxare juramenta, in quibus non vertitur præjudicium tertii &c.

Sede vacante potest absolvere a peccatis, non autem dispensare. Commissiones ipsius non exspirant cum eo. Minores Pœnitentiarii in tribus Basilicis debent ab eo examinari & approbari.

Anno 1693.

56. Mandatur omnibus recitatio Officii & Missa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ.

64. Prætor Cremonensis Festum S. Dominici solenniter agi jusserat; Papa indigne ferens, laicos potestatem suam ad Ecclesiastica extendere, atque ad instituenda in Ecclesia festa, omnia irrita declaravit.

76. In-

76. Indicitur Jubilæum universale pro pace inter Principes Christianos.

Causæ disp. 78. Afferuntur causæ, propter quas Ordines conferri possunt extra tempora, uti sunt, si Candidatus arctetur Beneficio: si sit penuria Sacerdotum: ob solatium patris vel matris post 50 ætatis annos. Si quis sit Canonicus, Doctor Theologiæ aut Juris Canonici: si triennio Theologiæ studuerit, aut 26 ætatis annum jam impleverit.

82. Quia aliqui Cardinales Protectores Ordinum potestatem suam nimium extenderant, Papa eandem limitat.

Anno 1694 & 95.

96. Præscribuntur varia de non ordinandis alienis subditis, atque de litteris Dimissoriis.

98. Confirmantur Indulgentiæ perpetuæ, ab Innoc. XI concessæ, comitantibus SS. Sacramentum, ad ægros pro viatico deportatum, videlicet septem annorum & totidem quadragenarum, si cum lumine, si autem sine lumine comitentur, 5 annorum & 5 quadragenarum, quoties id fecerint.

113. Conceditur plenaria Indulgentia perpetua omnibus visitantibus Ecclesiam S. Francisci Assisiis, si peccata fuerint confessi, S. Synaxi refecti, & consuetas preces persolverint.

Anno 1696.

137. Confirmantur Decreta Congregationis particularis, circa Jurisdictionem Vicariorum Apost. in Anglia contra Regulares, quoad ea, quæ salutem animarum concernunt. Nam Patres Benedictini, qui Angliam ad veram fidem converterant, magnaque a Sede Apost. privilegia acceperant, iisdem se uti porro posse existimabant, quin Vicariis subjicerentur.

Vicarii in Sinis. 138. Cum in Sinis, favente *Chambio* Imperatore, cresceret multitudo credentium, jamque Macaonensis, Pekinensis, & Nankinensis Episcopi, non possent curam Pastoralem in tot regiones populosque remotos extendere, pluribus provinciis præpositi sunt *Vicarii Apostolici*, donec Episcopi mitterentur. Sed inimicus homo superseminavit zizania.

Et India exempt. 139. Clemens X suadente Congregatione de Propaganda Vicarios Apostolicos, ad Indos & partes Orientis missos, ceu delegatos Sedis Apost. ita ab Episcoporum Jurisdictione exemit, ut in provinciis, ad quas missi sunt, privativam & independentem Jurisdictionem exercerent. Verum Goanus Archiep. Malacensis & Macaonensis Epi-

Episcopi, in regnis Siami, Cocincinæ, Cambayæ, aliisque adjacentibus, Vicariorum Jurisdictionem impedire conati sunt.

Quare Innoc. XII Clementis X litteras confirmat, & prædictis Episcopis in virtute S. Obedientiæ præcipit, ut, quæ in litteris illis continentur, observent, & observari faciant, nec ullo modo Vicariorum Jurisdictionem in memoratis regnis turbent, donec aliter a Congregatione de Propaganda fuerit decretum.

140. Declaratur, regnum *Tunckini*, in quod deputati fuerant Vicarii Apostolici, a Jurisdictione Episcopi Macaonensis separatum esse, & independens.

144. Cum facra Congregatio de Propaganda Fide varios Apostolicos Vicarios, ceu Delegatos Sedis Apost. in Indias, Sinas, reliquumque Orientem misisset, ab Episcoporum Jurisdictione omnino exemptos, Episcopi Orientis indigne hoc ferebant; unde non levis sæpe inter Episcopos & Vicarios (qui tamen etiam erant consecrati Episcopi) orta est controversia; quam in favorem Vicariorum Sedes Apost. decidit. Et hac Constitutione Innoc. XII innovat Decretum Clementis X atque Archiepiscopo Goano, Meliaporensi, Cocincinensi, & Crangaronensi graviter præcipit, ne Jurisdictionem Vicariorum turbent.

Anno 1697.

155. A S. Congr. Concilii multa eduntur Decreta de Reductione Missarum, prohibeturque 1. ne Episcopi per se ipsos, aut in Synodis Diœcesanis reducant onera Missarum sine facultate Sedis Apost. ad quam recurrendum, ubi reductio, moderatio, aut commutatio petitur. Reductio Missarum.

2. Tot celebrentur Missæ, quot a dante eleemosynam fuerint præscriptæ, licet stipendium sit exiguum & incongruum.

3. Tolluntur omnia privilegia & Indulta, cuicunque in hac re concessa.

4. Nemo parte stipendii retenta curet Missas legi pro minore stipendio: & ne quidem pro usu Ecclesiæ retineatur, si aliunde se sustentare possit.

5. Si pecuniæ aut bona mobilia pro Missis perpetuis accipiantur, illæ quamprimum investiantur in bonis immobilibus, fructiferis, cum expressa mentione oneris annexi, nec alienari possint absque facultate Sedis Apost.

6. Sæculares non suscipiant nova Missarum onera perpetua sine licentia Episcopi, nec Regulares sine licentia Generalis aut Provin-

cialis, qui caute illam concedant. Nec ftipendia pro Miffis, nifi brevi celebrare poffint, recipiantur.

Monaft. ne onerentur perfonis.

7. Domus Religiofæ ne obruantur pluribus perfonis, quam ferant reditus, hinc numerus illarum cum reditibus S. Congregationi confignetur, nec poftea, auctis etiam reditibus, plures affumantur, absque facultate S. Congreg.

8. Deinceps nulla admittantur Religiofa Domicilia, in quibus non 12 faltem perfonæ congrue fuftentari queant, conformiter Decreto Gregorii XV, alias vifitationi & omnimodæ Jurisdictioni Ordinarii loci fubjecta fore.

9. Hæ Ordinationes fexto quoque menfe legantur ad menfam. Affigantur ad Bafilicam S. Joannis, & in Campo Floræ, & omnes ita obligent, acfi perfonaliter fingulis fuiffent intimatæ.

Atque hæc S. Congregationis Decreta omnia & fingula Innocentius Papa XII confirmavit, fervarique juffit, non obftantibus quibuscunque.

Anno 1698.

Congr. Card. fuper Difcipl. Regul.

159. Romæ Congregatio Cardinalium *fuper Difciplina Regulari* erigitur & confirmatur, alia vero fuper ftatu Regularium aboletur.

Vetat vendit. officiorum.

161. Sicut complura alia Officia, uti Auditoriatus, Thefauriatus, &c. ita & Camerariatus S. R. E. prohibet vendi emique pretio, fed meritorum vult effe præmia.

169. Prohibetur, ne Capucini absque expreffa facultate fui Generalis ad alium Ordinem transfeant, ne quidem ad Monafterium B. M. V. de la Trappe Ord. Cifterc.

De Ord. Carmel. filentium.

173. Sub pœna excommunicationis imponitur parti utrique perpetuum filentium fuper quæftione de Inftitutione Ordinis Carmelitarum ab Elia & Elifæo.

Anno 1699.

Fenelonii liber de via interna damnatur.

177. Damnatur liber, cui titulus: *Explications des Maximes des Saints, fur la vie interieure, per Meffere Francois Salignac Fenelon, Archeveque Duc Cambray, Præcepteur de Meffeigneur, les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris* 1697. Qui Molinofi quietifmum refufcitare vifus eft.

Ex hoc libro 23 Propofitiones excerptæ, tanquam temerariæ, fcandalofæ, piarum aurium offenfivæ, in praxi perniciofæ, & refpective erroneæ damnatæ funt: earum aliquas fubjungo.

Prima

Prima sic habet: Datur status habitualis amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque spes remunerationis habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. Theses.

2da: In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.

In 3tia videtur passivam quandam quietem sine actione asserere.

In 4ta ait, in statu sanctæ indifferentiæ animam non amplius voluntarie desiderare proprium interesse, nisi quando gratiæ non cooperatur fideliter. In 5 nos nihil nobis velle. In 6 ne quidem salutem propriam.

In 11 admittit spem & desiderium promissorum, sed disinteressatum. In 15 animam in eo statu non amplius meditari sed tantum contemplari. Discursus & reflexiones pertinere ad amorem interessatum.

Reliquæ Propositiones in idem ferme tendunt, dum solum amorem purum desiderat, exclusa spe aliisque virtutibus: prout Propos. 21 aperte dicit: *Sancti Mystici exclusorum a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.* Et 23 ait: *Amor purus ipse solus constituit totam vitam interiorem &c.* de cætero loquitur in pluribus sicut Molinos, licet non tam crasso modo, & cum ea disparitate, quod Molinosus fuerit homo malus, Fenelonius autem bonus, zelo, sed non secundum scientiam, deceptus; hinc ubi Propositiones suas Romæ damnatas audivit, sine omni contradictione, quod bonarum mentium est, penitus se subjecit, ac scripta sua retractavit. Plura de hoc negotio scripsi *Part. VIII pag.* 740.

Coll. Sicut potest dari actus amoris perfecti ac puri, ita non posse dari in hac vita talem statum amoris habitualem longo tempore durantem, in quo fides, spes, aliæque virtutes non etiam exerceantur; cum illæ quoque Jure Divino & humano præceptæ sint.

178. Proposita fuerat S. Congregationi Concilii hæc quæstio: *An Parochus Missam celebrare, & applicare teneatur pro Parochianis, in diebus Dominicis & Festis, sive habeat congruam, sive non.* Respondit S. Congregatio inhærendo prioribus, *affirmative*; atque hanc responsionem Papa confirmavit. Missa Parochianis applicanda.

180. Indicitur Jubilæum universale pro anno sancto.

192. Indulgentia plenaria, per modum suffragii defunctis applicabilis, dudum Ecclesiis S. J. in singulos menses concessa, extenditur ad domos privatas, in quibus habitant in Anglia Missionarii S. J.

CAPUT XXIX.

SÆCULUM XVIII.

Excerpta ex Bullarii Tomo X.

Articulus I.

Constitutiones Clementis XI.

Ab anno 1700.

142. Per multas Constitutiones & litteras Apostolicas varias concedit Indulgentias; facultates & privilegia variis Religiosis. Indicit Jubilæum, promulgat litteras consuetas in die cœnæ Domini. Erigit Collegia studiorum. Dat licentiam suscipiendi Gradus. Si in tertiam Decembris incidat Dominica prima Adventus, jubet Festum S. Xaverii, una cum Indulgentiis plenariis, transferri in feriam 2 proxime sequentem, id est, quartam Decembris.

Carmelitis confirmat facultatem erigendi Confraternitates sacri scapularis, & scapularia benedicendi, atque distribuendi, cum applicatione Indulgentiarum.

Casus consc. Constit. 46 damnat libellum de famoso casu conscientiæ, in Gallia a Jansenistis edito. 54. Libellum Launoy de Prædestinatione & Gratia. 56. Folia quædam de appellatione a Papa, male informato, ad Papam, melius informandum. 61. Quædam in utilitatem Neophytorum statuuntur.

Constit. 62 recensentur prolixe & confirmantur Constitutiones Monachorum Vallis Umbrosæ, cum suis correctionibus, additionibus, & declarationibus ad Regulam S. Benedicti. 65. Conceditur Indulgentia plenaria perpetua pro Ecclesiis Ord. Servorum B. V. M. Dominica 3 Septembris.

Ritus Sinenses. Constit. 68 late tractatur de *Ritibus Sinensibus*: & 1 quidem exhibetur *Edictum* D. Caroli *Maigrot*, Vicarii Apostolici Fokiensis in regno Sinarum, dein Episcopi Cononensis, ac socii Sorbonici, quo Ritus illos anno 1693 prohibuit, uti tabellas, & cultum, Confucio, ac progenitoribus exhiberi solitum, certas insuper Propositiones, e. g. Philosophiam, quam Sinæ profitentur, si bene intelligatur, nihil habere Christianæ legi contrarium: cultum, quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius, quam religiosum fuisse: librum, quem

Sinæ

Sinæ *le King* appellant, summam esse optimæ doctrinæ, physicæ & moralis.

Mandati porro sui confirmationem Maigrotus ab Innoc. XII petiit, qui causam quatuor Theologis, ex diversis Religiosis Familiis discutiendam commisit. Formarunt isti septem quæsita, atque ad illa responderunt S. Inquisitionis Cardinales.

1. Ad significandum Deum non esse usurpanda vocabula Europæa, cum characteribus Sinicis vix exprimi possint, nec rectam Sinis ideam imprimere valeant. Neque appellandum nomine *Cœli*, si litteratorum secta per hanc vocem intelligat cœlum materiale, aut quandam hujus virtutem. Appellandum igitur *Tien Chu*, id est, *Cœli Dominum.* **Responsa ad Edictum Maigroti.**

2. Atque hinc neque tolerandam in Ecclesiis tabellam cum inscriptione: *King Tien*, *Cœlum Colite.*

3. Quæstionem, an Alex. VII fuerit male informatus, uti Maigrot dicebat, ad alium locum esse remittendam.

4. Christianis non esse permittendum, ut præsint, ministrent, aut intersint solennibus sacrificiis seu oblationibus, in utroque æquinoctio Confucio & progenitoribus fieri solitis, tanquam superstitione imbutis. Similiter neque alias ceremonias, ritus, oblationes, iisdem exhibendas & exercendas. Non tamen per hæc damnari præsentiam, aut assistentiam mere materialem, quam cum Gentilibus, superstitiosa peragentibus, citra ullam gestorum approbationem, & quovis ministerio secluso, quandoque præstari contingat a Christianis, cum aliter odia & inimicitiæ vitari non possunt, facta tamen fidei protestatione; & cessante periculo subversionis.

Similiter nec prohiberi alia, erga defunctos, quæ sunt secundum earum gentium mores, modo non sint superstitiosa, sed intra limites civilium & politicorum rituum contineantur. Quænam autem hæc sint, & quæ cautelæ adhibendæ, tum Turnonii Patriarchæ, Commissarii & Visitatoris Generalis, tum Episcoporum atque Vicariorum Apost. judicio relinquendum esse: adhibito interim omni studio, ut Gentium ceremoniis sublatis, Sinenses Christianis erga defunctos ritibus assuescant.

5. Christianis non licere, in domibus suis retinere tabellas defunctorum more gentili, cum inscriptione, qua *Thronus* seu *Sedes* spiritus aut animæ, velut ibidem residentis, significetur.

Circa ea, quæ Maigrot de falsa Informatione, apud Alex. VII facta, asseruit, respondit S. Congregatio, Sedem Apost. ad ea, quæ sibi pro tempore, licet diversimode, exposita fuerint, responsa qui-

quidem veritatis semper dare, nunquam vero super expositorum hujusmodi veritate, seu falsitate pronuntiare consuevisse.

6. Circa Propositiones, a Maigroto relatas & prohibitas, nihil certi firmari posse, nisi præhabitis plenioribus & necessariis rerum, in eis contentarum notitiis; interea tamen committendum Patriarchæ Antiocheno, ut auditis Episcopis & Vicariis Apost. nec non peritioribus Missionariis, hac in re id statuat, quod Catholicæ Religionis indemnitati, atque animarum saluti magis expedire censuerit.

7. Si libri Sinici Atheismum & superstitiones contineant, ut Maigrotus asserit, salutare & necessarium esse ipsius monitum, ut Missionarii errores refutent.

Addit demum, culpandos non esse illos Missionarios, qui aliam praxin ab ea, quæ in mandato Maigroti præscribitur, sequi hactenus duxerunt; cum mirum videri non debeat, quod in ejusmodi materia, per tot annos discussa, & in qua juxta diversas Sedi Apost. expositas circumstantias, diversa item ante hac emanarunt ejusdem Sedis Responsa, concordes non omnes fuerint in eadem sententia; ac proin operariorum Evangelicorum honori ac famæ consulendum, nec tanquam idololatriæ fautores traducendos esse, præsertim cum ipsimet, pleraque ex illis, quæ permittenda non esse, responsum fuit, nunquam se Christianis permisisse declararint.

Clemens XI, postquam Episcopos, Beritensem & Rosaliensem, Vicarios Apostolicos in regno Sinarum, cum Francisco Noel, & Casparo Castner S. J. Procuratoribus & Missionariis Apostolicis audivit, hæc S. Congregationis Responsa approbavit, & confirmavit, 20 *Nov.* 1704, illaque Carolo Thomæ de Tournon, Patriarchæ Antiocheno, Commissario & Visitatori Apost. in Sinis & Indiis Orientalibus, transmitti mandavit ad hoc, ut omnes ea observari curent, suspensa nihilominus interea, justis & rationabilibus ex causis, animum suæ sanctitatis moventibus, eorundem Responsorum publicatione, seu quavis evulgatione tam in urbe, quam aliis Europæ partibus.

Constit. 69. Deputantur Visitatores Congregationis & Monasteriorum Vallis Umbrosæ.

Const. 71. Declaratur, jus visitandi Ecclesias Parochiales in Insulis Philippinis competere locorum ordinariis.

Articulus II.

Bulla Vineam Domini Sabaoth.

76. In celeberrima hac Constitutione Clemens XI Papa *Jansenismum* profligat, atque exhibitis in extenso Constitutionibus Innocentii X, & Alex. VII prosequitur, aitque, causam finitam esse, non tamen errorem; neque enim deesse homines, Ecclesiæ refractarios, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis, Ecclesiam turbare conentur, atque ipsius Apost. Sedis decreta, præsertim quasdam Clementis XI ad 4 Galliæ Episcopos, & binas Innoc. XII ad Belgii Episcopos datas litteras, in erroris sui patrocinium advocare non erubescant, quasi prior aliquam exceptionem & restrictionem admiserit; hic vero, dum 5 Propositiones Jansenii in sensu obvio, quem verba exhibent, damnatas esse declaravit, non de ipsomet obvio sensu, quem in libro Jansenii habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac ab Innoc. X & Alex. VII damnatus sit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset; cum tamen uterque Prædecessorum Innocentii & Alexandri Constitutionibus firmissime inhæreat. 14th Jansenismus damnatus.

Præterea inquietos eosdem homines sparsis undequaque libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Sedis Apost. injuria, & Ecclesiæ scandalo docere non esse veritos, ad obedientiam præfatis Constitutionibus Apost. debitam non requiri, ut quis sensum 5 Propositionum interius ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re *obsequiosum* (ut ipsi vocant) & *respectuosum silentium* teneatur. Quæ assertio quam absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparere, dum hoc pallio fallaci non deponitur error, sed absconditur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata sternitur via ad fovendam hæresin. Cum obsequioso suo silentio.

Quin eo etiam impudentiæ quosdam devenisse, ut assererent, præscriptæ ab Alex. VII formulæ subscribi licite posse, etiam ab iis, qui interius non judicant, in libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri, quasi vero liceat Ecclesiam jurejurando decipere &c.

Quapropter Pontifex, ut tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, opportunum & efficax remedium adhibeat, tum Officii sui ratione, tum Regis & Episcoporum Galliæ zelo ac precibus excitatus, ne hujusmodi pravi homines pacem Ecclesiæ subvertere impune pergant, & simplicium mentibus imponant, Innocentii X & Alex. VII Constitutiones, omniaque in iis contenta, confirmat; ac insuper, ut quævis

in

in posterum occasio erroris penitus praecidatur, atque omnes Ecclesiae Cath. filii Ecclesiam ipsam audire, *non tacendo* solum (*nam & impii in tenebris conticescunt*) sed & *interius obsequendo*, *quae vera est hominis orthodoxi obedientia*, condiscant, statuit, declarat, ac decernit, *obedientiae, quae Apostolicis Constitutionibus debetur*, obsequioso illo *silentio minime satisfieri*, sed damnatum in 5 Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ab omnibus Christi Fidelibus, ut haereticum non ore solum, sed & *corde* rejici ac damnari debere: nec alia mente, animo aut credulitate dictae formulae subscribi licite posse, ita, ut, qui secus aut contra, quoad haec omnia & singula, *senserint*, *tenuerint*, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint vel asseruerint, *tanquam Apost. Constitutionum transgressores* omnibus & singulis illarum *censuris & poenis omnino subjaceant*.

Actus internus prohibitus.

Datum Romae 14 *Julii* 1705.

Not. An ex his non facile colligi possit, quod Ecclesia actum mere internum directe prohibere, & praecipere possit, Lectori judicandum relinquo. Certe, qui solo animo tenet Propositiones Jansenii, transgressor est Constitutionum Apostolicarum, & censurarum poenis subjacet.

Articulus III.

Constitutiones ulteriores ab anno 1707 ad 1711.

445. *Constit.* 94. Indicitur Jubilaeum universale pro pace inter Principes Christianos.

Const. 95. Postquam Turnonius Indiarum Visitator in Dioecesi Meliaporensi quosdam Regulares censura perstrinxisset, Archiepiscopus Goanus eam affixo Edicto irritam declaravit. Hunc actum Archiepiscopi Papa improbat, & irritum declarat.

Const. 99. Declarantur nulla plura Edicta Ministrorum Victoris Amedei Sabaudiae Ducis, tanquam Jurisdictioni & immunitati Ecclesiasticae praejudiciosa. Versantur autem haec Edicta circa assumptionem Status Clericalis, circa examina & fassiones bonorum, numerum Clericorum &c. coram laicis facienda: circa *Taxam* annuam, pro bonis, in catastro descriptis, a personis & communitatibus Ecclesiasticis solvendam, circa jura, Sedi Apost. obnoxia, circa communica-

Decreta contra Immun. Eccles.

tionem cum excommunicatis, circa avocationem causæ Ecclesiasticæ, inter personas Ecclesiasticas vertentis, a S. Nuntiatura ad Senatum laicum. Circa dimissionem Auditoris ex tota ditione Pedemontana, & discessum Residentis Sabaudici ex urbe Roma: circa successionem communitatum Religiosarum, & dotem Monialium, atque incapacitatem etiam eorum, qui simplicia tantum vota emiserunt, testandi, aut disponendi etiam per actum inter vivos, aut recipiendi quidquam, sive ex testamento, sive ab intestato, acsi essent naturaliter mortui, relicta ipsis solum annua pensione vitalitia pro alimentis, pro æstimatione Senatus.

Multa alia circa omnes Regulares, tanquam civiliter mortuos, fuerunt disposita a sæcularibus Magistratibus: uti etiam circa feuda Rom. Ecclesiæ, circa citationem Parochi ad Episcopum Aquensem suum Ordinarium, quam Senatus prohibuit, & excommunicatum & irregularem Parochum fovit & protexit: prout etiam Minoritam, ob recursum ad sæcularem potestatem excommunicatum: & Dominicanum, jurisdictionem Episcopi Niciensis violantem. Circa comminationes denique, reducendi Episcoporum aliorumque bona, nisi parerent.

Pontifex hæc omnia, tanquam attentata contra Ecclesiasticam libertatem & jurisdictionem, nulla atque irrita declarat, omnesque, qui talia Decreta, Ordinationes, Edicta ediderunt, censuras Ecclesiasticas incurrisse, Sedi Apost. reservatas.

Datum Romæ 17 *Maji* 1707.

100. Ministri Regii Civitatis Aquilæ in Neapolitanis Carosum, plurium testimonio Clericum, homicidii accusatum, in carcerem conjecerunt. Episcopus loci eos monuit, ut Carosum cum actis ad suam curiam Episcopalem remitterent, ad effectum, caute eum custodiendi in carceribus Ecclesiasticis, vel saltem in laicalibus eum detinerent, donec Episcopus examinasset & declarasset, an de rei Clericatu vere constet. Causa Aquilensis.

At Ministri & Officiales eum ultimo supplicio affecerunt. Episcopus autem eos censuras Ecclesiasticas incurrisse declaravit; cum laicis non competat, de Clericatu cognoscere ac judicare. Verum illi exacerbati nonnullos curiæ Episcopalis Ministros aliosque, Caroso faventes, in carceres truserunt, datisque Mensæ Episcopalis bonis in sequestrum, ipsum Episcopum, publica Præconis voce, nec sine violentia militari in exilium extra regnum ejecerunt.

Indigniora hæc erant, quam ut Sedes Apost. connivere posset; at dum agitur de Civitate Aquilana, Interdicto subjicienda, to a propemodum terræ motu eversa est. Nec tamen officiales, cælo licet & terra clamantibus, ullam Ecclesiæ læsæ satisfactionem præstitere.

Quapropter Papa, quæ officiales illi egerunt, prorsus irrita, & temerarie attentata declarat, atque ad majorem cautelam cassat, vacuatque: firmis remanentibus censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas Præses, Auditores Rotæ, Advocatus Fiscalis, Ministri, officiales aliique incurrerunt, a quibus non nisi a summo Pontifice (extra mortis articulum, & tunc cum reincidentia, si convaluerint) post condignam satisfactionem præstitam, absolvi possint.

Parmensis. *Const.* 102. Reprobat & inanem declarat concordiam, in præjudicium S. R. E. ceu Domini directi, initam super stationibus hybernis Germanorum militum, in Parmensi & Placentino Ducatu collocandis. Graviter etiam ceu libertati Ecclesiasticæ & Bullæ Cœnæ contrarium improbat, quod etiam Ecclesiasticis contributio fuerit imposita.

Const. 106. Damnantur multi libri Latine, Gallice, & Belgice scripti adversus Decretum Apostolicum super remotione Archiepiscopi Sebasteni Petri Coddæi a Vicariatu Apostolico Missionum Hollandicarum. Inter libros istos damnatos est 1. *Apologia* pro Clero Ecclesiæ Batavorum Romano-Catholicæ, seu rationes, ob quas Clerus censuit, in locum Arch. Sebasteni non esse illico recipiendum D. Theodorum Cockium. 2. *Imago Pontificiæ dignitatis*, quid ei competat, vel non &c. 3. *Cleri Catholici* per fœderatum Belgium & Arch. Sebasteni religio vindicata, contra libellum de statu & progressu Jansenismi in Hollandia. 4. *Motivum Juris* pro Capitulo Cathedrali Harlemensi. 5. *Duæ Epistolæ* Coddæi ad Catholicos incolas fœderati Belgii. 6. *Innocentiæ* per calumniam oppressæ exempla. 7. *Quæstio*, an bonum sit, Jesuitas Missionibus applicare. 8. *Lamenta sponsæ Sebastenæ*, per Clem. XI viduatæ, ad eundem pro sponso suo. 9. *Cato Uticensis* redivivus, ad Ultrajectenses & Harlemenses Capitulares viros. 10. *Expostulatio* adversus Jesuitas, fœdos Societatis Jesu desertores. 11. *Collyrium* Theodoro de Cok dono missum. 12. *Responsiones* Arch. Sebasteni, cum in urbe esset, Cardinalibus datæ. 13. *De Decreto Inquisitionis* Romanæ contra Arch. Sebast. Vicarium Apost. 14. *Diotrephes*, seu spiritus & opera Cockii descripta pro Clero, eum in Vicarium Apost. non recipiente. 15. *Jesuitarum*, *aliorumque* Romanæ curiæ adulantium, de summi Pontificis auctoritate commenta. 16. *De potestate*, qua Arch. Sebast. etiamnum fruitur, ablato licet Vicariatu Apost. 17. *Modesta*

Libelli in causa Ultrajectensi.

desta consideratio Decreti Rom. Inquisitionis. 18. *Apologia Coddæi*, cum præcipuis causæ suæ capitibus.

108. Duo Episcopi in Polonia erant legitime electi, Gnesnensis, & Uladislaviensis; ille quidem translatus cum dispensatione Papæ, hic vero eidem in Uladislaviensi subrogatus. At, utroque velut Usurpatore per abusum sæcularis potestatis declarato, Canonici coacti sunt, Administratorem utrobique eligere, proventibus, tanquam Ecclesiarum vacantium, interim usibus Reipublicæ destinatis, sub titulo mutui. Pontifex hanc electionem Administratorum & alienationem redituum declarat irritam, & Conciliorum Decretis, atque sacris Canonibus contrariam.

111. Episcopus Augustanus aliique nonnulli prætendebant, Abbates Congregationis Benedictino-Bavaricæ teneri in sua Benedictione Abbatiali Episcopo jurare fidelitatem, subjectionem & reverentiam. Juramentum
Congregatio vero decrevit, Abbates non teneri ad aliud juramentum, Abbatum.
quam ad illud, quod continetur in Pontificali Romano. Congregatio Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præposita, hoc Decretum approbavit, & Papa confirmavit: non teneri videlicet Abbates exemptos ad aliud juramentum, quam illud, quod præscribitur in Pontificali Romano.

112. Damnatur liber Gallicus de potestate Ecclesiastica & temporali &c.

114. Urbanus VIII instituerat Seminarium Juvenum ex dissitis orbis partibus, ut litteris & moribus imbuantur, quibus apta ad propagandam fidem instrumenta in eo efformentur (*Urbanum* propterea Tusculum
appellatum, Congregationi *de Propaganda* Fide subjectum) ad eum fe- pro Colleg.
re modum, quo Gregorius XIII Germano-Hungaricum, aliaque erexit. Urbano.
Quia autem Juvenes in hoc Seminario seu Collegio de Propaganda sæpe moriebantur aut ægrotabant, atque ad finem intentum inutiles reddebantur, id autem defectui liberioris aeris, motusque corporis attribuebatur, vinea ipsis extra urbem, ad quam animi relaxandi gratia excurrerent, concessa est, quam obtulit Cardinalis Ottobonus pro 47 Seminaristis, quot eo tempore in Collegio Urbano nutriebantur, sic tamen, ut eidem Cardinali in recognitionem annuus Canon ex ea villa penderetur. Hæc confirmat Clemens XI adjectis 4000 Scutis Romanis.

Const. 115. Damnatur ac prohibetur liber (Quesnelli) Gallice scriptus, sub titulo: *Novum Testamentum cum Reflexionibus Moralibus su-* Novum Te-
per singulos versus, plurles typis recusus; quia a vulgata recedit, textum stamentum
infideliter exhibet, cum notis & observationibus, continentibus do- Quesnelli.

ctrinam & *Propositiones seditiosas*, *temerarias*, *periculosas*, *erroneas*, *alias damnatas*, & *Jansenianam hæresin manifeste sapientes*.

Not. Famosi partus istius parens est Paschasius Quesnellus, qui multas deinceps in Gallia & Belgio turbas excitavit, Noallio etiam Cardinale implicato; prout in Historia Jansenismi prolixius recensetur.

Const. 120. Festum Conceptionis B. V. M. ubique de præcepto observari mandatur.

127. Episcopus Ilerdensis per abusum sæcularis potestatis, a Capitulo electus est Gubernator seu Administrator, in Ecclesiasticis & temporalibus Ecclesiæ Abulensis vacantis. Papa hæc damnat, & irrita esse declarat, eo quod Ilerdensis non potuerit absque Sedis Apost. dispensatione transire ab Ecclesia Ilerdensi ad Abulensem, mandatque, ut Vicarius Capituli administrationem spiritualem gerat, quamdiu sedes vacaverit.

128. Irritum declaratur Edictum Potestatis sæcularis, quo in Ducatu Mediolanensi vetabatur, ne ullæ Romam aut in statum Pontificium transferantur pecuniæ, addito mandato, ut sequestrentur fructus Ecclesiastici personarum absentium.

129. Simile Edictum in regno Neapolis promulgatum irritatur.

131. Damnantur & prohibentur denuo 4 libri, Gallice scripti ab Episcopo S. Pontii, videlicet 1. Mandatum Episcopi S. Pontii, concernens acceptationem Bullæ Clementis XI de casu conscientiæ, a 40 Doctoribus signato, cum defensione 23 Episcoporum, qui procurare volebant pacem Ecclesiæ. 2. Novæ litteræ ejusdem Episcopi contra Archiep. Cameracensem de Infallibilitate Papæ. 3. Litteræ ejusdem ad eundem de 4 Episcopis. 4. Responsio ejusdem ad litteras Cameracensis. Libelli isti damnantur, tanquam continentes Propositiones falsas, perniciosas, scandalosas, seditiosas, temerarias, schismaticas, erroneas, & hæresin respective sapientes, nec non in apertam fraudem & elusionem Constitutionis Clementinæ (*Vineam Domini*) manifeste tendentes &c.

Libri damnati.

132. Damnatur liber, cui titulus: *Tractatus de origine Regalium &c.* ab Advocato Parlamenti idiomate editus Gallico anno 1708, in quo universalem Juris Regaliæ usum, quem Innoc. XI omni Divino humanoque juri contrarium esse censuit, a successoribus Innocentii veluti justitiæ consonum fuisse agnitum, temere affirmare non erubescat. Prohibetur autem, tanquam continens afferta, manifeste falsa, contumeliosa, Ecclesiasticæ Immunitati, Dei ordinatione, & Canonicis sanctio-

Tract. de Regaliis.

sanctionibus constitutæ, adversantia, impia, temeraria, erronea, atque etiam hæresin respective sapientia.

Const. 141. Conceduntur Indulgentiæ gestantibus scapularia parva, cærulei coloris, pio devotionis affectu erga Mysterium Conceptionis B. V. M. Immaculatæ, distribui solita a Clericis Regularibus Theatinis.

143. Damnatur liber, Gallice editus pro defensione Novi Testamenti Quesnelliani.

Sequentibus aliquot Constitutionibus rursus irritantur aliquæ ordinationes in terris Pedemontanis.

Articulus IV.

Constitutiones Clementis XI, ab anno 1711, *ad* 1714.

Constit. 152. Confirmatur Decretum Card. de Tournon, Visitatoris Generalis in Sinis & Indiis, quod Macao anno 1708 misit ad omnes Missionarios, in quo severe prohibuit, ne ullus Missionarius, sive Sæcularis, sive Regularis, cujuscunque Ordinis, sine ipsius licentia Sinas ingredi, aut ex ea recedere præsumat, aut officium superioris acceptare, vel munus Missionarii obire, sub pœna suspensionis a Divinis. 144. Causa Sinensis.

153. Joannes de Cazal Episcopus Macaonensis Visitatori de Tournon omnem Jurisdictionis usum in sua Diœcesi interdixerat, prohibendo suis subditis, ne ullam Visitatori obedientiam exhiberent, omnibus a Visitatore inflictis censuris declaratis irritis, imo pœna excommunicationis in ipsum retorta, auctorem se præbendo, ut etiam a sæculari potestate Commissarius Visitator premeretur, militari illum includendo custodia. Adhæc Gomez Episcopi Vicarius Generalis suspensionem, in Collegium & Seminarium S. J. jactam, publico Edicto irritam declaravit: Petro de Amaral & Conventui Ordinis Prædicatorum, aliisque omnibus sub pœna excommunicationis omne cum Visitatore Commercium interdixit. Quapropter hic Vicarium Generalem excommunicatum publice denuntiavit; Episcopum vero Romam ad dicendam causam citavit. Pontifex omnia ab Episcopo, & ejus Vicario, aliisque contra Visitatorem acta, declaravit irrita, iniqua, temeraria. Contra vero Edicta, censuras, aliaque Tournonii (quem interea Cardinalem creaverat) acta approbavit. Tournonia.

 154. Con-

154. Confirmatur Decretum, quo omnibus in urbe confessariis interdicitur, ne absolvant 1, a casu violatæ Clausuræ Monialium ob inhonestum finem. 2. A Presbytericidio publico. 3. A violatione publica Immunitatis Ecclesiasticæ.

Decreta Polonica con- tra Immunit. 156. Magnum Poloniæ consilium, Varsaviæ congregatum, Decretum edidit, quo non modo bona Ecclesiastica solutioni plurium onerum & gabellarum pro alendo exercitu, & stipendiis eidem solvendis, redduntur obnoxia, cum declaratione, quod nulla in hac re cuiquam suffragetur exceptio, ita, ut Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum bona non minus ac laicorum contributionum oneribus subjaceant; verum etiam personæ ipsæ Ecclesiasticæ, quas machinationis aut aliorum delictorum, contra leges & authoritatem Reipublicæ commissorum, reas esse constiterit, generalis confœderationis Sandomiriæ judicio, nec non laicali cujuscunque provinciæ foro (facta duntaxat quoad personales seu corporales pœnas exceptione) subjiciuntur. Exin vero facta est in bonis Ecclesiasticis executio, onerumque impositio, & gabellarum exactio, absque ullo Apostolico prævio Beneplacito, quod de Jure requirebatur.

Cum autem Decreta & Ordinationes hujusmodi, inquit Pontifex, sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, nec non Conciliorum Generalium Decretis, quæ laicali Potestati, ne ullum onus, gravamen, seu pedagium, aut quodcunque subsidium, etiam oblatum & concordatum, a personis Ecclesiasticis absque dicto beneplacito Apostolico exigere, ipsasque ad laicorum tribunalia trahere præsumant, sub gravissimis pœnis prohibent, manifeste adversentur, adeoque per ea libertas, Jurisdictio & Immunitas Ecclesiastica summopere læsa sit, hinc Pontifex hæc consilii Varsaviensis Decreta, aliaque per abusum sæcularis potestatis acta, omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, a non habentibus potestatem attentata, & de facto præsumpta, declarat, damnat, penitusque evacuat. Archiep. & Episcopis vero sub pœna suspensionis a Pontificalibus, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ præcipit, ne Decreta & Ordinationes hujusmodi executioni mandari permittant, aliis vero Ecclesiasticis ejusdem regni universim in virtute sanctæ obedientiæ, sub excommunicationis aliisque gravissimis pœnis interdicit, ne vigore prædictorum Decretorum & Ordinationum quidquam, etiam minimum, quovis modo, etiam subsidii, vel subventionis titulo, aut vexationum vel molestiarum sibi illatarum, vel inferendarum redemptionis prætextu solvere, absque Sedis Apost. auctoritate, multo minus tribunali laico se subjicere audeant.

Vetat Clericis ne contribuant.

Cæterum

Cæterum notorii & explorati juris esse, quod omnes, qui supra dicta Decreta ediderunt, eorumque fautores & adhærentes, censuras, a sacris Canonibus, Conciliorum Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, ac præsertim litteris, die Cœnæ Domini singulis annis legi ac promulgari solitis, inflictas, incurrerint &c.

157. Declarantur nullæ Primariæ Preces, vacante Imperio, a Vicariis expeditæ.

159. Ex Hispania pulsus est Nuntius Apost. interdictum omne cum curia Romana commercium. Improbantur hæc acta, & irrita declarantur.

161. Declaratur, quod per actus & functiones, a S. Sede peragi solitas post electionem Regis Rom. in futurum Imp. ea electio non approbetur, antequam ab electo confirmatio petatur, & impetretur.

162. Episcopus Lyciensis e sua Diœcesi ejectus, interdicto eandem subjecit. Quidam Ecclesiastici vi suæ exemptionis & privilegiorum in interdicto se non comprehendi putabant. Papa autem respondet, omnes comprehendi.

165. Capitulum Hildesiense pactiones inire coactum est cum Principe Acatholico, quas Papa improbat & irritat, ceu Religioni, Ecclesiæ, & ipsi Capitulo præjudiciosas.

167. Prohibetur, ne Carthusiani aliquem, cujuscunque sit conditionis, carnibus vesci in suis Monasteriis permittant.

169. Promulgatur Canonizatio Pii V Ord. Prædicat. cum Indulgentiis, S. Pius V.

170. Et Andreæ Avellini, Theatini. S. Andreas Avell.

173. Magistratus in Comitatu Niciensi ab Ecclesiasticis ratione bonorum, quæ possidebant, contributiones exegit, sub comminatione executionis militaris. At Papa hæc attentata penitus nulla & irrita esse declaravit, commemoratis pœnis, quas exigentes & præstantes incurrunt.

176. Pontifex Granello Ord. S. Franc. de Observantia sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, præceperat, ut Genua Bononiam discederet; quod cum non fecisset, Card. Fiescus Archiepiscopus eundem excommunicatum publice denuntiavit, affixo ad valvas Ecclesiæ programmate. At Potestas laica Edicto declaravit, Censuræ. denuntiationem illam nullius esse roboris, eo quod a Notariis publicis Reipublicæ non esset subscripta. Unde Pontifex laicale hoc Edictum nullum & irritum declaravit, atque programma, ab Archiepiscopo, ejusque Cancellario subscriptum, legitime promulgatum esse, nec esse necessariam Notarii laici subscriptionem.

185. Ja-

185. Jacobus Comes Nemours solennem processionem Corporis Christi in Civitate Casalensi disturbavit; quare Episcopus loci, qui SS. Sacramentum portabat, eum excommunicavit. At laica potestas eam censuram nullam & injustam edito libello dicebat, omnibusque severe præcepit, ut cum Nemorosio, sicut antea, communicarent. Pontifex autem hæc laicorum acta declaravit irrita, & censuram observari præcepit.

Constit. *Unigenitus.* 187. Est celeberrima Constitutio *Unigenitus*, qua 101 Propositiones, ex Novo Testamento Quesnelli extractæ damnantur. Hæc in Historia Quesnelliana uberius refertur, prout etiam turbæ, inde concitatæ.

188. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili, & casu excepto à Decretis Urbani VIII. B. Gregorii X.

Articulus V.

Extracta ex Tomo XI. Bullarii Romani.

Ulteriores Constitutiones Clementis XI, ab anno. 1714.

245. *Const.* 197. Episcopus Agrigentinus per abusum Sæcularis Potestatis toto Siciliæ regno expulsus, quod libertatem Ecclesiasticam defenderet, auctores & complices in excommunicationem incidisse declaravit, & Agrigentum ac Diœcesin interdicto subjecit. Duo autem Presbyteri sub prætextu Delegatorum cujusdam tribunalis, excommunicatos absolverunt, & interdictum tollere attentarunt, conjectis in carcerem aut in exilium ejectis, qui interdictum servare voluerunt, januis etiam Ecclesiarum vi militari effractis.

Turbæ Siculæ.

Inter ejectos aut carceri mandatos, spoliatosque suis bonis multi erant Sacerdotes, Sæculares & Regulares, Parochi & tres Vicarii Generales, quos Episcopus successive submiserat, in carceres conjecti. Quare Papa acta ista tanquam temeraria attentata damnavit, ac penitus irrita declaravit. Interdictum & censuras, in expulsores Episcopi latas, approbavit, & confirmavit, additis novis in turbarum auctores nominatim latis.

Confirmatur electio Caroli VI. 199. Papa requisitus confirmat electionem & confirmationem Caroli VI. in Regem Romanorum, futurum Imperatorem, id quod a Josepho, Caroli Fratre, nunquam impetratum ait. *Datum Romæ 26. Febr.* 1714.

200. Con-

2o8. Conceditur Carolo VI jus primariarum precum, cum Decreto similium precum Josephi I, quae confirmantur pro executione. Primae preces.

209. Praecipitur exactior interdicti in Sicilia observatio, reprobata doctrina contraria.

211. Episcopus Catanensis, & Vicarius Generalis Liparensis e Dioecesi sua per abusum saecularis potestatis fuerant expulsi. Damnat Papa haec attentata, uti etiam praeceptum Delegati Monarchiae Siciliae de impedienda executione Rescriptorum Apostolicorum sine Regio *Exequatur*. Idem repetitur Constit. 213, contra Congregationem *Junctae*.

214. Erat in Sicilia tribunal, quod *Monarchiam Siciliae*, & *Legationem Apostolicam* appellabant, in quo laici Jura Ecclesiastica administrabant, ex concessione Urbani II, ut praetendunt, Rogerio Siciliae Comiti facta. Cum autem ultimis praesertim annis hoc tribunal Episcopos ejiceret, Sacerdotes aut spoliaret, aut in vincula daret, aut exilium, censu as Ecclesiasticas eluderet, pluraque etiam in contemptum Sedis Apost. attentaret, Pontifex illud omnino abolevit, extinxitque, cum omnibus suis Judiciis, privilegiis, &, si quae sint, juribus; non enim deesse viros doctos, qui negent, talem concessionem unquam ab Urbano II esse factam. Interea vero modum propediem assignatum iri, quo causae, ad forum Ecclesiasticum pertinentes, etiam abolito Monarchiae Siculae tribunali, recte cognosci possint, fineque debito terminari, donec Nationis Siculae indemnitati amplioribus gratiis a Sede Apost. consulatur. *Datum* 20 *Febr.* 1715. Turbae Siciliae.

215. Praescribitur forum competens, extincto tribunali Monarchiae, donec Papa uberius provideat. Nempe in *prima instantia* causae deferantur ad Ordinarium loci, nec ab eo avocentur, nisi titulo appellationis a Definitiva, aut ab Interlocutoria, definitivae vim habente, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel, nisi integro biennio coram Ordinario causa pependerit indecisa.

In *Secunda* ab Ord. sententia ad Metropolitam appelletur.

In *Tertia* ad Delegatum Apostolicum.

In *Quarta* ad ipsum summum Pontificem, qui causam in partibus Siciliae committet.

In causis Beneficialibus, Regularibus, & Criminalibus, ab Ordinariis ab Judices Synodales. Causae tamen Majores immediate ad Sedem Apost. spectant, ac proin vel in curia Romana, vel a Judicibus, quos Papa specialiter deputaverit, sunt cognoscendae. Neque ullus se immisceat cognitioni, an censurae juste sint latae, cum haec ad Se-

dem Apost. spectet. Absolutio tamen a censura ob violatum interdictum, licet Papæ sit reservata, propter multitudinem conceditur Ordinariis. Exhibetur dein Tabula Tribunalium in Sicilia pro 1, 2 & 3 Instantia.

217. Mandatur omnimoda observatio Responsorum editorum in causa Rituum Sinensium, cum formula Juramenti, a Missionariis præstandi. Repetuntur hic rursus dicta responsa de nomine Dei, de cultu Confucii & progenitoribus præstari solito, de tabellis, de limitatione prohibitionis, de Mandato Card. Turnonii, de variis interpretationibus & exceptionibus contra illud; hic autem intorquetur ulterius censura in eos, qui resistunt, tergiversantur, aut subterfugia quærunt, obtendentes, quod responsa illa vel sint suspensa, vel non legitime promulgata, vel sint conditionata, nec conditio verificata aut justificata, aut sub prætextu edendarum a Papa declarationum, vel difficultatum aut periculorum Missionis.

Ritus Sinenses.

Præcipitur igitur in virtute S. Obedientiæ Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis eorum Generalibus, aliisque locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, & Provicariis, nec non Missionariis, Sæcularibus & Regularibus cujuscunque Instituti, sub excommunicatione latæ sententiæ reservata aliisque pœnis, ipso facto incurrendis, ut ea responsa exacte servent, & observari faciant, neque sub ullo colore aut prætextu illis contraveniant, simulque juramento promittant, in manibus Visitatoris, aut ab eo deputati, Regulares vero in manibus superiorum suæ Religionis, vel ab eis Deputatorum, edito, ita, ut ante munere nullo Missionarii aut alio fungi valeant. Juramenta autem ista ad Congregationem S. Inquisitionis mittenda esse decernitur.

Subjungitur formula hujus juramenti, quod nempe hoc mandatum Clem. XI exacte & absolute sit observaturus, sine ulla tergiversatione & exceptione, secus omnibus pœnis abnoxium fore.

Datum 19 *Martii* 1715.

218. Indicitur Jubilæum universale contra Turcas.

219. Postquam Pontifex abrogavit Apostolicam Siciliæ legationem, Monarchiam nuncupatam, ejusque assertum tribunal abrogavit, modumque præscripsit, quo causæ Eccles. judicari debeant in ipsomet regno, donec illi uberius consuleretur, potestas sæcularis potestationem Panormi vulgavit, qua asserit, ejusmodi constitutionem emanasse sub- & obreptitie, sine citatione partis, contra Regem, Regnum, & prærogativam, ab immemoriali tempore per 6 Sæcula possessam,

Sicilia.

cum

cum famæ antiquissimi privilegii, confirmatam ab Urbano II, Adriano IV, Pio V & ipso Clemente XI an. 1705 concessam titulo oneroso in vim contractus Comiti Rogerio Nortmanno conquestori Siciliæ, fundatori tot Basilicarum, Episcopatuum & Abbatiarum &c. &c. Post hæc & alia relata Procurator Fiscalis Regni appellat a summo Pontifice, male informato ad melius informandum, vel ad quemcunque haberi potest legitimus recursus.

Pontifex autem hanc protestationem & appellationem aliaque acta, irrita & temeraria declarat, simulque omnes illorum auctores & complices excommunicationem incurrisse.

220. Confirmantur Constitutiones Academiæ scientiarum Bononiæ.

227. In Beatorum numerum refertur Servus Dei Franciscus Regis S. J.

230. Confirmantur nova Statuta Congregationis Musicorum Romanæ Urbis.

234. In gratiam Joannis V Lusitaniæ Regis Pontifex Ecclesiam Collegiatam in Palatio Regio primum quidem in Archiepiscopalem, Patriarch. dein etiam Patriarchalem, ad instar Venetæ, erigit, ita ut Archiepi- Olyssip. scopatus Olyssiponensis dividatur in duos, Orientalem & Occidentalem, & ipsa civitas Olyssipo media ex parte ad unum, & altera dimidia ad alterum Archiepiscopum pertineat, discreta utriusque Jurisdictione.

235. Memorat Papa insignia in Universitatem Parisiensem, & comprimis in Facultatem ejus Theologicam, a Sede Apost. collata Sorbona re- privilegia & exemptiones. Postquam autem emanasset Bulla *Unige-* nitens. *nitus*, primo quidem a Facultate illam fuisse reverenter exceptam, & in tabulas relatam, postea vero majorem forsan, sed minime saniorem partem eo impudentiæ processisse, ut dictum Decretum adulterinum, falsum, atque Commentariis eradendum declararent, nunquam a se acceptatum contendentes, Syndico viam aberrantium præeunte. Adhæc inquietos istos homines minime fuisse veritos prædictam Constitutionem Apostolicam privatis publicisque sermonibus proscindere, & Collegas suos dissentientes divexare.

Quare Pontifex cernens, longanimitate & lenitate sua delirantes filios impudentiores evadere, morbumque quotidie magis magisque ingravescere, omnia privilegia, facultates & gratias, a Sede Apost. concessas (immediata erga eandem subjectione excepta) ad suum & Sedis Apost. beneplacitum suspendit; neminemque in posterum, suspensione ista durante, ad Magisterii seu Doctoratus, Licentiæ, Bac-

calaureatus, seu quemvis alium gradum in eadem Facultate per Cancellarium aut alium quemcunque promoveri, aut Facultati aggregari ullo modo, aut ad Beneficium Ecclesiasticum, quod talem gradum requirit, admitti posse, decernit. Hac tamen suspensione non vult affici obedientes.

Datum Romæ 18 *Nov.* 1716.

237. Post mortem Caroli Lotharingi Canonici *Osnabrugenses*, ad quos pertinebat eligere personam idoneam, a summo Pontifice Ecclesiæ præficiendam secundum Concordata Germaniæ, die præfixa pro futuri Episcopi electione convenientes, inaudito hactenus inter Catholicos exemplo Principem *Ernestum Augustum* e Brunsvicensi ac Lüneburgensi Domo, notorium Acatholicum, cœlesti S. Spiritus ope ad id sacrilege invocata, in Episcopum Osnabrugensis Ecclesiæ concordibus suffragiis postulare non erubuerunt, & mox illius postulationem solenni ritu in SS. Trinitatis nomine temere promulgarunt, hymnumque solennem in gratiarum actionem publice cantarunt, cum magna Catholicorum offensione, & Heterodoxorum triumpho.

Causa Osnabrug.

Pontifex igitur hæc omnia, ceu ipso Jure nulla, irrita, iniqua, temeraria, damnat, eaque nemini aliquod jus, actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi vel præscribendi causam afferre posse declarat, atque Ecclesiam, prout ante, vacantem permanere; suoque Nuntio Coloniensi mandat, ut Canonicis denuntiet, eos censuras Ecclesiæ incurrisse, & si Missas aut Divina Officia interea celebraverint, etiam Irregularitatem.

Dat tamen eidem Nuntio potestatem, reos pœnitentes, & in futurum nihil simile se facturos promittentes, injuncta pœna, absolvendi a censuris, & in Irregularitate dispensandi. Pro pœna autem injunctum est, ut singuli Canonici (erant autem 14) decem Imperiales largiantur pauperibus.

238. Iterum irrita declarantur, quæ in Hispania contra Nuntium Apost. & immunitatem Eccles. acta sunt; conceditur tamen potestas pœnitentes & resipiscentes absolvendi.

242. Ampliantur Indulta Capituli Patriarchalis Ecclesiæ Olyssiponensis Occidentalis.

259. Postquam Clemens XI 101 Propositiones per Bullam *Unigenitus* variis censuris confixerat *respective*, id est, quarum singulæ aliquam saltem ex illis censuris merebantur, aliquos etiam Episcopos, exemplum Noallii, qui Quesnelli Novum Testamentum approbaverat, in adversam partem trahebat. Cardinales autem Papam rogabant, ut pau-

Causa Noallii & aliorum renitentium.

paulisper severioribus remediis supersederet, donec reluctantem ad pacis & unitatis consilia revocare per communes litteras fuissent conati. Quapropter Papa, datis ad Episcopos Galliæ litteris, eos hortatus est, ut dissentientes Coepiscopos flectere satagerent, adhibito etiam Philippi, Galliæ Rectoris patrocinio. Papa ipse epistolam, charitate Paterna plenam ad Noallium & reliquos renitentes dedit.

At incassum omnia. Non audiebant vocem Pastoris, sed, venientibus in partem hæreticis, variis eam criminationibus impetere perrexerunt. Alii vero, ut incautis facilius illudant, declarationes Constitutionis postulare se simulabant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam quæstionibus inutilibus, & interminatis immisceant, & tenebras, si possint, obscuritatis offundant, reverentiam Sedi Apost. se exhibere jactantes eo ipso tempore, quo gravissimam ipsi injuriam inferunt, vereri se prætexentes, ne dogmata, aut morum disciplina convellatur, quasi vero fides Petri defecisset, totaque Christi Ecclesia errasset: aut illud saltem se suspicari, per Bullam damnari sententias, quas insignes scholæ Catholicæ absque ulla censura hactenus tradiderunt; cum tamen sententiæ illæ non minus post Bullam in oculis urbis & orbis, ac ante publice doceantur. Scandalum de Constitutione comminiscuntur, pergit Pontifex, sed se ipsos potius de pervicacia sua scandalum facere non agnoscunt. Episcopatus dignitatem se exaltare prætendunt, sed re ipsa depriment, dum Fraternitatem contemnunt, audacissimæ inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque Ecclesiasticum Ordinem laicis Tribunalibus, vel in ipsa Religionis causa, perperam subjici non attendunt. Charitatem nulli impensius laudant, nulli impudentius violant; gratiam prædicant: sed spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Errores suos specioso quodam ementitæ severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non cessant, instituendæque in melius Christianorum vitæ, & ad normam Evangelii componendæ zelum magnifice ostentant. Eorum indoles.

Quare Pontifex, ut perniciosam hanc larvam eis detrahat, data hac ad omnes Christi Fideles Epistola pathetice illos describit, ut venientes ad se in vestimentis ovium probe dignoscant, adhibita Christi regula, ex fructibus cognoscendos, ex contumacia videlicet adversus Constitutiones Apost. ex calumniandi libidine, ex turbandi Ecclesiam irrequietis consiliis, ex vana severæ virtutis ostentatione & jactantia; neque enim veram virtutem absque humilitate, pietatem absque obedientia, perfectionem absque charitate posse consistere. Quæ autem humilitas, sensum proprium communi Fra-

trum sententiæ, quin & supremæ B. Petri Cathedræ obstinate præferre? quæ obedientia, Apost. Constitutionibus obluctari? quæ tandem charitas, injuriis & contumeliis agere, iras, rixas, contentiones ubique dissemin are?

Declarat denique, contumaces non amplius esse Ecclesiæ filios, aut communionem habere cum Romana Ecclesia, donec eidem obedientiam præstent.

Datum 26 *Aug.* 1718.

261. Post bellum *Toggenburgicum* Abbas & Princeps Monasterii S. Galli, nullius Diœcesis, Provinciæ Moguntinæ, Josephus a Rudolphis Tractatum pacificationis cum Tigurinis & Bernatibus Badensæ inire compulsus est, super diversis controversiis, ob quas sub Leodegario Abbate etiam ad arma ventum. In hoc Tractatu liberum hæreseos exercitium in quibusdam locis permitti, arguit Pontifex, ipsosque hæreticos una cum Catholicis ad munera publica absque ullo discrimine admitti: Parochis Acatholicis accuratam puerorum instructionem commendari; aliaque orthodoxæ fidei, cultui Divino, animarum saluti, Abbatis & Monasterii Jurisdictioni, auctoritati, exemptionibus, privilegiis, bonis, ac juribus repugnantia, statuuntur, & firmantur.

Toggenburgum.

Tametsi vero hunc Tractatum, per se nullum esse palam constet, notoriique juris sit, quascunque pactiones de rebus ac bonis Ecclesiasticis, absque Sedis Apost. auctoritate initas, nullius esse roboris; nihilominus Papa ad majorem cautelam Tractatum istum, quoad articulos, Monasterio aut Religioni præjudiciales, irritum & iniquum declarat, neminemque ad ejus observantiam teneri, neque ullum cuiquam jus inde enasci.

263. Revocantur Indulta, Religiosis personis a Nuntio Apost. concessa in Portugallia & Algarbiorum regno, in præjudicium Superiorum & Regularis disciplinæ.

264. Paulus III prohibuit, ne ullus ex Societate Jesu, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor fuerit, absque S. Sedis aut P. Generalis concessione ingrediatur ullum alium Ordinem Religiosum, (Carthusianorum duntaxat excepto) sub censuris & pœnis in apostatas latis. Idem a Pio IV & V confirmatum fuit, additumque, intra tres menses Carthusianorum Ordinem ingredi oportere, secus redeundum ad Societatem, prout etiam, si in illo permanere nollent, aut in alio Ordine, quem de licentia P. Generalis essent ingressi.

Societas Jesu.

Cum

Cum autem quidam vanis prætextibus, & declarationibus præsertim in utraque India, hæc Decreta eluderent, Greg. XIII nova Constitutione eadem confirmavit, addiditque, quod sociis extra Europam, etiamsi votis tantum simplicibus sint adstricti, sine licentia P. Generalis ne quidem ad Carthusianorum Ordinem liceat transire, atque hæc omnia Clemens XI hac Constitutione 264 de novo confirmavit.

266. Senatus *Niciensis* Presbyterum, ex Ecclesia vi & publice in carceres laicales abstraxerat; propter quod facinus Vicarius Capituli reos in censuras Eccles. incidisse declaravit. At vero Vicarius Generalis Archiepiscopi Ebredunensis, ad quem, ceu Metropolitanum, Senatores appellaverant, ad cautelam eos absolvit, inhibito Vicario Capituli, ne ad pœnas procederet, censuris declaratis irritis. Verum Papa, causas censurarum, ob violationem Ecclesiasticæ immunitatis incursarum, ad Sedem Apost. pertinere asserens, acta Vicarii Ebredun. irrita declaravit, a non habente potestatem attentata, dictosque Senatores, tanquam excommunicatos esse vitandos, donec absolutionem resipiscentes petierint, & impetrare meruerint, aut censuræ injustæ fuerint declaratæ; cum ante hujusmodi declarationem pro validis haberi debeant. Causa Niciensis.

Articulus VI.

Constitutiones Innocentii XIII.

Altero post obitum Clementis XI mense electus est a 55 Cardinalibus in Conclavi præsentibus unanimi voce Michael Angelus *Conti*, sive *de Comitibus*, ex Nobilissima Romana *Contiorum* Familia, quæ jam 16 summos Ecclesiæ Pontifices dederat, anno 1655 prognatus, dein vero Lucernensi, & Lusitana legationibus magno cum honore perfunctus a Clem. XI anno 1707 S. R. E. Cardinalis creatus, ac demum anno 1721 assumpto *Innocentii XIII* nomine electus summus Pontifex. 146. Conti.

Intra tres annos, quibus Ecclesiæ præfuit, varias Constitutiones edidit.

1. Plures Pontifices Urbinum civitatem variis gratiis ornatam Academia illustrarunt, præsertim Clem. XI patriam suam, in qua natus & educatus fuerat, suscepta etiam ibidem J. U. Laurea. Has gratias, privilegia, & Indulta Innocentius XIII confirmat, augetque.

2. Con-

2. Conclaviſtis confirmat & tribuit gratias. 3. Dapiferis in Conclavio. 4. Familiaribus ſuæ ſanctitatis. 5. Indicitur Jubilæum univerſale.

13. Cuſtodi & Quardiano S. Sepulchri conceditur poteſtas conferendi Sacramentum Confirmationis, Oleo & Chriſmate ab Epiſcopo benedictis; ſi novum haberi nequeat, veteri.

14. Confirmatur Conſtitutio Pii V de exemptione a Decimis aliisque oneribus Ordinis Teutonici ad inſtar militum Hieroſolymitanorum.

16. Commendari jubentur fidelium liberalitati neceſſitates Terræ ſanctæ.

18. Creantur 50 pueri honorarii in Comites Palatinos, & Auratæ Militiæ Equites, occaſione ſolennis Equitationis, qua Pontificem ſunt comitati.

Cauſa Lucernenſis. 20. Senatus *Lucernenſis* volebat quantitatem dotis determinare, quam puellis, Monaſterium ingredientibus, liceret afferre. Diſplicuit hoc Pontifici, & ſub pœna Interdicti Monialibus prohibuit, ne Edictum Senatus obſervent, quod, ceu contrarium Eccleſiaſticæ libertati & Juriſdictioni, irritum eſſe declarat. Injungit tamen Epiſcopo Conſtantienſi, ut cauſam examinet, &, ſi Moniales nimium petant, quantitatem moderetur.

21. Exhibetur in extenſo *Bulla Cœnæ*, quam, cum paſſim extet, Bulla Cœnæ. breviſſima ſyncope refero. 1. Excommunicantur omnes Huſſitæ, Wiclephitæ, Lutherani, Zvingliani, Calviniſtæ, Ugonotti, Anabaptiſtæ, Trinitarii, omnesque hæretici, ac eis credentes, eorum receptatores, fautores, defenſores. Libros eorum, hæreſin continentes, vel de religione tractantes, ſine auctoritate S. Sedis legentes, aut retinentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa. Nec non Schiſmatici, qui ſe ab obedientia ſubtrahunt.

2. Omnes, appellantes ad futurum univerſale Concilium, & ad hoc auxilium præſtantes.

3. Omnes piratæ in mari Tyrrheno.

4. Qui naufragorum bona diripiunt, aut e navi ejecta.

5. Qui in terris ſuis nova pedagia aut gabellas, præterquam in caſibus Jure permiſſis, imponunt.

6. Falſarii litterarum Apoſtolicarum.

7. Qui ad Turcas vel hæreticos, per Sedem Apoſt. expreſſim & nomina timdeclaratos, deferunt arma, aut quemcunque apparatum bellicum aut navalem, aut ſtatum Chriſtianitatis eisdem produnt.

8. Impe-

8. Impedientes victualia, aut alia ad usum Romanæ curiæ adduci.

9. & 10. Qui ad Sedem Apost. euntes aut Romipetas redeuntes occidunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, aut contra illos Jurisdictionem, quam non habent, exercere attentant.

11. Interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, detinentes S. R. E. Cardd. Patriarchas, Episcopos, Nuntios, aut eos ex territoriis suis a Diœcesibus ejicientes, mandantes, aut auxilium præstantes.

12. Eos, qui causas in Romana curia agentes percutiunt, spoliant ac persequuntur.

13. Appellantes a gravamine seu futura executione litterarum Apost. ad curias sæculares aut potestatem laicam, aut eandem impediunt.

14. Omnes, qui causas Beneficiales, Decimales, aut alias spirituales & spiritualibus annexas a Commissariis Apost. aut aliis Judicibus Ecclesiasticis avocant, aut earum cursum impediunt.

15. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas trahunt ad sua tribunalia, audientiam, cancellariam, consilium, præter Juris Canonici dispositionem, directe vel indirecte quovis quæsito colore, aut prætextu cujuscunque consuetudinis, aut privilegii ordinationes, aut quævis alia decreta in genere vel in specie ex quavis causa fecerint, & publicaverint, vel factis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur seu aliqua ratione læditur, vel deprimitur, vel alias quovis modo restringitur, & quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe vel indirecte, tacite vel expresse præjudicatur. Immunitas

16. Aut qui Episcopos, aliosque Prælatos, aut quoscunque Judices Ecclesiasticos a Jurisdictione sua exercenda impediunt, aut ab eorum sententia, ad curiam sæcularem recurrunt, & ab ea mandata procurant.

17. Eos, qui Jurisdictiones, fructus, reditus, proventus, ad Sedem Apost. & quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione vel causa, sine Rom. Pontificis, vel aliorum, ad id legitimam potestatem habentium, expressa licentia sequestrant.

18. Aut qui collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus, abs-

que simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus recipiunt: nec non qui per se vel per alios directe vel indirecte prædicta facere, exequi aut procurare, aut in iisdem consilium, auxilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint dignitatis.

19. Item excommunicantur omnes Judices, Magistratus, Notarii, scribæ, executores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa licentia Sedis Apost. aut hujusmodi licentiam ad personas aut casus non expressos extendunt, vel alias illa abutuntur.

20. Item omnes, qui per se aut alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo invadere, destruere, occupare & detinere, præsumpserint, Almam urbem, Regnum Siciliæ, Sardiniam, Corsicam, terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spolet. Comitatum Venaysinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas provincias, illarumque terras & loca, ac terras speciales Arnulphorum commissionis, civitatesque Pontificias, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum & alias civitates, terras, & loca vel jura, ad Romanam Ecclesiam pertinentia, eidemque mediate vel immediate subjecta; nec non supremam Jurisdictionem in illis, Rom. Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere & vexare præsumunt, aut eis adhærent, favent, auxilium vel consilium præstant &c.

21. A prædictis sententiis nullus per alium, quam per Rom. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum.

22. Si quis absolvere de facto præsumpserit, excommunicatur, gravius inde puniendus.

23. Papæ absolutio eos non comprehendit, qui a prædictis non destiterint.

24. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, litteris Apost. & indultis quibuscunque.

25. Quæ omnia revocantur, acsi de verbo ad verbum essent inserta.

26. Præ-

26. Præsentes Processus valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateran. & Basilicæ Principis Apost. affigi jubentur ad publicam omnium notitiam.

27. Omnibus Episcopis, Ordinariis, Prælatis, ubilibet constitutis, in virtute S. Obedientiæ præcipitur, ut præsentes litteras saltem semel in anno in Ecclesiis suis, dum major in eis fuerit populi concursus, solenniter publicent.

28. Quicunque Confessiones audiunt, litteras istas apud se habeant, easque diligenter legere & percipere studeant.

29. Habita transumptis plena fide, si Notarii publici manuscripta, & sigillo Judicis Ord. Curiæ Rom. vel alterius personæ, in dignitate Eccles. constitutæ, fuerint munita.

30. Nulli ergo hominum liceat &c.

Not. Hanc Bullam singuli Pontifices initio sui Regiminis in extenso Bullario suo inserunt, & quot annis Feria V Cœnæ Domini publice eandem promulgant.

Constit. 25. Declaratur, Canonicis Regularibus S. Augustini Superioris Germaniæ competere easdem Indulgentias plenarias, quæ Canonicis Lateranensibus sunt concessæ.

Const. 26. Conceditur Carolo VI Imperatori Regnum Siciliæ & Hierusalem cum terra citra Pharum in Feudum. Memorat in ea Pontifex, quod Julius II terras istas ceu feudum, Ecclesiæ apertum, atque ad se devolutum Ferdinando Aragoniæ Regi, ejusque in Regno Aragoniæ successoribus, tam masculis quam fœminis, sub annuo censu & diversis conditionibus, concesserit, excepto Benevento ejusque districtu. Feudum usque Siciliæ.

Addit, Carolum V Imperatorem ac Hispaniarum Regem eodem feudo a Leone X fuisse investitum iisdem conditionibus, ac insuper, ut quot annis Cameræ Apostolicæ solveret 7000 Ducatos, ultra censum solitum *Parafreni* albi, seu equi candidi pro recognitione veri & directi Dominii ipsius regni Siciliæ, atque ut delinquentes utrinque remitterentur.

Tum a Julio III post renuntiationem Caroli V, Philippo II ejus filio, ac successoribus Aragoniæ Regibus, masculis & fœminis, atque ex eo recta linea descendentibus iisdem conditionibus terras illas in feudum præstito per Procuratorem homagio, fuisse concessas: atque similiter a Clemente VIII Philippo III, & a Gregorio XV Philippo IV, ac demum ab Alex. VII Carolo II.

Post hujus mortem, cum duo potentes essent competitores, & Europa pene omnis bello flagraret, Clemens XI, licet vehementer sollicitatus, nulli voluit Investituram concedere. Tandem vero Inno-

nocentius XIII Carolum VI Imperatorem, utriusque Siciliæ possessorem, cum omnibus suis successoribus, masculis & fœminis, sub iisdem conditionibus, præstante Cardinale Althano homagio, anno 1722 investivit. Subjungitur Juramentum, ab Althano præstitum.

Articulus VII.

Constitutiones Benedicti XIII.

147. Benedictus XIII obit. Anno 1730 pie, ut vixit, obiit Benedictus XIII Papa, ætatis 81, Pontificatus sexto: corpus ejus fuit donatum Monasterio supra Minervam, ubi sepultum est, & merito, nam etiam in vita semper memor fuit illius Ordinis, ex quo fuerat assumptus. Artem gubernandi politicam quidam in eo desiderarunt; laudarunt Pontificem, Principem non æque, vituperaturi, si negotiis sæcularibus se miscuisset. Hæc ipsa summa laus, quod cultui Divino, digne celebrando, consecrandis Ecclesiis, & altaribus, benedicendis Abbatibus, Canonizandis sanctis, instruendo populo, studium præcipuum impenderit. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens &c.

Coscia. Bonitate tamen ejus plures abusi sunt; quos inter erat Cardinalis *Coscia*, quo, ceu intimæ admissionis administro, fidentius, quam par erat, uti visus est. De variis excessibus is post mortem Papæ accusatus, maxime, quod se ipsum nimium quantum locupletarit, apud Marchionem quendam thesauros suos absconderat, sed detecti in Castrum S. Angeli a Cardinalibus sunt asportati.

Constitutio eximens Episcopatum Passaviensem.

Anno 1728 per Constitutionem Benedictus Ecclesiam Passaviensem a Jurisdictione Archiepiscopi Salisburgensis exemit, Sedique Apostolicæ immediate subjecit, ea sola conditione adjecta, ut in Conciliis Provincialibus, ab Archiepiscopo, tanquam Metropolitano indictis, compareat.

Memorat Pontifex in ea Constitutione, Laureacensem Ecclesiam in Norico Ripensi a primis Ecclesiæ sæculis exstructam, & per extinctionem Cathedræ Sirmiensis in Pannonia non parum auctam, vastatam subinde a barbaris, & Passaviam translatam, e Norico in Vindelicam. Laureacensem porro Præsulem Theodorum Archiepiscopalis

Pallii

Pallii usum a Symmacho Papa accepisse, ejusque Sedem non unius Norici Ripensis, sed etiam Pannoniorum matrem esse voluisse.

A Benedicto VII limites utriusque Ecclesiæ, Salisburgensis videlicet, & Passaviensis fuisse positos; quamvis postea Laureacensis Ecclesiæ culmen, Passavii consistens, varias calamitates & vices, ob magnam etiam Archiepiscoporum Salisburgensium potentiam & auctoritatem subierit; Antistitem modo Archiepiscopi modo etiam Episcopi elogio honestatum, veteri Laureacensis Ecclesiæ splendore & amplitudine non parum imminutis. Exemptio Passaviens. Eccles.

Nihilominus tamen Georgium Episcopum Passaviensem in Concilio Constantiensi pro se suisque successoribus a quocunque jure Metropolitico Salisburgensi omnimodam exemptionem obtinuisse una cum usu Pallii, idque confirmatum fuisse a Martino V ad vitam Georgii.

Inter successores autem ortas fuisse hac de re controversias, quæ in litem dein transierint, Romæ agitatam, quam in perpetuum extinguens Pontifex, *Josephum Lambergium*, tum ob ejus merita, & zelum Pastoralem, tum ob antiquæ Ecclesiæ Laureacensis præcellentiam, una cum Capitulo Passaviensi, totaque Diœcesi, a Jurisdictione Archiepiscopi Salisburgensis, etiam qua Legati Apostolici eximit, jus Pallii & insignia Archiepiscopalia, cum potestate præferendæ Crucis concedit; cum obligatione tamen Concilia provincialia, a Salisburgensi indicenda adeundi, eumque quoad hæc Metropolitam suum agnoscendi.

Constitutio de dimissis e Societate Jesu.

142.

Hanc Constitutionem edidit Benedictus XIII 4 Junii 1728, Pontificatus sui quinto; atque in ea memorat, Societatem Jesu sæpius molestari atque in judicium trahi ab eis, qui post exactum probationis biennium & vota simplicia, ante tamen solennem professionem e Societate dimittuntur, alimenta sibi deberi contendentes propterea, quod in ea ad sacros Ordines absque Beneficio Ecclesiastico, & patrimonio, sed Religiosæ paupertatis titulo promoti fuissent.

Licet autem satis perspectum exploratumque sit, æquitati non esse consentaneum, quod Societas, quæ in illis amandandis jure suo utitur, sustentationem eis suppeditandi oneri obnoxia remaneat, idque eo minus, quod ipsi ex sua culpa, quæ dimissioni causam præbet, commodum & utilitatem reportarent; atque hoc pluries a Con- Non debetl alimenta.

gregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re accurate discussa, decretum & resolutum fuerit.

Nihilominus tamen, cum facile evenire possit, similes quæstiones imposterum quoque, non sine Societatis perturbatione ac dispendio moveri seu instaurari, nisi eis aditus præcludatur, se Societatem Jesu, quam ob singularia sua in Sedem Apostolicam merita, peculiari Apostolicæ dilectionis affectu prosequatur, a quacunque lite & molestia, quæ deinceps oriri possent, eximere, ac omnem desuper controversiæ occasionem submovere cupientem, ipsamque Societatem specialis favore gratiæ prosequi volentem, motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione, de Apostolicæ potestatis plenitudine hac perpetuo valitura constitutione statuere ac declarare, memoratam Societatem Jesu non teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruæ sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocunque titulo & causa illis faciendam, qui post biennium probationis, & emissionis votorum simplicium extra Societatem a suis superioribus ejiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, sine Beneficio Ecclesiastico & patrimonio, & ad titulum Religiosæ paupertatis promoti fuerint.

Addit deinde Pontifex clausulam: sic & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Apostolici Palatii Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apost. Sedis Nuntios, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari ac definiri debere: ac irritum & inane decernit, si secus a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Non obstantibus Apostolicis, & Conciliorum constitutionibus, ordinationibus, statutis, consuetudinibus, privilegiis, quacunque auctoritate roboratis, quibus omnibus ad præsentium effectum derogatur.

Aliam Constitutionem idem Pontifex edidit 23 Sept. 1729, qua, commemorans uberes fructus, quos ubique terrarum Societas Jesu in militanti Ecclesia, verbo, doctrina, & exemplo in dies copiosius

Congreg. de Bona Morte: affert, erexit *Congregationem de Bona Morte* primariam Romæ in Domo Professa S. J. simulque R. P. Generali potestatem dedit, alias per universum orbem in Ecclesiis S. J. instituendi, & primariæ Romanæ aggregandi, collatis Indulgentiis plenariis in die susceptionis, articulo mortis, & præcipuis per annum festis Domini ac B. V. Apostolorum, S. Josephi, omnium sanctorum, & una quovis mense Dominica. Has indulgentias autem Sodales etiam alibi existentes lucrari possunt.

possunt. Adduntur plures aliæ Indulgentiæ non plenariæ: possuntque tam illæ, quam istæ applicari pro animabus inpurgatorio per modum suffragii.

Articulus VIII.

Constitutio de Jure Asyli.

Celeberrima autem est Constitutio *Ex quo Divina*, qua Benedictus Jura *Asyli* temperat, aitque, post Constitutionem *Cum alias* Gregorii XIV ob varias Doctorum, eam interpretantium sententias & praxin, multiplices contentiones super ejus sensu inter Ecclesiastica & sæcularia tribunalia fuisse exortas. Atque, ut his finem imponat, confirmat illam Constitutionem, declaratque, ut quis publicus latro & grassator (quos Gregorius Asylo exclusit) dici queat, sufficere unicam grassationem, in via publica aut vicinali admissam, dummodo grassati mors aut mutilatio membrorum secuta fuerit. 148. Asylum.

Similiter excludit non tantum eos, qui in Ecclesiis aut Cœmeteriis homicidia aut mutilationes committunt, prout in Constitutione Gregoriana continetur: verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt vel mutilant stantes extra Ecclesiam vel Cœmeterium, nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam aut Cœmerium occidunt aut mutilant stantes intra Ecclesiam vel Cœmeterium.

Eos insuper, qui confugientibus vim inferunt, atque eos ab Ecclesia aliove loco immuni violente extrahunt & abducunt. Atque in his casibus illos excludi non tantum ab Ecclesia, quam violarunt, sed etiam a quavis alia. Adhæc in crimine assassinii non modo mandatarios, uti Gregoriana, excludit, sed mandantes quoque, licet promissio pecuniæ &c. non fuerit impleta, dummodo assassinium re ipsa fuerit patratum.

Excludit pariter interficientes proximum suum, *animo prameditato ac deliberato*: falsificantes litteras Apostolicas: ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut Banci, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: conflantes, adulterantes, tondentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quando in loco delicti liberum usum & cursum habent: vel sic adulteratas scienter ita erogare præsumentes, ut fraudis conscii atque participes censeri possint. Illos demum, qui se introducunt in alie- Exclus.

nas

nas domos, animo perpetrandi rapinas, easque re ipſa committunt, cum homicidio aut mutilatione.

Derogat dein Pontifex omnibus explicationibus & interpretationibus Conſtitutionis Gregorianæ, & cuicunque tribunalium praxi, in quantum huic Conſtitutioni ſunt contrariæ.

Modus extrahendi.

Præſcribit denique formulam extrahendi delinquentes, qui non gaudent Aſylo, ex Eccleſia, aitque, quotiescunque curia Eccleſiaſtica a curia ſæculari fuerit requiſita, ut laicum delinquentem ſibi extradat, eaque ſuper delicti excepti qualitate ſubminiſtrarit indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur, tunc curia Eccleſiaſtica ad extractionem delinquentis, cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ, ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad ſuos carceres (*Eccleſiaſticos*) aſportari, & ſub tuta cuſtodia detineri curet, invocato etiam, ſi opus ſit, auxilio brachii ſæcularis.

Ubi vero ex proceſſu informativo, deſuper conficiendo, conſtat moraliter de crimine excepto, ab extracto patrato, illum officialibus curiæ ſæcularis tradere poſſit ac debeat, exacta tamen receptaque ab ipſis obligatione in forma Juris valida reſtituendi extractum Eccleſiæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Papæ reſervatæ, ſi extractus indicia, contra ſe allata, purget ac diluat. Quod ſi autem ea non diluerit, & vere delinquens repertus fuerit, curia ſæcularis in eum, ut juris eſſe cenſuerit, procedere valeat.

Cognitio ad Epiſcopum.

Statuit deinde, ſecundum Conſtitutionem Gregorii, ut ſoli Epiſcopi, nullus autem alius inferior, quamvis ſit loci Ordinarius, aut nullius Diœceſis, declarare valeant, an delictum ſit exceptum, ſimulque diſtricte prohibet, ne ullus Magiſtratus, aut officialis ſæcularis, vel alius quiſcunque, quacunque mundana dignitate fulgeat, hujusmodi cauſis, vel conficiendo proceſſus, vel inquiſito extrahendo, vel declarando, crimen patratum eſſe de exceptis, ullo pacto ſe ingerant aut immiſceant: ſecus omnia irrita fore & inania, ſimulque cenſuras, contra violatores Eccleſiaſticæ immunitatis latas incurri: ſed omnimoda cognitio & judicium ad Epiſcopum privative ſpectet.

Hortatur denique Epiſcopos, ut magno zelo & conſtantia Immunitatem Eccleſiaſticam defendant; ab omni tamen tumultu & perturbatione caventes, ne jactantiæ cauſa potius, quam miſerationis & juſtitiæ titulo Eccleſiaſtica privilegia aſſerere velle videantur: decernitque, ut hæc ſemper & ubique plenarium effectum ſortiantur, ſublata quavis aliter judicandi & interpretandi facultate. Addit clauſulas derogatorias omnium Prædeceſſorum ſuorum litteris Apoſtolicis &c.

Alia

Aliæ Constitutiones Benedicti XIII.

Idem Pontifex Benedictus XIII intra sex annos multas præterea Constitutiones edidit, quæ in Bullario Romano Tomum XII implent. Versantur autem pleræque circa privilegia, Indulgentias, facultates, concessiones, Regularibus factas.

Sic per Bullam *Pretiosus* Ordini Prædicatorum collata hactenus privilegia atque Indulgentias confirmavit, novaque adjecit, cum eximio illustrissimi Ordinis encomio. Carmelitis in Aragonia dat potestatem creandi Doctores. Societati Jesu assumendi in Patronum Scholarium B. Aloysium. Carthusianorum superioribus, ne sine licentia eorum subditi ullam gratiam a Sede Apost. possint expetere. Ordini S. Francisci eorumque Tertiariis dat varia privilegia. Variæ Bullæ.

Prohibet, ne ullus Religiosus ad laxiorem Ordinem transeat sine licentia Papæ. Datæ Indulgentiæ pro exercitio viæ S. Crucis. Facultas data Eremitis S. Augustini creandi 50 Magistros in Italia, & extra illam 40. & Generali Capucinorum, ubique erigendi tertium Ordinem. Tertiarii variorum Ordinum eximuntur a Jurisdictione ordinariorum. Uni ex Servis B. V. conceditur locus in Congregatione sacrorum Rituum. Confirmantur privilegia Theatinorum, Carthusianorum, Cisterciensium, Eremit. S. Aug. &c. Decernitur præcedentia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis.

Præpositum & Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini in *Monte S. Bernardi* in Vallesia defendit adversus Ministros & Officiales Pedemontanos, queriturque, quod varias Monasterio inferendo molestias Immunitatem Ecclesiasticam violarint, præsertim, dum novissime subtrahendo fructus Præpositum compulerunt ad jurandam sibi fidem, & jus Patronatus in Præposituram illam sibi arrogarunt. Igitur Papa hæc omnia contra sacros Canones & justitiam acta declarat, eaque pro irritis habenda esse, ita, ut nemini ex juramento illo extorto aut coacta agnitione juris Patronatus jus ullum aut actio, vel titulus, etiam coloratus possidendi ac præscribendi acquisitus fuerit, jubetque, Præpositum penitus in integrum restitui, confirmatis censuris, quas prædicti Ministri incurrissent. Mons S. Bernard.

Magistro sacri Palatii confirmatur jurisdictio in omnes causas, criminales, & civiles, quæ in palatio Apost. inter familiares oriuntur. Regularibus Piarum Scholarum interdicuntur Conciones extra suas Ecclesias &c.

Plures etiam Bullas Benedictus XIII edidit, quibus multos in sanctorum aut beatorum numerum retulit, uti Hyacintham de Marescotis, tertii Ordinis S. Francisci. Thuribium Archiepiscopum Limanum. Jacobum de Marchia Ord. S. Francisci. Agnetem de Monte Politiano Ord. S. Dominici. Franciscum Solanum Ord. S. Franc. Peregrinum Latiosum Ord. Servorum B. V. Aloysium & Stanislaum S. J. Joannem a Cruce Carmelitam. Joannem Nepomucenum Canonicum Pragensem, Fidelem a Sigmaringen Ord. Capucini. Vincentium a Paulo ex Congr. Missionis. Joannem de Prato Ord. S. Franc. Petrum Forrerium, Lotharingum, Canonicum Reg. S. Aug.

Canonizati.

Promulgavit etiam cum solenni vitæ elogio Canonizationes plurium, quos jam antea varii Pontifices Catalogo Sanctorum adscripserant, uti Isidori Agricolæ; Andreæ Corsini Carmelitæ; Philippi Benitii Ord. Servorum B. V. M. Francisci Borgiæ S. J. Laurentii Justiniani Venetiarum Patriarchæ; Joannis Capistrani Ord. Min. de Observ. Catharinæ Bononiensis Clarissæ; Felicis a Cantalicio Ord. Capuc.

Decanus Card.

Dubium & controversum sæpius erat, an Seniori Cardinali, si in Episcopatu sit absens Roma, competat Decanatus sacri Collegii? negative responsum aliquando, & exemplis etiam comprobatum. Sic Cardinalis Tanarius junior erat Orsino Archiepiscopo Beneventano, dictus tamen præ isto Decanus. At vero Orsinus, postquam ad Pontificatus apicem fuit evectus, ordinavit *Constit.* 26, ut Decanatus sacri Cardd. Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem, licet absentem, pertineat.

Constit. 32. Conceduntur plenariæ Indulgentiæ in singulos menses semel vere pœnitentibus, S. Synaxi refectis, & pro pace & concordia Principum Christianorum, pro extirpatione hæresum, & exaltatione S. Matris Ecclesiæ, orantibus, si flexis genibus diligenter ac devote ad sonum campanæ mane, meridie, & vesperi recitaverint Antiphonam *Angelus Domini*, & ter salutationem Angelicam.

150. Doctrina Thomist.

Const. 38. Augustinus Pipia Generalis Magister Ordinis Prædicatorum *Demissas preces* supplici libello ad Bened. XIII Ordinis sui olim alumnum, detulit, atque conquestus est, quod nonnulli calumnientur, per Constitutionem *Unigenitus* doctrinæ Thomisticæ censuram esse inustam. Pontifex eos consolatur & hortatur, ut magno animo contemnant calumnias, sententiis suis intentatas de gratia præsertim, per se ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuissent, & ab ipsis sanctis Doctoribus, Augustino & Thoma, se habuisse, & Verbo Dei, summorumque Pontificum, & Concilio-

rum

sum Decretis, & Patrum dictis consonas esse, *commemorabili studio glorientur.* Districte dein prohibet Papa, ne quis calumniari audeat, prædicta Constitutione S. Augustini & S. Thomæ doctrinam fuisse perstrictam, hortaturque, ut Doctoris sui S. Thomæ opera sole clariora, & sine ullo prorsus errore conscripta, inoffenso pede decurrant.

Const. 45. Declaratur irrita electio & consecratio Cornelii *Steenoven* in Archiepiscopum *Ultrajectinum*, a septem Pseudo-Canonicis attentata; cum Capitulum illud jam ante centum annos interciderit, omnesque prætensi Canonici Ecclesiasticis censuris fuerint irretiti: prout etiam Varletus Episcopus Babyloniensis, qui sic electum sacrilege consecravit. Causa Ultraject.

Const. 51. Publicantur litteræ Processus die Cœnæ Domini.

Const. 57. Parochis per Italiam quarta Funeralis decernitur, si defuncti apud Regulares sepulturam elegerint. Sub illa tamen non comprehenduntur legata Missarum & anniversaria.

Const. 59. Provisi de Beneficiis in Italia mediam annatam solvant pro fabrica.

Articulus IX.

Constitutiones quædam Clementis XII Pontificatus.

Anno I.

Primo Regiminis sui anno, postquam gratiis & privilegiis remuneratus est Conclavistas, eos videlicet, qui Cardinalibus in Conclavi inservierunt, creavit 25 pueros honorarios in Equites *Auratæ militiæ*, & Comites Palatii, occasione solennis equitationis, qua Papam a Vaticano ad Ecclesiam Lateranensem ad utrumque latus sunt comitati. 151. Aurata Militia.

Aretino Episcopo usum Pallii, & Crucis prælationem concedit. Erectam in Catalonia a Philippo V Academiam auctoritate Apostolica confirmat, & privilegiis ornat. Generali Congregationis Pauperum Matris Dei *Scholarum Piarum* dat facultatem constituendi in qualibet provincia duos Concionatores, tres vero in grandioribus, quam facultatem Benedictus XIII eis negaverat, ne a scholis piis impedirentur.

Cum priores Pontifices circa *Decanatum* Collegii Cardinalium variassent, statuit Clemens, ut semper antiquior ex sex suburbicariis Episcopis Cardinalibus, Romæ præsens, aut in negotiis publicis Ec- Decanatus S. Colleg.

 clesiæ

clesiæ absens, fit *Decanus.* Revocat exemptiones, a vectigalibus & aliis oneribus publicis, quibusdam in temporalibus Ecclesiæ Romanæ ditionibus Religiosis, bona temporalia possidentibus, aut Cardinalium Nepotibus, vel consanguineis, a prioribus Pontificibus, præsertim a Benedicto XIII in damnum Cameræ Apostolicæ aut aliorum concessas, salva de cætero immunitate Ecclesiastica.

Congregationi *Piarum Scholarum* conceditur facultas, non tantum rudimenta fidei & litterarum pauperes docendi, sed altiores quoque disciplinas etiam Nobiles, & pro iis Collegia erigendi.

De jure in Parmam & Placent.

20 Junii 1731 Constitutionem edidit, qua declarat, Ducatus *Parmæ & Placentiæ* a Paulo III Romano Pontifice Domui Farnesiæ in feudum masculinum fuisse concessos, uti ex litteris Investituræ, a Romanis Pontificibus singulis Ducibus impertitæ, uti etiam ex Constitutionibus Pii V aliorumque Pontificum constet. Cum igitur Antonius, ultimus ex ea Familia Dux, nulla prole masculina relicta sit mortuus, Ducatus illos ad Cameram & Sedem Apostolicam reverti, atque Dominium utile cum directo consolidari, nisi ex Henricheta Ducis vidua, quæ uterum ferre dicitur, proles mascula sit nascitura.

Mandat propterea in virtute S. Obedientiæ omnibus Ducatus utriusque Vasallis, ne casu eveniente alium præter Romanum Pontificem Dominum agnoscant. Bononiensi vero suo Legato præcipit, ut pro casu non nasciturae prolis masculæ realem & actualem possessionem capiat, & jurisdictionem civilem, criminalem atque mixtam exerceat.

Divione novus Episcopatus.

Dismembrata Ecclesia *Lingonienfi*, *Divione* in Burgundia novus Episcopatus a Papa constituitur, propter amplitudinem, præstantiam, & distantiam hujus urbis (quæ per hanc erectionem civitatis nomine decoratur) a Lingoniensi Cathedrali Ecclesia, ac præsertim propter preces Ludovici XV de Ecclesia optime meriti: cui etiam, vigore concordatorum, inter Leonem X & Franciscum I initorum, jus nominandi ad novum hunc Episcopatum contulit. Dos vero ex quibusdam commendis & Monasteriis fuit desumpta.

Anno II.

Episc. Monpel. scripta damnantur.

Episcopus Montis Pessulani varia scripta contra Bullam *Unigenitus* ediderat, prout Clemens XII hic conqueritur, novissime vero, cum Capitulum Constitutionem illam acceptasset, Episcopus hunc actum irritum & Jurisdictioni suæ contrarium declaravit, cum severa prohibitione, ne quis ex suis subditis Bullam illam reciperet, edito mandato, cui titulus: *Ordonance de Monseigneur de Montpillier contre la deliberation de son chapitre &c.*

Man-

Mandatum hoc Papa prorſus irritum pronuntiat, nulliusque penitus roboris, temerarium, erroneum, Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſanctæque ſedi injurioſum, & ad ſchiſma & hæreſin tendens; imo aperte ſchiſmaticum, illudque legi aut retineri prohibet, ſub pœnis excommunicationis reſervatæ, ipſo facto incurrendæ.

Ad inſtantiam P. Procuratoris Generalis *Terræ Sanctæ* Ordinis S. Franciſci jubet Pontifex bis in anno populo proponi neceſſitates ſacrorum locorum, quas Catholici ob impiam Turcarum, hæreticorum, & ſchiſmaticorum tyrannidem ibidem patiuntur, ut ſubſidium aliquod ipſis procuretur.

Per Bullam *Romanus Pontifex revocantur* varia *privilegia*, vivæ vocis oraculo, aut per reſcripta conceſſa, niſi per litteras Apoſtolicas, a Congregationibus Cardinalium, aut Romanæ curiæ Prælatorum edita, & a Romanis Pontificibus ſint approbata, nec non ab Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ quandocunque conceſſa fuerint, ſeu emanaverint; quæ ſalva ac firma remanere vult Pontifex. Revocatio privilegiorum.

His autem conditionibus deſtituta privilegia & indulta revocantur ſequentia. 1. Audiendi confeſſiones abſque facultate Epiſcopi & ſuperiorum, ad quos pertinet, aut eligendi confeſſarium, ab iis reſpective non approbatum. 2. Abſolvendi a caſibus Bullæ Cœnæ, aut alias Papæ, locorum Ordinariis, aut ſuperioribus Regularibus reſervatis. 3. Eximendi aut abſolvendi ab obligatione denuntiandi. 4. Utendi quibuscunque facultatibus reſervatis, licet pœnitentiariis eſſent conceſſa. 5. Relaxandi juramenta quælibet, etiamſi non agatur de præjudicio tertii. 6. Diſpenſandi in irregularitate, vel impedimentis matrimonii. 7. Convalidandi titulos Beneficiorum. 8. Celebrandi Miſſam in altari portatili. 9. Abſque legitima cauſa non recitandi officium, aut illud commutandi.

Conſtitutione *Romanus* 30 Martii 1732 edita plures Conſtitutiones, a Benedicto XIII in favorem *quorundam Regularium* datas, revocat ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, eumque ſtatum, quo res fuerunt ante dictas Conſtitutiones Benedicti XIII. Et quædam a Bened. XIII conceſſa.

Confirmat Regulas Monachorum Congregationis Montis Libani, Syrorum, Maronitarum, Ordinis S. Antonii Abbatis. Item Congregationem *Sacræ Familiæ Jeſu* Presbyterorum ſæcularium fundatam Neapoli ad inſtructionem Juvenum Senenſium & Indorum.

Reverſis in Saxonia ad unitatem Eccleſiæ aut reverſuris remittit reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum.

Anno III.

Statuit, ne *Carthusiani* inconsultis Ordinis superioribus gratias aut officia a Sede Apost. possint impetrare. Beatorum numero adscribit Catharinam *de Ricciis.* Varia statuit *de Conclavi*, & eligendo Pontifice, aliisque observandis sede vacante.

S. Cath. de Riccis. De Conclavi.

Atque imprimis memorat, varios Pontifices, uti Symmachum, Alex. II, Greg. X, Clem. V, Clem. VI, Julium II, Paulum IV, Pium IV, Greg. XV, Urb. VIII ea de re statuisse: additque, nullam Cardinalibus sede vacante esse jurisdictionem, sed omnia futuro Pontifici reservanda: nihil alienandum: rationes reddendas novo Pontifici a Thesaurario: Gubernatorem urbis aliosque officiales retinendos: tres Cardinales clausuræ & curæ Conclavis præficiendos: scrutinia, bis quotidie instituenda, quæ in Conclavi fiunt, iis, qui foris sunt, non evulganda.

Clerici Regulares *Piarum Scholarum* Vilnæ in Lithuania scholas ad docendas disciplinas majores aperuerant, Academia protestante, atque id cum juribus suis pugnare rata. Causa primum ad Nuntium Apostolicum, denique ad Sedem Apost. Romam fuit delata. Pronuntiavit Pontifex, Patres Piarum Scholarum obligari vi sui Instituti rudimenta fidei Catholicæ, Grammaticam, & computorum regulas tradere adolescentulis: licere etiam eisdem scientias majores in publicis suis scholis tradere, modo Constitutiones suas circa scholas minores servent. Teneri ipsos admittere pueros pauperes, & licere ipsis admittere pueros divites & Nobiles: idque etiam Vilnæ locum habere, imposito silentio Academiæ, cujus causam Romæ egit Paulus Strylevski S. J. (*Constit.* 98.)

Piæ Scholæ.

Anno IV.

Ordini PP. Prædicatorum in reverentiam S. Thomæ & propter merita dat potestatem, sæcularibus adolescentibus, in eorum scholis, studiis, Gymnasiis, per triennium Theologiæ operam dantibus, *Gradum Doctoratus* conferendi, cum iis privilegiis, quæ in publicis studiorum Universitatibus promotis conferri solent. (*Constit.* 106.)

Doctoratus.

Constit. 113. Prohibet, ne nota aut censura inuratur in materia de efficacia Divinæ gratiæ diversam a schola Thomistica doctrinam tenentibus, aut aliarum scholarum doctrina conviciis incessatur.

Const. 220. Confirmantur omnes confraternitates, sub titulo septem Dolorum B. V. M. a superioribus Generalibus Ordinis *Servorum B. V. M.* erectæ; etiamsi de earum Canonica erectione non constet.

Anno

Anno V.

Tomo 2. *Const.* 142. Missionariis S. J. in Indiis in 20 annos confirmat privilegium dispensandi in gradibus prohibitis consanguinitatis & affinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium, si Ordinarius non possit facile conveniri: excepto tamen gradu primo consanguinitatis.

Const. 143. Prohibentur litteræ pastorales *Episcopi Montis Pessulani*, quibus annuntiat miraculum, ad intercessionem *Francisci de Paris* patratum; & præmunit Diœcesanos suos adversus Breve Papæ. Paris miraculum.

Const. 147. Plures Indulgentias concedit Ordini *Servorum B. V. M.* ad preces Cardinalis *Pieri* ejusdem Ordinis, cujus ipse Pontifex, ejusque patruus & nepos Protectores fuerant; eundemque Ecclesiæ admodum utilem & fructuosum, sibique dilectissimum pronuntiat. *Constit.* vero sequenti superioribus ejusdem Ordinis etiam localibus dat potestatem benedicendi sacra indumenta & paramenta propriæ Ecclesiæ, in quibus sacra unctio non intervenit. Servis B. V. M. privil.

Const. 151. decernit, ut occisor pœna ordinaria puniatur, licet homicidium secutum sit in rixa, si homicida rixæ auctor fuerit. Constitutionem vero Benedicti XIII de Asylo etiam *ad Clericos* extendit, ut a potestate Ecclesiastica extrahi possint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem; circa extractionem vero Rei eadem ferme præscribit, quæ Benedictus, ut scilicet laicus, reus criminis exempti, tot indiciis gravatus, quæ ad capturam sufficiant, ad requisitionem curiæ sæcularis extrahatur a curia Ecclesiastica, invocato etiam, si opus sit, brachio sæculari, interveniente tamen persona Ecclesiastica, ab Episcopo deputata, ducaturque reus in carcerem Eccles. examineturque; & si indicia ad torturam sufficientia adsint, laicus curiæ sæculari tradatur; exacto tamen juramento, eum Ecclesiæ restituendi, si indicia diluerit. Sin autem illa non eliserit, sed reus repertus fuerit, Ecclesiasticus Judex in Clericum, sæcularis in laicum, prout juris est, animadvertat. Hæc tamen Constitutio ex intentione Pontificis non extenditur ultra ditionem temporalem seu Statum Ecclesiæ Romanæ in Italia. Const. Bened. XIII de Asylo ad Clericos extenditur.

Const. 155. Confirmat Breve Urbani VIII, quo declaravit, Ordinem Patrum *Capucinorum* vere esse Ordinem S. Francisci, atque ex eo per lineam rectam sine interruptione descendere. Ordo Capucin.

Const. 160. *Bona Ecclesiastica*, jam dudum in Palatinatu Inferiore & Ducatu Neoburgensi ab hæreticis occupata, condonantur iis, qui ad Catholicam Religionem revertuntur. Bona Eccles. in Palat.

Const.

Conſt. 162. Epiſcopatus Ferrarienſis, Sedi Apoſt. immediate ſubjectus, in Archiepiſcopatum erigitur.

Anno VI.

Conſt. 166. Irritæ pronuntiantur duæ epiſtolæ Paſtorales de *Ritibus Sinenſibus* Epiſcopi Pekinenſis, quæ diſcordias inter Miſſionarios excitaverant, cum reſervatione poteſtatis mentem ſuam aperiendi ſuper hac materia.

Conſt. 176. Prohibetur Prælatis Eccleſ. ne litteras tradant *Græcis*, ſive unitis, ſive ſchiſmaticis, pro colligenda pecunia, jubenturque eis litteras & pecunias adimere.

Conſt. 180. Conceduntur Indulgentiæ docentibus & diſcentibus doctrinam Chriſtianam.

Conſt. 191. Confirmatur alternatio Provincialis & ſocii, in Provincia Tyrolenſi Auſtriaca *Servorum B. V. M.* prohibetur, ne absque neceſſitate Religioſi transferantur ab una Provincia ad alteram &c.

Conſt. 192. Prorogantur Indulgentiæ plenariæ ad 15 annos pro Eccleſiis, in quibus Patres S. J. communionem generalem celebrant.

In Congregatione Miſſionis 35 erant electores; deciſum, non ſufficere 18 vota; quia non faciunt unum integrum ſupra medietatem, ſed requiri 19, ut electio valeat. Hoc decretum confirmatur *Conſt.* 195.

S. Vincent. a Paulo. *Conſt.* 203. Canonizatur *Vicentius a Paulo*, fundator Presbyterorum ſæcularium Congregationis Miſſionis in Gallia.

S. Fliſca. *Conſt.* 205. Sanctarum viduarum albo inſeritur Catharina *Fliſca Adurna*.

S. Juliana Falconeria. *Conſt.* 206. Canonizatur B. *Juliana Falconeria*, fundatrix tertii Ordinis Servorum B. V. M.

Conſt. 207. Beatorum numero inſeritur Joſephus a *Leoniſſa*, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum.

Conſt. 214. Diſpoſitio de homicidis & Aſylo ad Regnum Hiſpaniæ extenditur.

Conſt. 215. Concedit, ut Patriarcha Olyſſiponenſis fiat Cardinalis, & *Conſt.* 219. Regi Joanni V conceditur jus præſentandi ad omnes dignitates & Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ Olyſſiponenſis.

Conſt. 226. Prohibetur, ne confeſſarii quicunque, etiam titulo Bullæ Cruciatæ abſolvant Miniſtros S. Officii Inquiſitionis, qui geſta illius evulgant in Portugalliæ & Algarbiorum regno.

Conſt.

Const. 229. Prohibentur sub poena excommunicationis Societates & Conventicula *Liberorum Murariorum seu Francs Massons*, sive der Freymaurer. Freymaurer.

Const. 247. Confirmantur Missiones, ab Archiepiscopo Salisburgensi institutae, & leges, Missionariis, Augustinianis, Capuccinis, Benedictinis, Franciscanis traditae.

Const. 251. Conceditur facultas eligendi B. V. M. Immaculatam in Patronam principalem regni Siciliae.

Const. 268. Irritatur electio Petri *Meindarts* in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem, facta a praetenso Canonicorum Capitulo, jam ante centum annos extincto.

Const. 271. Regi Franciae conceditur jus nominandi ad Beneficia in Lotharingiae & Barri Ducatibus.

Const. 274. Damnatur liber, cui titulus: *Histoire du Livre des Reflexions Morales sur le Nouveau Testament, & de la Constitution Unigenitus*, editus Amstelodami, tanquam continens damnatas Jansenii & Quesnelli haereses. Et *Const.* sequenti Historia Concilii Tridentini, Italice scripta a *Paulo Sarpi*, nunc vero in linguam Gallicam versa.

Const. 276. Damnatur folium, quo continetur Decretum Parlamenti, supprimens litteras plurium Episcoporum, super obligatione, privandi oblatione Missae sacrificii, & suffragiis Ecclesiae, appellantes a Constitutione *Unigenitus*.

CAPUT XXX.

Excerpta ex Constitutionum BENEDICTI XIV.

TOMO I.

Qui continet ab eo edita ab anno 1740 ad 1746.

Articulus I.

Anno 1740.

1. Constitutione indicitur Jubilaeum. 152.

2. Epistola Encyclica ad omnes Episcopos, qua eis commendatur vigilantia in vitam & honestatem Clericorum; ut dignos Ecclesiis Mi-

nistros præficiant, Seminaria Clericorum erigant, eaque visitent, in Ecclesiis suis resideant, eas visitent, curentque, ut Parochi & confessarii quot annis sacris exercitiis vacent.

Novæ Congregationes Cardd. 5. Erigitur *Congregatio* particularis 5 Cardinalium cum Secretario, cui cura committitur, ut *Digniores ad Episcopatus* promoveantur.

6. Prohibetur omnibus Regularibus (exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo) venditio aromatum, pharmacorum, medicamentorum pro sæcularibus.

7. Episcopi & Abbates potestate quasi Episcopali gaudentes, in Italia quot annis, Ultramontani vero singulis quinquenniis more veteri *Limina* Apostolorum per se, vel, si impediti fuerint, per alium visitent, & Diœcesis suæ statum exponant.

8. Cum sacra Congregatio Concilii Tridentini pluribus occupetur negotiis, quam ut Episcopis, sacra *Limina* visitantibus, respondere possit, adjungitur ei in subsidium particularis *Congregatio nonnullorum Romanæ curiæ Prælatorum.*

9. Conceduntur 100 annorum Indulgentiæ iis, qui feria 6 in memoriam agoniæ Christi flexis genibus recitant quinquies orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, *ad sonum campanæ*, quæ in singulis Parochiis in virtute S. Obedientiæ pulsari jubetur.

10. Quardiano S. Sepulchri facultas conceditur, ut, absentibus Episcopis Latini ritus, Sacramentum Confirmationis conferre possit Oleo & Chrismate, a Catholico Episcopo benedictis.

Anno 1741.

Maindart. 11. Consecratio Joannis Petri *Maindarts*, in Archiepiscopatum Ultrajectensem intrusi, illicita, illegitima, sacrilega, ac contra supremæ sedis mandata, & SS. Canonum sanctionem facta declaratur. Excommunicationis quoque, & suspensionis ab exercitio Ordinis & Jurisdictionis sententia percellitur. Omnes autem ab eo ordinatos declarat suspensos, ac proin irregulares, si susceptos Ordines exercuerint. Excommunicantur insuper omnes, qui execrabili facinori operam, consilium aut consensum præstiterunt, & schismatici atque vitandi declaratur, hortaturque Pontifex Fideles Belgii Fœderati, ut a prædicto Joanne ceu lupo caveant, eumque devitent.

12. *Provisi a Cardinalibus* tenentur etiam a Sede Apost. provisionem petere, & Datariæ, Cancellariæ, taxam, & jura alia officialibus debita cum annatis solvere, si 24 aureos proventus excedant; non obstante Regula IX Cancellariæ.

13. In-

13. Interdicitur Clericis omnis *Negotiatio*, etiam sub alieno laici nomine, cum avaritiam, & rerum humanarum cupiditatem sapiat, & Clericos a rebus Divinis abstrahat.

14. Continetur Bulla Cœnæ Domini.

16. Conqueritur Papa contra Polonos, quod facilius, quam oportet, matrimonia dissolvant, acsi neque lege naturæ, neque Divino jure, neque Evangelicis præceptis, & Canonicis sanctionibus initum esset connubium.

17. Beatificatur Alexander *Saulius*, Clericus Regularis S. Pauli, seu Barnabita, Alariæ in Corsica Episcopus.

19. Commendat *jejunium*, vetatque cum aliquo dispensari sine legitima causa & utriusque Medici consilio, cum multitudine vero promiscue sine gravissima causa & urgente necessitate.

20. Renovantur Constitutiones Greg. XV & Alex. VII, & Declarationes S. Officii seu S. Inquisitionis, contra *Confessarios sollicitantes* editæ. Obligantur Confessarii, suos pœnitentes, quos noverint ab aliis Confessariis vel in ipsa confessione, vel ante vel immediate post, vel occasione aut prætextu confessionis, aut in confessionali simulata etiam tantum confessione, ad inhonesta & turpia, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, tunc vel postea legendam, fuisse tentatos aut sollicitatos, hos, inquam, pœnitentes obligantur Confessarii sedulo monere, *juxta occurrentium casuum circumstantias*, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis confessarium sollicitantem, sive pœnitens consenserit, sive non, aut tempus jam longum effluxerit, aut sollicitatio pro alia persona sit facta. Si autem pœnitens sollicitantem denuntiare recusaverit, absolutionem ei negandam decernitur.

153. De sollicitantibus.

Ne autem Sacerdos innocens denuntietur, statuitur hic, ut falso denuntians casum Pontifici reservatum incurrat.

Altera pars hujus celebris Constitutionis versatur circa *absolutionem complicis* in peccato luxuriæ, quæ nulla esse decernitur (secluso mortis articulo in defectu alterius Confessarii) nam Papa tali Sacerdoti complici omnem adimit Jurisdictionem. Si autem complicem nihilominus audire, & absolvere attentarit, ipso facto incurrit majorem excommunicationem, Pontifici reservatam. Extenditur autem hæc dispositio etiam ad tempus Jubilæi, ita, ut neque illo complex absolvi possit, non obstante Bulla Cruciata, aut alia quacunque, aut quibuscunque privilegiis. Monentur denique omnes locorum Ordinarii, ut hanc Bullam diligenter observari curent. Videantur etiam de hac materia Propositiones 6 & 7, ab Alex. VII damnatæ.

De absolutione complicis.

Stipendium Missæ. 22. Prohibetur, ne quis *Stipendia Missarum* colligat, easque alio in loco pro minore stipendio legendas curet. Missas autem legendas, secundum intentionem dantis stipendium, in loco, ubi datur stipendium, insinuatur.

23. Rursus omnis mercatura & negotiatio circa Missarum stipendia prohibetur.

24. Confirmatur *Militia S. Januarii*, a Carolo, utriusque Siciliæ Rege erecta, & varia eidem militiæ privilegia conceduntur.

Cophti. 25. Cum quam plurimi *Cophti* paucis abhinc annis ad Catholicam fidem essent conversi in Ægypto, destituti tamen Episcopo, illos Papa interim subjicit Athanasio Episcopo Hierosolymitano ritus Cophtici.

Residentia. 26. Conqueritur Papa de negligentia Episcoporum Hiberniæ, in sua Diœcesi non residentium, aliis vero materialiter tantum *residentibus*, sine exercitio curæ Pastoralis. Proponit eis exemplum S. Patritii Hiberniæ Apostoli, S. Malachiæ Armachoni Archiepiscopi, S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, zelum sanctorum, Columbani, Galli, Virgilii, Rumaldi, aliorumque Hibernorum, qui in varias provincias fidem Catholicam invexerunt.

Jejunium. 27. Cum Pontifex statuisset, etiam iis, cum quibus jejuniorum diebus dispensatum esset in comestione carnium, unicam sumendam refectionem, quidam putarunt, id in eum duntaxat casum intelligendum, quo cum tota communitate dispensatur, non autem in eum, quo cum particularibus personis dispensatur. At Pontifex hanc interpretationem rejicit, declaratque, in utroque casu una comestione dispensatos contentos esse oportere.

Delegatio causarum. 28. Querela fuit, commissiones causarum in partibus sæpius delegari personis indoctis & inidoneis. Papa hunc abusum tribuit nimiæ multitudini Protonotariorum non participantium, quibus, cum in Ecclesiastica dignitate sint constituti, causæ judicandæ sæpius committuntur. Statuit itaque, ut causæ Judicibus Synodalibus delegentur, (quales in singulis Diœcesibus quatuor esse debeant, Jurium periti, aut etiam plures in amplis Diœcesibus) horum autem nomina ad Sedem Apost. mittantur, ut causæ ad illos dirigi possint. Hortatur, ut, ubi Concilia Provincialia & Synodalia diu omissa fuerunt, celebrentur, & in iis Judices Synodales pro more veteri eligantur.

Venditio redituum. 29. Quidam Clerici suorum beneficiorum reditus uno actu, accepta pecunia, vendiderunt, quoad viverent, sub nomine utilitatis & commodi cessi. Unde evenit, ut dissipata pecunia egerent, nec Ecclesiæ aut pauperibus succurrere possent. Reprobat Papa hunc abusum, atque id genus pacta & contractus, quomodocunque coloratos,

ratos, improbat, prohibet, & prorsus irritos esse declarat, sive ad totam vitam, sive ad longum tempus, extendantur.

30. Relatum fuit Pontifici, quosdam Clericos resignare suum Beneficium, reservata sibi, cum facultate Sedis Apost. pensione annua, addito tamen pacto, pensionem illam pecunia præsenti redimendi & extinguendi. Hoc pactum reprobat Pontifex, ceu nundinationem Beneficii, Simoniam redolentem, atque sub gravi pœna prohibet. Venditio pensionis.

31. Natio Maronitarum, quæ semper mansit Catholica, nullum Concilium Provinciale celebravit usque ad Josephum Patriarcham Antiochenum, qui petiit Roma sibi mitti *Assemanum*, virum doctum ejusdem nationis: eoque præsente cum 14 Episcopis Maronitis, 2 Syris, 2 Armenis, pluribus Abbatibus Congregationis Montis Libani, Missionariis omnium Ordinum, qui in Syria & Palæstina morantur, Franciscanis videlicet, Capuccinis, Carmelitis, Societatis Jesu, multisque Parochis & Theologis, qui olim in urbe Alumni fuerant Collegii Pontificii Maronitici, celebratum est Concilium anno 1736, in quo lectis Decretis & Canonibus actum de reformanda disciplina Ecclesiastica. Papa autem hanc Synodum confirmavit. 154. Synodus Maronitarum.

32. Papa iterum confirmat Ordinem *Equestrem S. Georgii* in Bavaria, a Carolo Alberto Electore erectum, assumptis sex personis Ecclesiasticis, pro cultu Divino habendo, quarum una sit Episcopus, altera Præpositus, duo Decani, duo Eleemosynarii. Ordo S. Georgii.

33. Queritur Pontifex, *matrimonia* nimium leviter dissolvi. Ad quem abusum tollendum varia statuit, uti, in quavis Diœcesi constituendum Defensorem matrimoniorum virum doctum, qui omnibus Judiciis matrimonialibus sit præsens, &, quantum potest, stet pro valore matrimonii. Si ab Episcopo, ad quem ceu Judicem Ordinarium spectat prima sententia, fuerit pronuntiatum pro utilitate matrimonii, appellabit, nihilque interim innovetur. Si etiam in secunda instantia pro nullitate fuerit pronuntiatum, & sic duæ conformes habeantur sententiæ, neque Defensor censuerit, ulterius appellandum, in arbitrio conjugum est, alias nuptias contrahere, modo nihil novi pro valore detegatur; nam sententiæ de valore vel nullitate matrimonii nunquam transeunt in rem judicatam. Matr. dissolutio.

Et quoniam sæpe Sedi Apost. porriguntur preces pro dispensatione in matrimonio Rato tantum, Pontifex causam Congregationi Concilii aut alteri pro voto consultivo delegabit, eoque lecto & ponderato statuet, quod in Domino videbitur.

34. Est celeberrima Constitutio de *matrimoniis in Hollandia* & Belgio contractis. Urgebant Episcopi Belgii, Iprensis maxime, cum pro officio 155. De matrimoniis in Hol-

landis, aut ur-bibus limitaneis.

officio de statu suæ Diœcesis ad Clementem XII referret, ut certi quid statueretur, an matrimonia Hollandorum inter se, aut cum Catholica persona contracta, Tridentini forma non servata, sint pro validis habenda, nec ne.

Clemens XII Congregationi Cardd. Tridentini Interpretum negotium cognoscendum commisit. Hæc ab Episcopis Belgii relationes petiit, auditis etiam doctissimis Almæ urbis Theologis, quorum responsa & dissertationes, quamvis non omnino inter se conformes, typis sunt editæ.

Benedictus XIV Congregatione Cardinalium coram se instituta, atque negotii gravitate probe expensa, declaravit, statuitque 1, licet Congregatio Concilii alias in casibus quibusdam particularibus, & attentis tunc propositis circumstantiis pro invaliditate matrimonii responderit, nihil tamen adhuc generatim a Sede Apostolica sit definitum, omnibus rationum momentis hinc inde sedulo libratis, matrimonia in Fœderatis Belgii provinciis, *inter hæreticos* usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma, a Tridentino præscripta, non sit observata, dummodo aliud non obstet Canonicum impedimentum, *pro validis habenda esse*: adeoque, si contingat, utrumque conjugem converti, eodem, quo antea, matrimonii vinculo eos teneri, licet consensus coram Catholico Parocho non renovetur: &, si unus tantum ex conjugibus convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transi e.

2. Si vero in iisdem fœderati Belgii provinciis, contrahatur a Catholicis cum hæreticis, absque forma Tridentini, Pontifex talia matrimonia graviter quidem illicita, valida tamen pariter esse declarat, modo nullum aliud impedimentum matrimonii concurrat. Conjux tamen Catholicus obligatur, quantum potest, conversionem conjugis procurare.

3. Idem declarat sua sanctitas de matrimoniis, extra fines Belgii fœderati in urbibus limitaneis, *di Barriera* dictis, in quibus Hollandi sua habent præsidia, contractis, sive inter solos hæreticos, sive inter Catholicos & hæreticos; nam & hæc habenda esse pro validis, licet Tridentini forma non sit servata; dummodo uterque conjux ad easdem copias seu legiones pertineat. Eadem declaratio ad urbem *Trajectum* extenditur, quamvis non jure dominii sed pignoris, ut ajunt, possessam a Batavis.

4. Circa conjugia, quæ contrahuntur in regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Batavia domicilium habent, vel in Ba-

tavia

tavia ab iis, qui in Catholicis regionibus domicilium habent, nihil de novo decernit Pontifex, volens, ut de iis, juxta Canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a S. Congreg. Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur.

35. Improbantur occulta matrimonia, contracta quidem coram Parocho, aut alio Sacerdote, ab eo deputato, & duobus testibus, sine *prævii denuntiationibus*, in quibus sine gravi causa non vult dispensari. Exhibentur varia incommoda, quæ ex talibus occultis matrimoniis oriuntur. Petit, *ut diligens fiat inquisitio, an contracturi sui sint, an vero alieni juris? an filiifamilias, quorum nuptiæ patri juste dissentienti sint invisæ? ab Episcopali etenim munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem.* Et paulo ante ait, ex matrimoniis, contra patris juste dissentientis voluntatem secreto contractis, gravia exoriri incommoda. Denunciationes.

36. Cum quidam Pontifices Canonizationes sanctorum in Basilica Lateranensi peregissent, Benedictus XIV statuit, ut eæ deinceps more veteri in Basilica Vaticana S. Petri celebrarentur.

37. Modus celebrandi exequias pro defunctis S. R. E. Cardinalibus præscribitur.

38. Prohibet Papa, ne Indi in *Brasilia*, Paraquaria, & ad flumen de la Plata dure tractentur, aut in servitutem abstrahantur. Laudat pietatem Joannis V Lusitaniæ Regis, qui sibi esset pollicitus, se Officialibus & Ministris suis mandaturum Christianæ charitatis mansuetudinem. Indi.

39. *Clausuram* omnibus viris Religiosis præcipit, sublata dispensandi facultate. Non tamen vult derogatum iis concessionibus, quæ ad favorem nobilium fœminarum, quæ sunt de familia fundatorum aut insignium Benefactorum Monasterii, modo de ejusmodi concessione, legitime Romæ facta, Ordinariis locorum Antistitibus fides & tantummodo ad sacra ingressus fiat. Clausura.

40. Tractat de Clausura Monialium, adempta facultate dispensandi. Excipiuntur tamen locorum Ordinarii, & Superiores, quorum Jurisdictioni subjecta sunt Monasteria, in casibus tamen necessariis.

Articulus II.

Anno 1742.

41. Dat facultatem Militiæ S. Joannis Hierosolymitani celebrandi *Missam in triremibus*, quando stant in anchoris, & tempestas est tran-

tranquilla, assistente tamen Presbytero vel Diacono, ut nullum sit periculum effundendi Divinum sanguinem.

Catechesis. 42. Complectitur Epistolam paræneticam, sancto zelo plenam, ad Episcopos, ut diligenti *Catechesi* curent rudem pueritiam instrui in iis, quæ sunt scitu necessaria necessitate *medii*, & etiam *præcepti*. Ostendit necessitatem utilitatemque *doctrinæ Christianæ*, qua sint rigandæ tenellæ plantæ, ut in dignos operum fructus adolescant. Parochorum vigilantiam curamque animat, ut juventutem fidei morumque legibus a teneris diligenter imbuant, magnam officii sui Pastoralis & gravis obligationis, partem in eo verti ostendens. Requirit etiam adjutricem operam Presbyterorum, qui nullum habent Beneficium curatum, ludimagistrorum, parentum, piarum Sodalitatum, aliorumque.

43. Prohibetur, ne *Patriarcha Antiochenus* pecuniam exigat pro sacris Oleis. Præbeant autem eidem Episcopi subsidium charitativum, pro congrua sustentatione. Habitat Patriarcha Antiochenus, cui subjecti sunt omnes *Episcopi Maronitarum*, in Monte Libano, Maronitarum etiam quandoque Patriarcha appellatus, in Monasterio Canubinensi.

Episcopi Maronitarum. Sub eo, tempore Concilii Maronitarum, de quo supra, erant Archiepiscopi & Episcopi, 1. Tyri. 2. Damasci. 3. Cypri. 4. Aleppi. 5. Beryti. 6. Tripolis. 7. Botri. 8. Aco, seu Ptholemaidis. 9. Laodiceæ. 10. Apameæ. 11. Arcæ. 12. Eden. 13. Sareptæ. 14. Paneadis. 15. Listræ. 16. Neapolis. Sed in Synodo Montis Libani prædicta ordinatum est, ut Diœceses Maronitarum ad octo reducerentur, salva Patriarchæ potestate Episcopos nonnullos Titulares consecrandi. Benedictus XIV hæc confirmat, sed ita, ut reductos Episcopos ad tempus vitæ in possessione sedis suæ relinquat.

44. Abolentur tribunalia quædam particularia.

45. *Dispensationum* Matrimonialium causas veraciter exponendas ab oratoribus, & litterarum Apost. expeditoribus, atque ab executoribus examinandas decernit.

46. Corpus *Camilli de Lellis* in decentiorem locum transferendum.

47. Executiones citationum, mandatorum, aliarumque provisionum Romanæ curiæ non impediendas.

48. Tractatur de appellationibus & inhibitionibus concedendis vel negandis.

Licentia Confessionis Capucinis data. 49. Revocatur peculiare statutum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci *Capucinorum*, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent. Conceditur itaque

que illis facultas confitendi extraneo Confeſſario cuicunque approbato, deficiente Confeſſario approbato proprii Ordinis.

50. Beatificatio *Camilli de Lellis*, fundatoris Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis.

51. *Eliſabetha* Luſitaniæ Regina jam ab Urbano VIII fuit canonizata, ſed abſque ſcriptis litteris, quas hic Benedictus XIV ſupplet, ejusque vitam deſcribit.

52. Concedit facultatem in triremibus Pontificiis Miſſam celebrandi, prout ſupra triremibus Melitenſibus.

53. 54. Mittit *Miſſionarios Capuccinos* ad regnum Batgaum & Bittia in magno Thibet, ad petitionem Regis.

55. Declarat Epiſcopo Valentiæ ſuam mentem ſuper jejunio, ut videlicet Epiſcopi non diſpenſent, niſi imperata unicæ comeſtionis norma. Jejunium.

56. *Spicarum collectio* pauperibus poſt meſſem permittenda.

57. Factum eſt jam dudum, ut graſſantibus per totum Orientem, tum Barbarorum Infidelium immanitate, tum etiam ſchiſmaticorum perfidia, plurimi ex Græcia, Epiro, Albania, aliisque Aſiæ regionibus ad Italiam, eique adjacentes Inſulas, tanquam ad fidei & tranquillitatis portum confugientes, ibidem domicilium collocaverint, qui Græco ritu utuntur & *Græco-Itali* appellantur. His Papa confirmat ſuos ritus, & privilegia. Græco Latini.

156. Declarat autem, quod, tametſi in Symbolo non teneantur addere *Filioque*, teneantur tamen credere, Spiritum S. a Patre Filioque tanquam uno principio procedere: tam in azymo quam fermentato Corpus Chriſti veraciter confici. Dari Purgatorium: prodeſſe animabus in eo detentis vivorum ſuffragia. Plene purgatas in cœlum mox recipi. Illorum animas, qui in peccato mortali actuali, aut originali decedunt, mox in infernum deſcendere. Romanum Pontificem in totum orbem tenere Primatum, S. Petri Apoſtolorum Principis eſſe ſucceſſorem, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput &c. Græcis credenda,

Declarat præterea, formam Bapiſmi Græcorum: *Baptizetur Servus Dei N. in nomine Patris &c.* noſtræ Latinæ æquivalere. Euchariſtiam infantibus, dum baptizantur, neque ab hominibus Græci ritus eſſe conferendam: liberos patris ritum ſequi oportere, ſi ſit Latinus: ſi Græcus, in arbitrio ejus poſitum eſſe: ad ejus autem Parochiam pertinere, cujus ritu baptizatus eſt. Nec ritum deinceps mutari poſſe ſine diſpenſatione Sedis Apoſt. Nec licere Latino Sacerdoti ritu Græco celebrare Divina Officia, nec Græco ritu Latino. Et facienda.

Ritus. Permittitur Græcis *sub utraque specie* communicare, ubi hic mos introductus est, modo credant, Christum sub una etiam specie integrum contineri. Nemo ex Græcis ad sacros ordines promoveatur, nisi vel Romæ, vel Panormi, vel in Calabria in Seminario fuerit litteris imbutus.

Clerici conjugati. Græci Episcopi, quorum alter est Romæ, alter in Calabria, in conferendis sacris Ordinibus ritum Græcum, in *Euchologio* eorum præscriptum servent. Permittitur Græcis in Calabria & Sicilia, ut *uxores* post sacros Ordines retineant, modo eas antea virgines duxerint. Matrimonium vero, post susceptos sacros Ordines contractum, irritum declaratur, & ita contrahentes excommunicantur. Græcus Presbyter, conjugatus, antequam ad Missam celebrandam accedat, per hebdomadem vel saltem per triduum ab uxore curet abstinere.

Multa alia in hac Constitutione uti erudite recenset, ita sapientissime disponit Pontifex, quæ lectu omnino sunt dignissima. Addit autem, se per hæc, quæ de Latino-Græcis, Romæ, in Calabria, Sicilia, Corsica, aut aliis Italiæ locis ordinavit, iis, quæ Orientalibus Græcis a Sede Apost. sunt concessa aut permissa, nullum præjudicium allaturum.

58. Approbatur publicus cultus, ab immemoriali tempore exhibitus Beatæ *Joannæ Valesiæ*, olim Reginæ Franciæ, fundatrici Ordinis Annuntiationis B. V. M.

Articulus III.

De Ritibus Senensibus.

157. 59. Tractat prolixe de *Ritibus Sinensibus*, aitque, in amplissimo illo regno Christianam fidem ingentes fecisse progressus, longe etiam majores facturam, nisi coorta inter *Missionarios dissidia* cursum intercidissent. Occasionem istis dedisse ceremonias quasdam & ritus, quibus Sinenses, ad *Confucium* Philosophum, & *Majores suos* honorandos uti consueverunt: cum nonnulli contenderent, eos esse mere civiles, adeoque permittendos iis, qui, relicto idolorum cultu, Christianam religionem amplectebantur; contra vero aliis eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi Religionis injuria permitti nullo modo posse asserentibus: atque hanc controversiam multis annis Sedis Apost. curam ad se traxisse.

Primo

Primo itaque causam istam ad tribunal S. Sedis delatam ab iis, qui ritus sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Anno 1645 a Congregatione de Propaganda Fide approbatas eorum Theologorum responsiones; qui ritus superstitione infectos judicarunt. Proinde Innocentium X ad præfatæ Congregationis preces sub excommunicationis pœna mandasse, ut omnes Missionarii decisiones prædictas observent. Historia de Ritibus.

Verum paulo post ab aliis Missionariis alia dubia de iis ritibus Congregationi de Propaganda fuisse proposita, ex quibus nullam superstitionem habere videbatur. Negotium itaque ab Alex. VII Congregationi S. Inquisitionis fuisse commissum, quæ pro diversa relatione facti alios mere civiles, & politicos esse permittendos, alios vero minime tolerari posse judicarit: Idemque ab Alex. VII anno 1656 probatum fuisse & approbatum.

Cum tertio ad S. Sedem controversia fuisset deducta, respondit Congregatio S. Inquisitionis, utrumque Decretum, tam Innocentii X de anno 1645, quam Alexandri VII de anno 1656 esse observandum, cum non sint contraria, eo quod responsum sit secundum diversas relationes & expositiones rituum Sinensium. Hoc Decretum anno 1669 Clemens XI comprobavit.

Non cessavit contentio, sed aucta est, non sine gravi scandalo & perturbatione Missionis. Quare Innocentius XII exactam controversiæ discussionem S. Inquisitionis Congregationi demandavit. Examen hoc Innocentii XII mors intercepit: Clemens XI autem successor illud coram se institui voluit, & responsiones S. Congregationis, quibus Ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, Apostolica auctoritate anno 1704 comprobavit, atque mandavit, responsiones præfatas ad Carolum Thomam de *Tournon*, Antiochiæ Patriarcham, Commissarium, & in Sinarum regno Visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earundem observantiam omnibus & singulis Missionariis sub pœnis Canonicis præciperet. Tournon.

Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam; cum autem illam tentassent eludere, qui ritus tanquam politicos ac mere civiles propugnaverant, Clemens XI Decreto, quod per S. Congregationem emanavit, anno 1710 omnimodam observantiam præcepit. *Subjicitur hic tenor Decreti.*

Cum autem nec Decretum hujusmodi ad subjiciendos difficiles animos valeret, Clemens XI anno 1715 Constitutionem edidit, qua solenniter iterum confirmavit antedictas S. Inquisitionis responsiones, easque exacte observari voluit. Earum autem hæc est epitome.

Rituum descriptio.

Cum Deus apud Sinas Europæis vocabulis exprimi nequeat, vocem *Tien Chu*, hoc est, *Cœli Dominus*, quæ a Missionariis Sinensibus & populo longo & probato usu recepta est, admittendam: nomina vero *Tien* cælum, & *Xang Ti* supremus Imperator, penitus rejicienda. Hinc tabellas cum inscriptione *King Tien* cœlum colito in Ecclesiis non tolerandas.

Quinam rejiciendi,

Adhæc nullatenus Fidelibus permittendum, quod præsint, ministrent, aut intersint solennibus sacrificiis, seu oblationibus, quæ a Sinensibus in utroque æquinoctio cujuscunque anni Confucio, & progenitoribus defunctis fieri solent, tanquam superstitione imbutis; neque, quod in ædibus Confucii, quæ *Miao* appellantur, peragant ceremonias, quæ in honorem ejusdem Confucii singulis mensibus in novilunio & plenilunio a Mandarinis seu primariis Magistratibus, aliisque officialibus & litteratis fiunt.

Præterea non esse permittendum Christianis, in ædibus, progenitoribus dicatis, oblationes eisdem facere, nec in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alias ceremonias peragere.

Item, nec esse permittendum, oblationes fieri & ritus hujusmodi coram progenitorum tabellis, in privatis domibus, sive in eorum sepulchris, aut illis interesse. Eo quod hæc ita peragantur, ut a superstitione separari nequeant: adeoque hæc non permittenda Christianis, licet protestentur, se non religioso, sed civili ac politico tantum cultu erga defunctos illa præstare, nec ab eis quidquam petere aut sperare.

Permittendi.

Per hæc tamen non censendam esse damnatam præsentiam mere materialem, quam cum gentilibus superstiosa peragentibus, citra ullam sive expressam sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio prorsus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque præstant; cum aliter odia & inimicitiæ vitari non possunt, facta tamen prius, si commode fieri possit, fidei professione, ac cessante periculo subversionis.

Tolerari etiam posse tabellas progenitorum, solo defuncti nomine inscriptas, omissis, quæ superstitionem redolent, & secluso scandalo, adjectaque a latere Christiana declaratione de pietate in defunctos consanguineos. Non autem permittendas tabellas cum inscriptione, qua thronus seu sedes spiritus vel animæ N. significetur. Neque per præmissa vetari alia, peragi consueta, quæ vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem præseferant, sed intra limites civilium & politicorum rituum contineantur. Quænam autem hæc sint, Commissarii, Visitatoris, Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum judicio

cio relinquendum esse; quibus curandum, ut gentium ceremoniis penitus sublatis, recipiantur ritus, quos Catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit.

Haec Tournonio Visitatori, in Sinas misso, demandata sunt, non obstante quacunque appellatione ad Sedem Apost. Cum autem non omnes, quam decuit, huic decreto obedientiam praestarent, sed variis interpretationibus illud eludere conarentur, Clemens XI omnibus Archiepiscopis & Episcopis sub suspensione a Pontificalibus, & ingressu in Ecclesiam interdicto, eorum vero officialibus, & Vicariis Generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, Vicariis etiam Apostolicis, qui Episcopi non sunt, nec non Missionariis, tam secularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis etiam Jesu Regularibus, sub poena excommunicationis reservatae latae sententiae, & in virtute S. Obedientiae mandat, ut responsa praeinserta integre & absolute observent, & ab iis, quorum curam gerunt, observari faciant. Poena in transgressores.

Mandat insuper omnibus supra dictis, ut juramento promittant observantiam & executionem, ad Sedem Apost. transmittendo, sub poena suspensionis &c. *Data sunt hae litterae Romae anno 1715.*

Per Constitutionem Apostolicam adeo solennem, ait Benedictus XIV, putabat Clemens XI se finem controversiae imposuisse, nihilominus inobedientes & captiosi homines Constitutionis observantiam se effugere posse putabant ex permissionibus quibusdam, quas *Mediobarbus* Patriarcha Alexandrinus publicavit, cum Commissarium & Visitatorem Apostolicum Generalem & Legatum a Latere in iis partibus ageret.

Mediobarbus autem (*Mezzabarba*) Macao dedit litteras Pastorales ad omnes Episcopos, Vicarios Apostolicos, & Missionarios in Sinis & adjacentibus provinciis, zelo Apostolico & charitate plenas. Mezzabarbae permissiones.

In his 1. permittit tabellas defunctorum, in privatis aedibus inscripto solo nomine, adscripta in latere declaratione debita, & omissa quacunque superstitione, & secluso omni scandalo.

2. Permittuntur omnes ceremoniae si sint mere civiles.

3. Permittitur cultus Confucii mere civilis, uti etiam ad ejus tabellam correctam accendi candelas, odores, apponi comestibilia, adjuncta in schedula debita declaratione: uti etiam pro expensis funerum.

4. Permittuntur reverentiae genuflexionum, & prostrationum erga tabellam correctam, aut etiam erga feretrum & defunctum.

5. Praeparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis usualibus circa aut coram feretro, ubi sit tabella correcta, cum debi-

 ta

ta declaratione, & omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantum, & pietate erga defunctos.

6. Permittitur coram tabella correcta reverentia, dicta *Ko Teu.*

7. Permittitur coram tabellis correctis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, uti etiam ad tumulum, ut supra dictum.

Vetat autem, has litteras ab iis, ad quos directæ sunt, publicari, aut in linguam Sinicam vel Tartaram verti, & permissionibus istis caute utendum præcipit.

Episcopi Pekinensis litteræ damnantur,

At, permissiones istas contra expressam adeo Patriarchæ voluntatem non modo evulgatas esse, ait Benedictus XIV, sed *Episcopum* etiam *Pekinensem* per binas suas pastorales mandasse sub pœna suspensionis universis Diœcesis suæ Missionariis, ut observarent, & observari præciperent Patriarchæ Mediobarbi Constitutionem juxta permissiones.

Clementem XII vero anno 1735 binas illas litteras Episcopi Pekinensis damnasse ac penitus reprobasse, reservata sibi facultate declarandi mentem suam & S. Sedis sententiam. *Tenorem BREVIS Clementini Bened. XIV pariter Constitutioni suæ inserit.*

Ex iis epistolis graves, inquit Clemens, in Sinis Missionarios inter ortas fuisse dissensiones, atque eas irritas omnino declarat. Hanc autem damnationem Epistolarum suarum pastoralium Franciscus Episcopus Pekinensis non vidit, quia jam biennio ante fuerat mortuus.

Et Permissiones Mezzabarbæ.

Clementem XII porro Permissiones Mediobarbi examini Congr. S. Inquisitionis subjecisse, addit Bened. XIV, convocatis etiam, quotquot in urbe aderant, Missionariis Sinicis, & auditis etiam juvenibus, qui ex illis regionibus educationis causa venerant, Permissiones illas cassas & irritas declarasse, earumque praxin damnasse.

Prout etiam Bened. XIV eas damnat graviterque omnibus Archiepiscopis & Episcopis in Sinarum Imperio, aliisque regnis & provinciis, sive finitimis sive adjacentibus, prout etiam eorum officialibus, Vicariis, aut Delegatis Apostolicis, & insuper omnibus Missionariis tam sæcularibus quam Regularibus cujuscunque Ordinis prohibet, atque superioribus præcipit, ut contumaces in Europam revocent, pro delicti gravitate puniendos.

Addit denique novam Juramenti formulam, ab omnibus Missionariis Sinicis nuncupandam.

Datum Romæ anno 1742.

Articulus

Articulus IV.

Reliquæ Constitutiones

Anni 1742.

60. Prohibentur inverecunda *spectacula*, a prope nudis pueris & juvenibus diebus festis frequentari solita.

61. *Meinhartus* Pseudo-Archiepiscopus Ultrajectensis Hieronymum Causa Har-
de Bock Episcopum Harlemensem renuntiavit, postliminio quasi reducto lemensis.
eo Episcopatu. Papa hæc acta damnat & irrita declarat, omnibus Episcopis prohibet, ne eum consecrent Episcopum.

62. Pro quibusdam locis in Hispania indulgetur facultas laboris Festa.
servilis diebus quibusdam festis secundariis, ex pietate assumptis, salvis festis primariis Christi Domini, B. V. M. Apostolorum &c.

63. Episcopo Auxerensi confertur potestas ordinandi Clericos, Ritus Græco-Rutheni, a Serviano schismate ad Ecclesiam redeuntes.

64. Sacerdotes, Missam celebrantes, non tenentur in omni loco & tempore sacram synaxin distribuere.

65. Agitur de concedendis locationibus Cameræ Apostolicæ.

66. Epistola, ad *Kioviæ Archiepiscopum* totius Russiæ Metropoli- Unio Mo-
tam, aliosque Ruthenos Episcopos data, suadet Pontifex, ut unio- nach. S. Ba-
nem *Monachorum S. Basilii* sub uno Archimandrita promoveant, prout silii.
decretum ab ipsis esset in Zamosciensi synodo.

67. Episcopo electo de *Nankim* in Sinis præscribitur, ut ante consecrationem juramentum emittat & Romam mittat de observandis Constitutionibus Clementis XI & Benedicti XIV circa ritus Sinicos.

68. Statuitur, ut ad curam animarum *digniores* assumantur, præ- 158.
vio concursu, si sit collativum. Statuerat quidem Pius V, ut iis, qui De concur-
digniores se putabant, rejectique sunt, appellatio sit licita, quæ ta- su.
men devolutivum duntaxat effectum sortiretur. Sed hæc dispositio sæpius in abusum abiit, dum provisi variis litibus gravarentur, non sine dispendio etiam auctoritatis collatorum. Unde ut his incommodis afferretur remedium, Prosper Lambertinus, tunc temporis Papæ Secretarius consilium dedit,

Ut 1. Assignentur omnibus concurrentibus eædem quæstiones in examine, iidem casus, iidemque textus Evangelii, ut probetur dicendi pro concione facultas.

2. Ut casus & quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, uti etiam textus pro concione.

3. Ut

Quo modo instituendus. 3. Ut certum idemque omnibus temporis ſpatium præfigatur, intra quod caſus & quæſtiones reſolvant, & conciunculam componant.

4. Ut omnes concurrentes eodem Conclavi concludantur, unde nemo eorum egredi, neque alius eo ingredi poſſit, niſi poſtquam ſcripta exhibuerint.

5. Ut quisque propria manu reſponſa & ſermonem ſcribat, ſubſcribatque.

6. Ut reſponſa quidem latine, ſermo vero lingua vulgari ſcribantur.

7. Ut hæc ſcripta ab Examinatoribus & Ordinario vel ejus Vicario comparentur, eique conferatur Parochia, qui magis dignus judicabitur, remota appellatione, niſi intra decem dies a collatione interponatur. Si autem hoc intra ſpatium appelletur, mittantur acta examinis clauſa, vel certe authenticum exemplum ad Judicem appellationis. Si autem appellans gravamen probare non poſſit, ad novum examen non admittatur.

Si autem Ordinarius quispiam hoc modo examen non inſtituat, perget S. Congregatio Concilii more priſtino, absque prævia probatione Gravaminis, provocationi ad novum examen deferre.

Hæc puncta non modo Congregatio tunc approbavit, ſed etiam Lambertinus, poſtquam factus eſt Pontifex: addiditque. 1. Mortuo Parocho mox Vicarium deputandum cum portione congrua fructuum. 2. Publicandum tempus concurſus. 3. Examinandam non tantum doctrinam, ſed etiam vitam, mores, aliaque, quæ ſingulos commendant. 4. Expenſis omnium qualitatibus, inhabiles rejiciantur, idonei vero Epiſcopo renuntientur. 5. Qui ex iſtis digniorem eligat, & non obſtante appellatione in poſſeſſionem ducat. 6. Appellans acta concurſus coram Judice appellationis integra producat, & ex illis ſolis cognoſcatur cauſa & decidatur. 7. Si Epiſcopus aliquem aptiorem judicaverit ob aliquam ſibi ſoli notam cauſam, Judicem ad quem ſub ſecreti fide certiorem reddat. 8. Duæ conformes ſententiæ cauſam totam finiant.

Si collatio Sedi Apoſt. eſt reſervata, Epiſcopus nihilominus concurſum inſtituat, eoque abſoluto, ſi Beneficia tantum ratione menſium Papalium ſint reſervata, Epiſcopus inter approbatos eligat magis idoneum, & Datariæ ſignificet. Si vero Beneficia curata ſint reſervata ex alio capite, Epiſcopus a ferendo dignioris judicio abſtineat, & acta concurſus ultro Datariæ exhibeat. Licebit tamen Datarium informare de digniore ſecretis litteris.

69. Vota

69. *Vota simplicia*, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, emitti solita *a Congregatione Missionis*, a S. Vincentio de Paulo fundata, a solo Pontifice, & Generali Congregationis in ipso actu dimissionis dissolvi possunt. Vota.

70. Pontifex damnat consecrationem Hieronymi *de Bock* in Pseudo-Episcopum Harlemensem, factam a Meindarto schismatis Hollandici capite.

71. Propositum fuit dubium, an rei convicti per indicia indubitata, quamvis non confessi, afficiendi sint pœna ordinaria? Responsum fuit affirmative.

Articulus V.

Anno 1743.

72. Commemorat privilegia, Almæ Domui *Lauretanæ* concessa, a Clem. VII Castrum Lauretanum eidem subjectum: a Sixto V hoc Castrum in Civitatem, & Collegiatam Ecclesiam S. Domus in Cathedralem erectam. A Paulo V S. Domum a Jurisdictione Episcopi exemptam & nullius esse Diœcesis declaratam. Ab Innoc. XII immediate Sedi Apost. subjectam, Protectoris Officio suppresso, & erecta Congregatione Cardinalium Lauretana, quæ controversias decidat. Hujus Resolutiones, & privilegia, S. Domui concessa, Bened. XIV confirmat. Domus Lauret.

73. Præstationes Magistris Ceremoniarum aliisque, post obitum Cardinalis persolvi solitæ, deinceps a singulis Cardinalibus in sua ad Cardinalatum promotione solvantur, in supplementum tenuis mercedis.

74. Ecclesiæ Papiensi unitur Archiepiscopatus Amasiensis in partibus.

75. *Concionatoris* in Palatio Apostolico munus Ordini PP. Capucinorum in perpetuum addicitur.

76. Litem annosam inter Episcopum Conversanum & Equites Melitenses in causa jurisdictionali decidit in favorem illius: additque, 40 annis *non præscribi Jurisdictionem* ordinariam a Prælato inferiore in alterius Diœcesi, etiam cum titulo colorato, sed requiri consuetudinem & præscriptionem immemorialem.

77. Maronitæ duos in discordia Patriarchas elegerunt. Papa utramque electionem irritam declarat, & provisionem sibi reservat.

78. Jure igitur devolutionis Patriarcham Antiochenum renuntiat Archiepiscopum Damascenum Simonem Evodium: cui professio fidei & formula juramenti præscribitur.

79. Ad Maronitas ablegatur Commissarius ex Ord. S. Francisci, Conventus S. Sepulchri, pro executione mandatorum Apostolicorum.

80. Hæc commissio, & electio Patriarchæ Maronitis denuntiatur.

81. Dignitas Protopapæ Messanensis, ejusque libera electio, cum observantia ritus Græco-Latini asseritur.

82. Preces publicas indicere ad potestatem Ecclesiasticam, non vero sæcularem pertinere. Orandum autem pro Principibus.

83. De Festo SS. Apost. Petri & Pauli solenniter Romæ celebrando per octavam.

85. Annullantur pacta, inter conjuges inita, de non appellando a sententia, pro matrimonii nullitate lata.

87. De Ritibus Græcorum Melchitarum.

88. Confirmantur Constitutiones Pontificum de Asylo; videlicet, præmeditatum homicidium illo non gaudere &c.

89. Decreta de reparanda disciplina in Servia & Albania, & vitandis ritibus Mahometanis.

Articulus VI.

Anno 1744.

90. Relatum fuerat Pontifici, agitari consilia de Sæcularizatione aut diminutione quorundam Episcopatuum in Germania, ut iis augeantur sæculares Principes. Quare datis ad Cardinalem Lambergium litteris id graviter improbat, & nullatenus tolerandum asserit: admonetque Antistites, ut a luxu & pompa sæculari abstineant, ne inde prætextus a sæcularibus aut laxis consiliariis quæratur.

Sæcularizatio.

92. Cyrillo, Græcorum Melchitarum Patriarchæ Antiocheno Catholico, mittit Pallium.

159. Facultates Majoris Pœnitentiarii.

95. *Majori Pœnitentiario* dat facultatem absolvendi omnes fideles ab omnibus peccatis, & Regulares a censuris pro utroque foro, Clericos vero sæculares & laicos in foro conscientiæ, sic tamen, ut parti læsæ satisfiat, (non tamen ab hæresi aperta & publica, aliisque casibus Bullæ Cœnæ &c.) dispensandi in Irregularitatibus occultis pro foro interno: relaxandi juramenta pro foro interno, & vota simplicia, etiam reservata, commutandi: permittendi transitum ad alium Ordinem, in quo vigeat disciplina: dispensandi in impedimentis matrimonii

trimonii impedientibus; in tertio item & quarto gradu consanguinitatis occultis: super impedimento affinitatis etiam in primo gradu ortæ ex copula illicita: in impedimento criminis occulto.

Potest etiam Pœnitentiariis minoribus trium Basilicarum in urbe & aliis a se deputandis facultates istas concedere. Commissiones factæ non exspirant mortuo Pœnitentiario: neque vacante Sede Apost. quoad forum conscientiæ &c.

96. Pœnitentiarium Majorem ex Cardinalibus constituit Papa: ejus est, certis diebus in templis confessiones audire, & pie se submittentium capita virga pœnitentiali tangere, indulgentias impertiendo: die cinerum capiti Pontificis & Cardinalium cineres inspergere: in Parasceve rem Divinam in Capella Pontificia peragere &c. Pœnitentiarios minores constituere, examinatos & approbatos, eisque facultates majores vel minores concedere; qui dein sine ejus venia mutari non possunt. Emolumentum autem in singulos menses habeat 100 Scuta, & annuatim 200 pro eleemosynis. Ejus Officium.

Officiales eidem assistant, Regens, Theologus, Doctor Decretorum, Datarius (qui datum diei, mensis, loci, æræ Christianæ & Pontificatus subscribit) Corrector litterarum, Sigillator, Procuratores seu Secretarii, Scriptores. Qui munus suum gratis & secreto potissimum, quæ laus est maxime propria hujus officii, obire debent, sed salario fixo vivunt, neque possunt quid sponte oblatum acceptare, prout juramento promittunt. Suntque officia ista per se perpetua. Multa alia de his sacræ Pœnitentiariæ officiis addit Pontifex. Officiales.

97. De iis, qui Presbyteratus Ordine non suscepto Missam celebrant, aut Confessiones audiunt, jubentur tradi curiæ sæculari: degracati tamen prius, si aliquos Ordines Ecclesiasticos susceperint.

98. Confirmatur *Unio* omnium Monasteriorum *S. Basilii* per Russiam, Lithuaniam, & Poloniam, Sedi Apost. adhærentium, in unicam Congregationem, duabus provinciis constantem, cum pluribus Decretis ad eorum regimen pertinentibus.

99. Anno 1741 Bened. XIV geminas Constitutiones de *Jejunio* ediderat, quibus declaravit, dispensatos circa esum carnium, unica refectione absque mixtura ciborum licitorum & prohibitorum debere esse contentos. Dubia autem aliqua circa istam declarationem in Hispania orta sunt, quæ Archiepiscopus Compostellanus ad Papam retulit.

1. Quæritur, *utrum ea, quæ in prædicta declaratione de unica comestione, & de epulis non permiscendis, præscribuntur, sub gravi etiam præcepto probibeantur*? Respondet Papa, concedentes facultatem vescendi carni- 160. Dubia de Jejunio resolvuntur.

 bus

bus tempore vetito, ſub gravi teneri, eandem non aliter dare, quam geminis his adjectis conditionibus, videlicet unicæ in die comestionis, & non permiſcendarum epularum. Eos vero, qui facultatibus hujusmodi utuntur, ſub gravi ad binas iſtas conditiones implendas obligari.

2. *An ii, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula, ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur?* Reſp. non licere, ſed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.

3. *An, qui jejunii tempore veſci carnibus permittuntur, & unica comeſtione uti debent, horam jejunantibus præſcriptam ſervare opus habeant?* Reſp. affirmative.

4. *Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?* Reſp. epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas. Epulas interdictas eſſe piſces. Adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſces tamen non interdici iis, cum quibus tantum in ovis & lacticiniis eſt diſpenſatum.

5. *An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo dies quoque Dominicos in quadrageſima complectatur?* Reſp. affirmative.

6. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt ova & lacticinia?* Reſp. iis ſtricte obſervandas leges Bullæ.

7. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra quadrageſimam?* Reſp. affirmative.

Addit Papa, ſe eas de jejunio litteras edidiſſe ob nimiam Theologorum quorundam opinandi licentiam.

100. Qui licentiam habent eligendi Confeſſarium, confiteri non
Approbatio. poſſunt, niſi approbato ab Ordinario loci, in quo Confeſſiones fiunt. Datam tamen approbationem non exſpirare, donec expreſſe fuerit revocata. Addit, irritas eſſe abſolutiones, datas ab eo, qui ab Ordinario loci non eſt approbatus.

101. Maronitarum Patriarchæ Antiocheno, a ſe electo, ſchiſmate extincto, mittit Pallium.

102. Maronitarum Epiſcopos, ob duplicem Patriarchæ electionem antea diſſentientes, laudat, quod, præſtita mandatis Apoſtolicis obedientia, ad unitatem redierint.

161. 103. Præcipit, ut omnes Beneficiati curati, omnesque curam
Applicanda animarum exercentes, diebus Dominicis & Feſtis de præcepto ſacri-
Miſſa pro populo. ficium *Miſſæ* applicent pro populo, non autem pro ſtipendio. Parochis pauperibus poteſt Epiſcopus diſpenſando indulgere, ut diebus feſtis eleemoſynam pro Miſſa accipiant, ſed ita, ut aliis diebus intra hebdo-

hebdomadem toties pro populo illamapplicent. Vicariis tanta portio est assignanda, ut huic præcepto applicandi pro populo possint satisfacere. Et hæc quidem de Missa Parochiali.

In Cathedralibus vero & Collegiatis Ecclesiis Missa Conventualis, quæ celebranda est quotidie, semper pro Benefactoribus in genere est applicanda Neque in contrarium valere potest ulla consuetudo, etiam immemorialis, quæ corruptela potius est censenda.

Horas etiam Canonicas ab omnibus Canonicis devote esse recitandas declarat, nec satisfieri obligationi per materialem præsentiam.

107. Tractat postea de *Ritibus Malabaricis* in regnis *Madurensi*, Maysurensi, & Carnatensi, memoratque Decretum *Tournonii*, Indiarum & Sinarum Visitatoris, quo præcipiuntur in Baptismo adhiberi etiam Sacramentalia, signanter saliva, sal, insufflatio: imponi nomen alicujus sancti: baptismus non differri nimium. Matrimonia ante pubertatem ne contrahantur; nec appendatur nuptis tabella, olens superstitionem, nec aliud genus ceremoniæ suspectæ exerceatur. Nec mulieribus, menstruo morbo laborantibus, nec vilibus personis Sacramenta negentur &c. &c. 162. Ritus Malabarici.

Hoc Tournonii Decretum approbavit Clemens XI sub clausula: donec aliter a Sede Apost. provisum fuerit. Cum autem falsus rumor sparsisset, nonnulla puncta Decreti Tournoniani fuisse revocata, Clemens data ad Episcopum Meliaporensem epistola id negavit. Discussa dein dicta rituum causa apud Sedem Apost. auditis pro utraque parte Missionariis. Quam in rem Innoc. XIII specialem Congreg. deputavit, Bened. XIII eandem hoc super negotio continuari voluit, absolutoque examine, auditisque suffragiis, Tournonii Decretum, quod *Pondicberii* ediderat, approbavit & confirmavit, datis ad Episcopos & Missionarios Indiarum litteris. Historia.

Cum autem isti negarent, sibi quidquam legitime de hac confirmatione Benedicti XIII innotuisse, rogarentque, causam denuo discuti, Clemens XII novum examen institui jussit. Post plures autem Congregationes, in Conventu supra Minervam habitas, ad Episcopos & Missionarios Indicos novam epistolam anno 1733 direxit, cum mandato, ut omnia in ea contenta observarent.

In hac retulit Clemens XII mentem S. Officii. 1. Consulendum sanctissimo, ut Missionariis dictorum regnorum dispensationem concedat in decennium omittendi in baptismo *salivam*, & *insufflationibus* occulte utendi, interim vero populum Ecclesiæ ceremoniis assuefaciant, nomenque alicujus sancti, *quantum fieri potest*, imponant. In reliquis Clem. XII.

articulis approbarunt Decretum Tournonii. Atque hæc responsa Cardinalium Clemens XII confirmavit.

Hoc Pontificis Decreto accepto Missionarii acquiescentes, servaturos se illud promiserunt. Sed non omnes servarunt, non posse ritus Indorum secundum præscriptum decreti aboleri caussantes. Quare Pontifex missis anno 1739 in forma *Brevis* novis litteris, sub gravibus pœnis observantiam mandavit, exacto etiam ab Episcopis & Missionariis juramento, quo executionem promitterent. Quod singuli præstiterunt, contestati, servatas a se fuisse Apostolicas litteras, & falso accusatos tanquam refractarios. Petierunt autem a Pontifice 1, ut in extremas animi angustias conjecti onere & periculo censurarum & juramento subleventur. 2. Ut dispensationem in ritu insufflationis & salivæ (a quibus Indi summopere abhorreant) proroget. 3. Ut declaretur præceptum Tournonii de abjectissimo hominum genere (quos *Pareas* appellant) non deserendo non obligare; cum eorum domos intrare non possint, sine Missionum exitio.

Benedictus XIV ad has petitiones hac Constitutione respondit
Bened. XIV. 1. Juramentum & censuras salubre esse frænum, & calcar, ac proin ea remitti aut temperari non debere. 2. Dispensationem omittendi in baptismo usum salivæ, & insufflationum prorogat ad alterum decennium, pro casu necessitatis, iterato tamen mandato, ut Missionarii interim Indis horrorem ab his ceremoniis Ecclesiæ eximant, post hoc enim elapsum decennium nullam spem fore ulterioris prorogationis. 3. Charitatem erga omnium animas æqualem esse debere, nobiles sive ignobiles sint. Quia autem a *Pareis*, sive vilissimæ sortis hominibus, tantus aliis sit honor, ut vel contactu eorum se inquinari existiment, eosque, qui cum eis conversantur, declinent, obtulerunt se Societatis Jesu Missionarii, quod certos ex suo cœtu ad *Pareas* destinare velint. Hoc eorum consilium ratum habet Pontifex, modo tot deputentur, quot ad salutem horum hominum sunt necessarii, & deficientibus illis alii sufficiantur. De quo intra quinquennium authenticum documentum tradent Sedi Apost. & de diligentia adhibita, ad horrorem a sufflationibus & saliva in baptismo eximendum, intra decennium, secus se coactum iri, de aliis Missionariis illis regnis providere. Eos vero, qui mandatis istis non obtemperaverint, omni Jurisdictione exutos declarat, atque in Europam redire jubet, ut uberiores ibidem fructus referant. Denique alios etiam abusus, in Tournonii Decreto contentos, recenset, & prohibet.

104. Ap-

104. Approbatur cultus, ab immemoriali tempore exhibitus B. Nicolao *Albergati*, S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiensi, ex Ordine Carthusianorum.

105. Agit de *Jurisdictione Episcoporum in Ecclesias Parochiales Regularium, & curam animarum in eis exercentes*; atque recenset Decretum Tridentini, & Greg XV, quo Ecclesiæ Parochiales, & Regulares, earum Rectores, quoad curam animarum, Sacramentorum administrationem &c. jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi Diœcesani plene in omnibus subjiciuntur, tanquam Sedis Apost. delegati. 163. Visitatio Parochiarum Regularium.

Pergit deinde Bened. Papa plura dubia resolvere: videlicet 1 præmissos ab Episcopo Missionarios ad præparandam visitationem per prædicationem verbi Divini in Parochiis Regularium, a Regularibus Parochis libenter debere excipi, & omnibus rebus juvari, quibus ad injunctum sibi officium implendum opus habuerint.

2. Quod Episcopus possit in Regularium Ecclesiis, sive Parochialibus, sive non Parochialibus, Sacramentum confirmationis conferre.

3. Quod solum altare, in quo asservatur Eucharistia, seu tabernaculum, possit visitare: ac insuper fontem Baptisterii: confessionale, pulpitum: sacrarium: sacram supellectilem: cœmeterium: turrim campanariam: sacra vasa.

4. Quod possit scrutari vitam & mores curati Regularis, quantum ad curam animarum & populi ædificationem pertinet, non autem, quantum spectat ad observationem Regularis Instituti, cum hoc privative ad Superiorem Regularem pertineat. Quid inquirendum.

5. Examinare, an legitimo titulo sit Parochus? an resideat? ad Synodum vocatus eat? conferentias de casibus conscientiæ frequentet? an Missam pro populo applicaverit festis de præcepto? verbum Dei prædicaverit? Catechesin habuerit? Confessionibus vacet? ægros invisat? Sacramenta tempestive ministret? an ante Sacramenta confirmationis, pœnitentiæ, Eucharistiæ, matrimonii rudes examinet, instruat &c.? an denuntiationes matrimonii diligenter præmittat, & inquirat, an nullum subsit impedimentum? an recte ordinatos habeat libros, baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum? an supellex, paramenta, & vasa sacra sint munda &c.? verbo: quidquid a Parocho sæculari, a Regulari etiam potest exquirere & exigere, sola Regulari observantia excepta: decreta opportuna condere, pœnas statuere, cumulative tamen cum superiore Regulari. Si hi non convenirent, standum judicio Episcopi. In Parochianos autem

autem nulla Prælato Regulari est Jurisdictio. Remotio vero Parochi utrique fit libera, sine alterius consensu, aut reddita ratione.

Exceptio. 6. Excipiuntur tamen Ecclesiæ, in quibus Prælatus Regularis *Jurisdictionem Episcopalem* & temporalem in *Parochos & Parochianos* exercet; quo casu Episcopus, neque ut Delegatus Sedis Apostolicæ potest visitare, si Prælatus suam exemptionem probet, Episcopus vero jus prætensum probare nequeat.

7. Excipiuntur etiam a Jurisdictione Episcopi Parochi, qui in Monasteriis seu locis, in quibus Generales Ordinum sedem suam ordinariam & principalem habent, curam animarum exercent; licet Monasterium illud non sit primarium. Aliud est de aliis Ecclesiis Monasterio unitis.

Jubilæum. 110. *Jubilæum* per Italiam pro pace inter Christianos Principes & aliis Ecclesiæ necessitatibus. Datur facultas absolvendi ab omnibus censuris & peccatis, etiam in Bulla Cœnæ reservatis. Commutandi vota, excepto voto Religionis & castitatis: exceptis etiam censuris publice denuntiatorum, nisi intra duas hebdomades satisfecerint: exceptis denique irregularitatibus, etiam occultis, in quibus dispensandi confessariis non datur potestas, ne quidem pro foro conscientiæ.

164. Lites in Cocinchina. 111. *Lites Missionum* in Regno *Cocinchinæ* dirimuntur. Versantur eæ circa terminos, directionem populi, doctrinam & ritus. Adhibitis frustra Congregationis de Propaganda studiis, Clemens XII anno 1736. Franciscum de la *Beaume*, Episcopum Halicarnassæum, Præpositum Avenionensem Visitatorem misit.

Is anno 1739 in Cocinchinam appulsus visitavit Ecclesias Presbyterorum sæcularium Parisiensis Seminarii Missionum, Clericorum Regularium Societatis Jesu, Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, & Missionariorum ipsius Congregationis de Propaganda: atque de rebus informatus Decretum edidit.

Lites componuntur. In hoc ad tollenda jurgia prohibet 1, ne quis extra fines, sibi determinatos, evagetur, & manum mittat in alienam messem. 2. Ordinem a Congr. Propag. præscriptum jubet observari. 3. Fines Missionariis cujusvis Instituti determinat, atque PP. Franciscanis adimit aliquot Ecclesias, & Missionariis Gallis, & Jesuitis attribuit.

Fines determinentur. PP. Franciscani appellarunt ad Sedem Apostolicam. Sed Bened. XIV Decretum Visitatoris approbavit, & Franciscanos, relicto Regno Cocinchinæ, in proximum Cambodiæ regnum jussit recedere, ubi messis esset multa, & operarii pauci.

Patres

Patres Franciſcani ſe læſos apud Pontificem queſti obtinuerunt, ut cauſa, cùm Miſſionariis Gallis præſertim controverſa, in Congregatione particulari, coram ſe inſtituenda, ad incudem revocaretur, atque revocatis prioribus Decretis, Franciſcanis Eccleſiæ ſuæ in Cocinchina reſtitui juſſæ ſunt. Quia autem de numero & extenſione illarum non ſatis conſtabat, Bened. XIV anno 1744 Epiſcopum Coryceſem ex regno Tunchinenſi in Cocinchinam deputavit, ut hæc aliaque, præſertim circa diſtrictus cuilibet ordini aſſignandos, ordinaret.

112. Continet litteras, ad Epiſcopum Corycenſem in hoc negotio directas.

113. Interrogatus Papa, an *filii ex adulterio procreati legitimentur per ſubſequens matrimonium?* tanquam Doctor privatus prolixe reſpondet *Negative.* Dubiam autem eſſe controverſiam aſſerit, an conceptus ex patre adultero, natus autem uxore prima mortua legitimetur per ſubſequens matrimonium. Reſponſurum ſe in caſu particulari ſecundum ſtylum curiæ, in qua quæſtio agitatur. Si autem conceptus & natus ſit vivente prima uxore, deciſam eſſe quæſtionem ab Alex. III. *Cap. Tanta, qui filii ſint legitimi*: ubi: *ſi autem vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & prolem ex ea ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate repellendus: præſertim ſi in mortem uxoris prioris alteruter aliquid fuerit machinatus.* Particula autem illa *præſertim* non eſt excluſiva, ſed incluſiva priorum, cum idem ſonet ac: *multo magis.* 165. Spurii non legitimantur.

Neque dici poſſe, Alexandri III ætate matrimonium poſt commiſſum adulterium fuiſſe invalidum, aut in caſu eidem propoſito fuiſſe machinatum in mortem uxoris; nam prius illud Benedictus erudite refellit. Poſterius vero licet in caſu Alexandro III fuerit propoſitum, & integra Decretalis ejuſdem hoc contineat, in collectione tamen S. Raymundi de Pennafort, a Gregorio IX acceptata & confirmata plena auctoritate (prætermiſſis non paucis) abſolute fuiſſe deciſum, ſpuriam eſſe habendam prolem ex adulterio conceptam natamque, nec per ſubſequens cum mœcha matrimonium legitimari. Et addit, licet Alexandro III in alio loco incidenter, dum materiam ex profeſſo non tractabat, aliquid excidiſſet, quod videretur indicare, matrimonium ſubſequens cum ſua adultera eſſe nullum, licet nec machinatio in mortem fuerit facta, nec fides de futuro matrimonio, ad eum tamen locum magis reſpiciendum, quo materiam ex profeſſo tractat, prout fecit *Cap. Tanta.*

Solvit deinde aliam objectionem, ex paritate cum prole *incestuosa*, quæ aliquando legitimatur, additque, hoc fieri ope dispensationis, quæ dicitur in *Radice matrimonii*, quæ non nisi urgentissima ratione concedatur, & tantum pro eo casu, quo proles nata est ex copula, non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, & in quo impedimentum matrimonii non a jure naturali aut Divino, sed Ecclesiastico duntaxat proveniat. In casu autem prolis, ex adulterio genitæ, non posse in radice dispensari.

Nec dispensatur *in Radice.*

Denique reprehendit Archiepiscopum S. Dominici in Hispaniola, qui hanc quæstionem ad eum miserat, quod objectiones suas, quibus Canonicæ jurisprudentiæ sententias, communiter receptas, oppugnaret, ex Justo Henningio Bœhmero (quamvis nullam de eo mentionem fecerit) sit mutuatus, easque descripserit ex ejus opere de *Jure Eccles. Protestantium Tom.* 1 *pag.* 287 juxta editionem 3 anni 1730. Satius cum fuisse acturum, si eo auctore usus esset ad Ecclesiæ doctrinas illustrandas, illumque in iis, in quibus nobis adversatur, confutare aggressus esset.

114. Episcopus Pekinensis rogavit, ut hoc persecutionis tempore circa ritus Sinenses aliquid indulgeatur. Pontifex proponit exemplum Martyrum.

Jurisd. Romæ,

115. Reformantur tribunalia urbis. Tractatur de executione citationum, mandatorum &c. de prorogatione Jurisdictionis Vicarii Cardinalis in Spiritualibus, quæ conceditur etiam in laicos, & in causis temporalibus. Eidem Vicario tribuitur privative Jurisdictio in causis matrimonialibus & Beneficialibus, non tamen in Diœcesibus suburbicariis sex Episcoporum Cardinalium, aut aliorum Episcoporum. Gubernatori urbis non competit Jurisdictio in Clericos, Ecclesias, & loca pia, in civilibus. Ad curiam capitolinam spectant causæ mere laicales &c.

Articulus VII.

Anno 1745.

166. Conjugium Infidelis conversi.

117. Venetiis est locus pius Catechumenorum, in quo Infideles, Judæi, & Turcæ, Catholica Religione imbuuntur; cum his, si conversi & baptizati fuerint, dispensat Pontifex, ut, licet sint *conjugati cum infideli*, matrimonium cum fideli contrahere possint, si conjugem infidelem interrogare non possint, aut interrogatus, *an cohabitare velit sine contumelia creatoris*, nihil respondeat. Atque hoc matrimo-

trimonium validum esse & indissolubile, licet infidelis postea compareat, & se cohabitare velle declaret, aut etiam ad fidem convertatur.

118. In regnis Castellæ, Legionis & Indiarum ex veteri consuetudine diebus sabbati extra quadragesimam, aut alias præscripti jejunii vesci solebant extremis partibus animalium, nempe pedibus, alis, collo, & etiam intestinis. Cum hæc res plena esset anxietatibus, Pontifici fuit supplicatum, ut diebus illis esum carnis simpliciter indulgeat, quod concessit. Disp. in jejunio.

119. Cardinales, qui Romæ non resident, *Rotuli* portione privantur, id est, ea quæ veluti quoddam laborum stipendium Cardinalibus distribui solet.

120. Confirmat Constitutionem, qua prohibetur & irritatur absolutio complicis in re turpi, etiam in *mortis articulo*, si alius Sacerdos, etiam simplex & non approbatus, adsit; hoc tamen pro casu mortis ita intelligendum declarat, si absit gravis infamia aut scandalum, oriturum, si alius Sacerdos vocaretur. Complex tamen tenetur talem infamiam aut scandalum, quantum potest, antevertere aut alio modo impedire. Si autem complex, ubi alius Sacerdos haberi potest, & nullum subest verum periculum infamiæ & scandali, nihilominus absolveret, absolutio pro articulo mortis foret quidem *valida*, sed graviter illicita. 167. Absol. complicis in morte.

123. & 124. Jubilæum, Italiæ concessum, ad Galliam extenditur, in gratiarum actionem pro recuperata Regis valetudine. Indulgentiis tamen privati sunt, qui Bullæ *Unigenitus* refragantur.

125. Ordini Theatinorum unus *locus in Consistorio* Congr. sacrorum Rituum perpetuo attribuitur, cum laude Cardinalis *Thomasii* & Cajetani *Merati* ex illo Ordine.

128. Diœcesi Niciensi dat facultatem vacandi operibus servilibus diebus quibusdam festis de præcepto.

129. De *Cophtis* seu *Jacobitis* 4 dubia proposita sunt Pontifici.
1. An in casu, quo Sacerdos ritus Cophti commode adiri nequeat, permittendum sit PP. Missionariis illico post baptismum confirmationem conferre, prout Cophti juxta ritum suum solent facere? Dubia Cophtorum.

2. An Parochis ritus Cophti, qui a schismate convertuntur, danda sit potestas administrandi Catholicis Sacramenta Parochialia; quamvis illa administratio, nullo existente Parocho Catholico, demandata sit PP. Missionariis?

3. An Cophtis proprio ritu in ætate puerili ad Diaconatus Ordinem promotis, liceat postea nedum primum, sed etiam alterum matrimonium inire, ex vi dispensationis obtentæ a PP. Missionariis, absque ullo speciali indulto Apostolico?

4. An dicti Diaconi officium Divinum recitare teneantur?

Resp. Pontifex *ad* 1, patientia quadam & facilitate Sedis Apost. factum esse, ut baptismus & confirmatio ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur. Sicut autem tolerari possit hæc illorum con-

168. Confirmatio a simplici Sacerdote.

suetudo, ita ferendum non esse, quod Baptismum ritu Latino, & seorsim a Confirmatione collatum reprobent aut contemnant; cum rationi sit admodum consentaneum, Confirmationis Sacramentum intelligentibus conferri. Cæterum rem non esse novam, ut simplici Sacerdoti a Sede Apostolica conferatur potestas, administrandi Sacramentum Confirmationis, dummodo uteretur Chrismate, ab Episcopo rite consecrato. Informandam igitur S. Sedem, an vere sit necessitas, ut deliberare possit, an, & cui ex Presbyteris tanquam Ministro extraordinario tribuenda sit hæc potestas Episcopalis.

Ad 2. Sacerdotibus *conversis*, si rite sint consecrati, & a Vicario Generali probati, conceditur potestas administrandi Sacramenta Parochialia, ritu tamen Catholico, modo plene cum Ecclesia sint reconciliati.

Ad 3. & 4. Validam quidem, illicitam tamen esse ordinationem sa-

169. Ordin. infantis.

cram infantis. Unde idem dicendum de Cophtis, si apud ipsos sit vera continuatio Hierarchiæ; & in ordinatione debita materia & forma cum recta intentione Ministri sit adhibita. Sic tamen ordinatos non obligari ad castitatem & Officium Divinum, aliaque onera, donec 16 ætatis anno interrogati ad statum Ecclesiasticum se determinaverint. Si responderint, nolle se diutius in Diaconali Officio persistere, posse ad primum, & etiam secundum matrimonium transire, nec ad horas Canonicas obligatos esse.

170. Matrimonium Græcorum Clericorum.

Si vero responderint, in Ecclesiastico Ordine se velle perseverare, non esse licitum ad alteras nuptias transire, mortua etiam prima conjuge, cum fieret bigamus: imo neque ad primas post susceptum Diaconatum. Nam antiquissimis temporibus in Ecclesia Orientali & Occidentali præscriptum fuisse sacris Ordinibus initiatis perpetuum cœlibatum, neque ab hac disciplina recessisse unquam Ecclesiam Latinam: secus vero contigisse in Ecclesia Græca.

Nam in illa matrimonio jungi in minoribus Ordinibus constitutos, & uxore retenta ad majores Ordines, etiam Presbyteratus, promoveri. Si tamen in statu cœlibatus sacris Ordinibus insigniantur, omnem dein-

deinceps spem matrimonii ipsis adimi. Siquidem Canon 6 Synodi Trullanæ deponendos decernat Presbyteros & Diaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod autem fit contra Canones, nec ex concessione Episcopali fieri posse. Unde a Græcis quoque rejici Canonem 10 Concilii Ancyrani, relatum Can. *Diaconi Dist.* 28, ubi Diaconis conceditur facultas permanendi in ministerio, si in ordinatione protestati fuerint, oportere se uxores ducere. Can. Diaconi *Dist.* 28.

Neque illicitum duntaxat, sed etiam invalidum esse matrimonium in Orientali quoque Ecclesia, post Ordines sacros initum; cum ipsi Græci hujusmodi nuptias nefarias appellent, & proles illegitimas.

Dispensatum quidem fuisse aliquando, ut conversi ad fidem ductam post sacros Ordines uxorem retinerent; sed an ita expediat in aliquo casu, a pluribus circumstantiis dependere; de quibus informari exigit Papa.

130. Præscribuntur leges jejunii, repetitis iis, quæ prioribus Constitutionibus continentur de unica comestione, & non permixtis epulis, quæ ii etiam servare debent, qui dispensationem edendi carnes acceperunt. Vult autem, ut non dispensetur, præsertim cum tota multitudine Diœcesis aut civitatis, nisi ex urgentissima causa, qualis esset universalis morbus, ad quem depellendum judicio Medicorum necessarius esset esus carnium, aut maxima inopia ciborum esurialium. Conqueritur etiam, quod ab aliquibus Episcopis tam facile dispensetur. Leges jejunii. Disp.

131. Mortuo Hieronymo de Bock Pseudo-Episcopo *Harlemensi* in Hollandia, Meyndartus, schismaticorum Antesignanus, subrogavit Joannem *Van Stiphout*: quod factum Papa graviter illicitum nullumque declarat, inustis censuris.

132. Hi duo Pseudo-Episcopi a duobus Pontificis Brevibus ad futurum generale Concilium appellarunt, edito libello, qui damnatur & prohibetur.

133. Joanni Antonio L. B. de Freyberg Episcopo *Eystetensi* ejusque successoribus motu proprio concedit facultatem, ut ei, sicut Archiepiscopis, in civitate & Diœcesi crux elevata præferri possit, salvo tamen jure Metropolitani. Fit autem honorifica mentio anni millesimi hujus Episcopatus, ex quo S. Wilibaldus, cujus sacræ Reliquiæ ad altare argenteum translatæ sunt, illum fundavit, & S. Walburga ejus soror perpetuis eum miraculis decoravit. Privileg. Eystet. Episc.

134. Nuntiatum fuerat Pontifici, in Lusitania plures Confessarios *nomina complicum exquirere*; quod fieri deinceps prohibet.

135. Multa erat inter Canoniſtas controverſia, ad Sedem etiam Apoſtolicam ſæpius delata, an *Canonici Regulares* Lateranenſes, aut S. Salvatoris *ad Parochias ſæculares*, Canonicatus, aut Beneficia ſimplicia, vel etiam penſiones, promoveri poſſint, ex ſola ſuperiorum Regularium licentia, absque Indulto Apoſtolico? Hanc quæſtionem decidit Pontifex *negative*, quod videlicet iſti, cum ſint vere Religioſi absque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto, neque per collationem liberam, neque per concurſum, neque per præſentationem Patronorum, aut electionem Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia obtinere poſſint, vel etiam penſiones absque auctoritate Sedis Apoſt. & conſenſu ſuorum ſuperiorum Regularium. Atque de his omnibus regulas obſervandas præſcribit.

Canonici Regul. non obtinent Benef. ſæcularia ſine Indulto Apoſt.

137. Conſecratio Joannis Van Stiphout in Pſeudo - Epiſcopum Harlemenſem damnatur, adjecta excommunicationis ſententia.

138. Polonis indulget, ut dies feſtos, Julio, Aug. & Sept. occurrentes, in diem Dominicam transferre poſſint, excepto feſto Aſſumptionis B. V. M.

Cenſus.

139. Pro ſtatu ſuo Eccleſiaſtico jubet fructus cenſuum, cambiorum &c. ad 4 pro 100 reduci.

140. Prolixe commendat ſacras Miſſiones, fructus, ac celebres Miſſionarios.

141. Pontifex audierat plura de fama ſanctitatis *Creſcentiæ*, in urbe Imperiali Kauffbura ſanctimonialis, aſſiduumque propterea concurſum ad eam fieri hominum, virtute etiam & genere illuſtrium. Quare Joſepho Epiſcopo Auguſtano commiſit, ut in vitam ejus & mores inquireret. Ex proceſſu autem, ad ſe ab Epiſcopo dein Romam miſſo, nihil ſupra communem vitæ probitatem erui reſcripſit, nullum autem miraculum aut virtutem heroicam.

De virgine Creſcentia.

Refert ſe Pontifex ad opus ſuum *de Canonizatione ſanctorum*, quod elaboraſſet, poſtquam ultra 20 annos in munere Promotoris Fidei fuiſſet verſatus. Hujusmodi cauſis initium fieri a conficiendis *Proceſſibus* auctoritate Epiſcoporum aut aliorum ordinariorum. Non autem in iis eſſe properandum, ſed exſpectandum congruum tempus ab obitu, neque inchoandos proceſſus, niſi præceſſerit legitima fama virtutis heroicæ, aut miraculi ad invocationem ſervi Dei a Deo patrati. Præcipue autem conſiderandum extremum mortis articulum: in quo niſi aliquid illuſtre, & ſanctitate conſpicuum ſe obtulerit, reliquas omnes inquiſitiones ſupervacaneas remanere. Ante omnia autem, ſi aliquid ſcriptum reliquiſſet, illud examinandum.

Proceſſus.

In

In oblato sibi Processu testes turmatim fuisse examinatos, nec præstito prius juramento, atque generaliter tantum deposuisse, nihil de peculiaribus actionibus defunctæ enarrantes.

Quantum ad diffusas *Imagines*, *Spiritum Sanctum sub forma speciosi juvenis referentes*, cum subscriptione *Veni Sancte Spiritus*, spectat, laudat Episcopum, quod eas, in cœnobio, Ecclesia, choro passim expositas, auferri jusserit. Repræsentari Deum ea forma, qua in S. Scriptura legimus ipsum apparuisse. Hinc Spiritum S. depingi posse in specie *columbæ*, secundum antiquissimam Ecclesiæ disciplinam. Sectariorum autem recentiorum errorem ample refutatum inveniri apud *Gretserum* Tractatu de *sacris Imaginibus cap.* 9 impresso in Tom. 17 novissimæ editionis ipsius operum. Posse etiam pingi Spiritum S. in specie *linguarum ignitarum*, quando pingitur ejus apparitio super Apostolos in die Pentecostes. Non autem licitum esse eundem pingere in forma Juvenis aut viri, quia in S. Scriptura hac specie non legitur apparuisse. De Imagine Spir. S.

Ex hac occasione transit dein Pontifex ad examinandam more suo eruditissime quæstionem, an, & quomodo *SS. Trinitatem* depingere liceat; relatisque variis Doctorum sententiis, ait, nulla monstrosa figura eam repræsentari posse, pingendo e. g. unum virum cum tribus capitibus, aut B. Virginem, gerentem in utero SS. Trinitatem, prout in Belgio factum memorat, vel hominem bicipitem, & in medio columbam. Neque positive approbat picturam, qua repræsentantur tres viri omnino æquales; quamvis qui hoc approbant, sic apparuisse putent SS. Trinitatem Abrahamo, dum *tres vidit, & unum adoravit:* aliis existimantibus, hos fuisse tres Angelos, aut duos Angelos, & Filium Dei, quem Abraham adoraverit. Imago SS. Trinitatis.

Declarat dein, Imagines SS. Trinitatis tuto pingi posse, quæ repræsentant Patrem Divinum in forma viri senis, desumpta ex Danielis c. 7: *antiquus dierum sedit*, in ejus autem sinu Filium Dei, & inter utrosque Spiritum S. in specie columbæ: vel duas Personas, modico intervallo sejunctas, unam senioris viri, nempe Patris, alteram Christi, medium autem Spiritum S. in columbæ figura.

Licet autem permissum esset, SS. Trinitatem repræsentare per tres viros omnino æquales, non tamen sequi, Spiritum S. seorsim a reliquis Divinis Personis permissum esse ita depingi; nec enim apparitionem Abrahamo factam fuisse unius sed trium: nec in S. Scripturis legi, Spiritum S. seorsim apparuisse in specie Juvenis aut viri: talem igitur imaginem non esse recipiendam. Spiritum S. non esse pingendum seorsim in forma Juvenis aut viri.

Patrem

Patrem Divinum ſeorſim pingi poſſe, fundamento deſumpto *ex Gen.* 3 & 28. *Exodi* 33. *Iſaiæ* 6. *Dan.* 7, & filium ob carnem aſſumptam, in qua ſæpe apparuit, diverſo tamen modo, nunc ut infans, nunc ut prædicans, nunc ut patiens & crucifixus, nunc ut reſurgens, in cælum aſcendens &c. Agni quoque formam in S. Scriptura habere fundamentum, uti etiam figuram Paſtoris Boni: non autem Spiritum S. ſeorſim in forma Juvenis aut viri.

De diſperſis a Creſcentia. Denique memorat, ab Epiſcopo ſibi relatum, diſpergi complures ſororis Creſcentiæ effigies, nec non coronas precatorias, earumque grana, cruces, ſcapularia, oleum, pulverem, aquam, manus denique vel pictas, vel ex ligno effictas, cum pollice, inter indicem & medium inſerto, exiſtimantibus plerisque de vulgo, prædictas cruces & coronas, a Deo benedictas, & indulgentiis ditatas eſſe, earum vero manuum ſimulacra ad fugandos dæmones plurimum valere, cum aliis hujusmodi nugis, quæ ab iis diſſeminantur, qui venditandis hujus generis ſuperſtitionibus temporalia ſibi lucra comparare ſtudent.

Joanna a Cruce. Affert exemplum *Joannæ a Cruce*, ſanctitatis fama celebratæ, cujus beatificationi obſtitiſſe ait, quod precatoriæ coronæ grana in vulgus fuiſſent ſparſa, quæ ipſius interceſſione a Chriſto benedicta & Indulgentiis aucta ferebantur. Ab Urbano V prohibita fuiſſe diſtribui numiſmata, in eorum honorem conflata, quibus beati aut ſancti cultus a Sede Apoſt. non fuiſſet tributus. Naturalia remedia ad fugandos dæmones eſſe inutilia. Adhibendos a Sacerdote probo & prudente, ab Ordinario electo, Eccleſiæ Exorciſmos, in Rituali Romano, titulo de *exorcizandis obſeſſis*, contentos.

142. Privilegium fori aliaque Academiæ Avenionenſi, a Bonifacio VIII fundatæ, a Pontificibus conceſſa recenſentur, & confirmantur.

172. De Uſuris. 143. Litteris, ad Epiſcopos Italiæ datis, tractat de *Uſuris*, aitque, hoc peccatum in eo eſſe poſitum, quod quis ex mutuo plus ſibi reddi velit, quam eſt datum, ideoque ultra ſortem lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum & uſurarium eſſe. Neque parvitatem auctarii, aut qualitatem mutuatarii hujusmodi lucrum a labe uſuræ purgare. Ac proin creditorem, quod ultra ſortem accepit; ex juſtitia commutativa teneri reſtituere mutuatario.

Poſſe tamen cum mutuo alios titulos, naturæ mutui extrinſecos, concurrere, ex quibus aliquid ultra ſortem liceat exigere, aut pecuniam per alios contractus recte impendi, ſive ad proventus ſibi annuos

annuos conquirendos, sive ad licitam mercaturam, & negotiationem lucrosam, vitatis tamen excessibus contra justitiam commutativam.

Non tamen semper adesse alios cum mutuo titulos, vel, secluso mutuo, contractus alios justos, cum multis in casibus teneatur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ut nulli alteri contractui locus esse possit. Inquirendum igitur prius diligenter, verene cum mutuo justus alius titulus, aut alius a mutuo contractus lucrosus occurrat. Si occurrat, determinetur & significetur alteri contrahenti.

144. Ait, se pluribus Episcopis petentibus dedisse licentiam, *dies festos* imminuendi, optatque, ut Episcopi in hac re consentirent, ne tam diversa diversis in Dioecesibus disciplina exsurgat. Cui malo obviari posset, si festis minus solennibus tantum obligarentur ad audiendam Missam, labore servili, & mercatu deinceps permisso. Distinguit deinde inter *Mercatus* (rerum nempe, quotidianis usibus necessariarum) & *Nundinas* solenniores, rarius celebrari solitas; & illos quidem prohibitos declarat, atque in diem antecedentem vel subsequentem, non festum, rejici mandat. Has vero, uti optat, diebus festis, ad cultum Divinum destinatis, non celebrari, ita expresse non prohibet, ubi consuetudo inveterata, & necessitas illas exigunt; praecipit tamen, ut omnes rei Divinae intersint, & illius tempore apothecae maneant clausae, per diem integrum in statu suo Ecclesiastico illas prorogaturus. *Data est haec epistola ad Episcopos & Ordinarios Ditionis Ecclesiasticae.* Dies fest.

145. Facit divisionem materiarum, & gratiarum Apostolicarum, quae per Datariam, & quaenam per Secretariam Brevium, sint expediendae.

146. Designantur, quinam sint Nobiles Romani, & Nobiles conscripti. Familiae futurorum Pontificum absque ulla probatione, in Nobilium numerum referendae.

Appendix ad Tom. I.

Absolvitur hic Tomus I Constitutionum Benedicti XIV, cui subjungitur Appendix ad hunc Tomum, quo traditur I. Instructio pro Episcopis &c. super modo conficiendi Relationes status suarum Ecclesiarum, quas occasione visitationis liminum sacrorum Congregationi Concilii exhibere tenentur. Videlicet 1 ea, quae pertinent ad Statum Ecclesiae materialem. 2. Ad ipsum Episcopum. 3. Ad Clerum Saecularem. 4. Ad Clerum Regularem, curam animarum exercentem, aut alias extra Monasteria degentem. 5. Ad Moniales. 173. Quid Episcopi in suis ad Sedem Apost. Relationibus exprimere debeant.

6. Ad Ecclesias, Confraternitates, & loca pia. 7. Ad Seminaria. 8. Ad populum. 9. Ad postulata Episcopi.

Status Ecclesiæ. *Ad* 1. Exponendum, quæ Institutio Ecclesiæ, quæ confinia, privilegia & prærogativæ Episcopatus; quot civitates, oppida, loca, quæ Episcopatui, Archiepiscopatui, Patriarchatui subjecta: qui status Cathedralis, quot Canonici, & alii choro addicti: an erecta Præbenda Pœnitentiaria & Theologalis: qui status collegiatarum, quot Canonici, aliique choro destinati, an erecta Præbenda Theologalis. Quot Ecclesiæ Parochiales & aliæ, ac Oratoria, quis status, an sacra supellectili & reditibus instructa. Quot Monasteria, an subjecta Episcopo. An in Diœcesi sit Seminarium Clericorum, quot in eo alantur, & quomodo, an ei sint unita Beneficia. Quot Hospitalia, Confraternitates, & alia loca pia, quinam reditus. An adsint Montes pietatis, & quot &c. sufficit tamen, si Episcopus circa hæc statum materialem in prima relatione significet, & in posterioribus ad eam se referat.

De Episcopo. *Ad* 2. An præceptum residentiæ impleverit, an & quo tempore abfuerit; an cum licentia Sedis Apost. an & quoties Diœcesin visitaverit: an per se vel alium Episcopum sacras Ordinationes expleverit, & Confirmationis Sacramentum administrarit. An, & quoties Synodum Diœcesanam coegerit, &, si sit Archiepiscopus, an Synodum Provincialem habuerit: si Episcopus nulli Archiepiscopo sit subjectus, an & quam Synodum Provincialem accesserit. An verbum Dei per se ipsum prædicaverit, vel si fuerit impeditus, per alium idoneum. An mulctæ pecuniariæ ad pios usus sint applicatæ. Quænam taxa, & an Innocentiana in sua Cancellaria observetur. An aliquid obstet exercitio Officii Episcopalis, Jurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ. An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, Clero, aut populo.

De Clero sæculari. *Ad* 3. An Canonici & alii choro addicti choro jugiter intersint. An ultra Horas Canonicas quotidie celebretur Missa Conventualis, & quidem pro Benefactoribus. An habeant suas Constitutiones easque observent. An qui obtinent Præbendam Theologalem aut Pœnitentialem muneri suo satisfaciant. An Parochi resideant: an libros matrimoniorum, baptizatorum aliosque juxta Rituale Romanum retineant: an indigeant aliorum Sacerdotum opera: an per se vel per alios idoneos Dominicis & festis populum doceant, rudes instruant, Missam pro populo applicent. An, & quæ præmittantur Ordinationi, an Ordinibus sacris præmittantur sacra exercitia in domo aliqua Religiosa. An vestes deferant Clericales. An habeantur conferen-

tiæ

tiæ Theologiæ Moralis & SS. Rituum, & quoties, quinam intersint, & quo profectu. Qui mores Cleri sæcularis, an datum scandalum &c.

Ad 4. An *Regulares*, curam animarum exercentes, qui Episcopali Jurisdictioni, visitationi, & correctioni subsunt in iis, quæ ad curam & administrationem Sacramentorum pertinent, munus suum impleant. An aliquis Regularis extra Monasterium degat. An aliqui sint in Diœcesi, a Superioribus suis ejecti. An quis extra Monasterium ita deliquerit, ut scandalum dederit. An sua Jurisdictione delegata usus sit in visitandis Conventibus, in quibus non aluntur Religiosi tanto numero, quantum Canones præscribunt; quinam in illis Religiosorum mores. **De Clero Regulari.**

Ad 5. An *Moniales*, Jurisdictioni Episcopi subjectæ, servent suas Constitutiones. An custodiatur clausura. An abusus irrepserint, qui S. Congregationis auxilio indigeant. An Confessarius extraordinarius bis aut ter in anno illis fuerit oblatus. An reditus fideliter administrentur. An dotes Monialium solutæ, & quomodo erogatæ. An in Monasteriis Monialium, quæ sunt Prælatis Regularibus subjecta, curaverit, ut clausura exacte observetur. An earum Confessarii sint ab ipso approbati. An adhibitis Superioribus Regularibus quot annis exegerit rationem ab administratoribus bonorum, ad Monasteria Regularibus subjecta pertinentium. **De Monialibus.**

Ad 6. An in sacristiis prostet tabella onerum Missarum, anniversariorum. An in Confraternitatibus, scholis & locis piis fiant pia opera, a testatoribus præscripta. An quot annis reddita sibi ratio administrationis. An Montem pietatis sive charitatis visitaverit, an habeat reditus ultra sustentationem Ministrorum, & alias necessarias impensas: in quas causas reditus illi erogentur, &, an quid exigatur ab iis, qui pecuniam aut frumentum a Monte recipiunt. An Hospitalia visitaverit, rationes exegerit: an infirmis necessaria ad salutem animæ & corporis subministrentur. **De locis piis.**

Ad 7. Quot Alumni sint in Seminario. An in Eccles. disciplina recte instituantur. Quibus studiis vacent, & quo profectu. An inserviant in Ecclesia. An illud aliquando visitet, & operam det, ut Constitutiones impleantur. An taxa sit statuta, & an solvatur. **De Seminariis.**

Ad 8. Quinam sint populi mores: an in pietate proficiat. An aliquis irrepserit abusus, aut prava consuetudo, quæ consilio aut adjutorio Sedis Apost. indigeat. **De populo.**

In eadem Appendice exhibentur II. Statuta de ceremoniis inter Episcopos & Præsides Provinciarum. III. Statuta Almæ Domus Lauretanæ. IV. Dum Papa duos inter certantes tertium elegit in Patri-
174 archam Antiochenum Evodium Damasci prius Episcopum, erudite
Maronitarum Historia. differit, *Maronitas* Christianos Syros ad Patriarchatum Antiochenum pertinere, quippe qui Syriam, Phœnitiam maritimam, Palæstinam, Cyprum, Ægyptum, aliasque Orientis partes incolant; quorum tamen pars maxima in Monte Libano commoretur.

Cum hæresis Monothelitarum in Patriarchatum Antiochenum grassaretur, Maronitas, ut ab ea se contagione puros servarent, proprium Patriarcham elegisse, qui dein a Romano Pontifice confirmaretur, atque Pallium ab eo reciperet. Cum autem postea Saraceni Antiochiam occupassent, & Latini ad Patriarcham Maronitarum, qui in Monte Libano consederat, confugissent, Alexandrum IV Pontificem Patriarcham Maronitarum Antiocheni Patriarchæ titulo decorasse; atque hunc titulum in hanc usque diem a Patriarcha retineri, etiamsi in Monte Libano sedem perpetuam habuerit.

Semper autem Maronitas ex integro mansisse Catholicos, atque cum Sede Apost. conjunctos, reverentiæ & obsequii plenos. Jacobum Patriarcham depositum, a Clemente XI fuisse restitutum, obedientibus prompte Maronitis. Idem obsequendi studium ab iis exhibitum, cum nuper duobus in discordia electis, Pontifex tertium designavit Patriarcham, Evodium, Romæ a puero in Collegio Maronitarum educatum, optimæque semper famæ.

V. Sollicitantes in confessione vel occasione illius, prout etiam abutentes sacrificio Missæ ad sortilegia, ad ejusdem celebrationem perpetuo inhabiles declarantur.

CAPUT

CAPUT XXXI.

Constitutionum & Epistol.

BENEDICTI XIV.

TOMUS II.

Ab anno 1746 *ad* 1749.

Articulus I.

Anno 1746.

1. Circa *Regularium* in Indiis quoad curam animarum *subjectionem erga Episcopos* variam disciplinam legimus. Pius V eos exemit, prout etiam Greg. XIV, Clemens VIII voluit, ut ab Episcopo sint approbati. Greg. XV eos Episcoporum visitationi & correctioni subjecit. Innoc. X eos exemit quoad loca, in quibus est defectus Parochorum. 175. De Episcoporum Jurisdictione in Regulares in Indiis.

Benedictus XIV Tridentini Decreta etiam in Indiis vigere vult, statuitque, ut nullus Regularis, quantumvis exemptus, sine praevio Ordinariorum examine & approbatione ad curam animarum accedere valeat: sed in omnibus, quae ad praedictam curam quoquo modo pertinere dignoscuntur, eorundem Ordinariorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni subjaceant, in Indiarum Orientalium Dioecesibus atque provinciis.

2. Dat Indulgentias Archiconfraternitati Doctrinae Christianae Romanae.

3. *Duas Missas eadem die* celebrari non posse ab eodem Sacerdote, nisi quis habeat duas Parochias valde distantes, & adsit defectus alterius Sacerdotis jejuni, exceptis tamen Missionariis, quibus aliquando hoc privilegium conceditur. Duae Missae.

4. Teneri *Patronum Ecclesiasticum* praesentare ad Beneficium curatum illum, qui ab examinatoribus judicatus in concursu est magis idoneus. Si Patronus Titium judicet digniorem, & inter approbatos ab examinatoribus nullus se opponat huic judicio, Titius instituendus est. Quia Tridentinum jubet eum institui, quem inter approbatos Patronus digniorem judicat. Si autem inter probatos ab Examina- Quis praesentandus.

 toribus

toribus aliquis, se digniorem præteritum queratur, Episcopi est assumere personam Judicis, & de majori aptitudine inquirere. Quamvis etiam a Judicio Episcopi, si irrationabile appareat, detur appellatio; quæ an tantum effectum devolutivum pariat, an vero etiam suspensivum, pro varietate casuum Pontifex hic differit.

Expositio Venerab. 5. Confutat eos, qui putant, non posse se lucrari Indulgentias, accedentibus Ecclesiam concessas, nisi *prostet Venerabile.* Neque exponendum dicit, nisi ob causam publicam, & cum consensu Episcopi.

6. Tractat de conficiendis rationibus proventuum & expensarum Cameræ Apostolicæ.

7. Confirmatur Decretum prohibitivum, ne Confessarii complicum nomina exquirant.

11. *Canonizatio B. Fidelis a Sigmaringa* Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, Præfecti Missionis Apost. in Rhœtia, & S. Congregationis de Propaganda Fide Protomartyris. Narrat Pontifex ejus vitam & virtutes: natum anno 1577, innocenter actam pueritiam, litterarum studia, iter in Italiam & Galliam cum nobilibus adolescentibus, quibus gubernator datus est; lauream utriusque Juris Friburgi susceptam, Advocati munus in Alsatia Ensishemii gestum: ingressum in Ordinem sacrum PP. Capucinorum, novumque *Fidelis* nomen, (cum Marcus ante esset vocatus) sortitum: virtutes ejus Religiosas: gestum in Conventu Veldkirchensi regimen: precandi studium, corporis castigationem, jejunia, charitatem Dei & proximi, zelum animarum: Officium Missionarii Apost. in Rhœtia: conspirationem hæreticorum: gloriosum Martyrium in Seviensi pago anno 1622.

S. Fidelis vita. Virtutes.

Corpus dein ejus translatum ad Ecclesiam Curiensem, signa, & prodigia: incendium in arce Mayenbergensi repente extinctum: Monialem applicatis ejus reliquiis illico sanatam: oculum infanti restitutum: virum attactu mucronis, quo confossus fuerat, momento sanatum. Ac propterea a Bened. XIII Beatorum numero insertum, & accedentibus duobus manifestis novis sanationum miraculis, a Bened. XIV in Album Sanctorum relatum.

Miracula.

S. Camillus de Lellis. S. Pet. Regalatus. S. Jos. Leonissa. Sequentibus quatuor Constitutionibus continentur quatuor aliæ Canonizationes, videlicet B. *Camilli de Lellis* Fundatoris Clericorum Regularium ministrantium infirmis. B. *Petri Regalati* Sacerdotis Professi Ordinis Minorum, Regularis Observantiæ inter Hispanos Restitutoris. B. *Josephi a Leonissa* Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum. B. *Catharinæ de Ricciis* Florentinæ Monialis

Ordinis

Ordinis Prædicatorum. Quorum vita, virtutes, sanctitas, miracula recensentur.

17. Epistola ad Episcopos ditionis Ecclesiasticæ data tractat de *Crucifixi imagine, ponenda in altari*, in quo Missa celebratur, aitque juxta Rubricas Missalis inter candelabra statuendam esse Crucem cum Crucifixi imagine, ita, ut candelabris supereemineat. Nec satis esse, juxta S. Congr. Rituum exiguum Crucifixum, qui a populo & Sacerdote ipso difficulter conspici possit, apponere: nisi in tabula altaris principali Crucifixus pictus aut cælatus appareat, & locum primum obtineat. Crucifixus semper praster in altari sub Missa.

Proponit dein quæstionem, utrum Crucifixus inter candelabra collocandus sit, cum sacrum peragitur in eo altari, ubi Divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed publicæ fidelium venerationi exponitur. In hac re varias fuisse in Congreg. Rituum sententias, opinantibus aliquibus, supervacaneam esse Christi imaginem, ubi Christus ipse est præsens. Decretum denique a Congregatione, ut quælibet Ecclesia morem & institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret; atque hoc Decretum S. Congregationis Rituum Bened. XIV in hac Constitutione laudat. Præcipit autem extra casum, quo Eucharistia publice exponitur, & quo Crucifixi imago in tabula primo loco proponitur, semper inter candelabra majorem Crucifixum collocandum esse, qui facile sit aspectabilis, nulla in contrarium valente consuetudine, quam ut aboleant Episcopi in sæcularium & Regularium Ecclesiis jubet. Nisi expositum sit Venerabile. Tunc enim quævis Ecclesia suum morem servet.

18. Agit de *Residentia Episcoporum*, atque imprimis vix aliud esse, inquit, Ecclesiasticæ disciplinæ caput, a Conciliis & Pontificibus Romanis tam sæpe tamque impense inculcatum & commendatum; quidque ipse in hac re urgenda egerit, diserte commemorat. Absentiæ causas non alias a Tridentino agnitas, quam Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, & evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem. Verum cum non videatur censendus absens, qui aliquantisper abest, deficientibus etiam his causis, Ecclesiarum Antistitibus a S. Synodo indultum, quot annis per duos aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, extra proprias Diœceses commorari; modo per illius temporis spatium non abessent a Cathedralibus suis Ecclesiis diebus Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis & Resurrectionis Domini, Pentecostes item & Corporis Christi, nisi forte Episcopalia munia in aliis Diœcesis suæ locis eos detinerent: dummodo absque gregis detrimento & *aequa ex causa* sua utantur libertate; quibus verbis animi levitas, oblectationum 178. Residentia Episcoporum.

tionum cupiditas, aliæque similes causæ penitus excludantur. Nec eum, qui anno uno non esset usus tribus mensibus, posse eos anno alio compensare.

Promotis in curia Episcopis ab Urb. VIII indultum mensem commorationis Romanæ: a Bened. XIII 40 dies additos pro negotiorum exigentia, causa tamen prius cognita. Ad sacra limina accedentibus ab eodem Urb. VIII, si sint Episcopi Citra-Montani 4 menses, Ultra-Montanis vero & Ultra-Marinis 7 concessos.

Supradicta Decreta Conciliorum & Pontificum Bened. XIV hac Constitutione confirmat, addito gravi præcepto, & pœna fructus non percipiendi; pluraque alia decernit de licentia extraordinaria danda.

22. Ad instantiam Joannis V Portugalliæ Regis terras fluminis Januarii in plures Episcopatus dividit.

Indulg. pie meditantibus.

23. Omnibus methodum orandi docentibus aut discentibus, aut singulis diebus saltem per quadrantem horæ pie meditantibus, si præmissa Confessione sacram Eucharistiam sumant, atque pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenarias quovis mense Indulgentias concedit, quas etiam animabus in purgatorio applicare possunt.

Innoc. X Decretum de Congreg. & Superioribus mutandis abrogatur.

24. *Innoc. X* statuerat, ut *Societas Jesu* singulis novenniis Congregationem Generalem celebraret, novique ac diversi ab illis, qui prius fuerant, Assistentes eligerentur, Provinciales vero, Rectores, aliique superiores post exactum triennium Officium deponerent, & per sesqui annum privati viverent. Cum autem Ordinationes istæ nec e mente S. Ignatii, nec Pauli III, Julii III, Greg. XIII & XIV, aut Pauli V, qui Societatis Institutum confirmarunt, esse viderentur, Alex. VII, Clemens IX, Innoc. XI, Decretum Innocentii X explicarunt, limitarunt, suspenderunt, donec Bened. XIV ad instantiam Francisci Retz Generalis Præpositi illud omnino abrogavit.

Articulus II.

Anno 1747.

179. Clericus sine consensu Episcopi potest Religionem ingredi.

Leander *Chizzola Archidiaconus* Ecclesiæ Cathedralis Brixiensis, jam prope septuagenarius, Bononiæ Societatem Jesu ingressus est. Cardinalis *Quirinus* Episcopus Brixiensis, graviter id se inconsulto factum tulit, atque epistola, ad Bened. XIV data, petiit, ut eam licentiam reprimeret, qua sæculares Presbyteros in cœnobia sua Regula-

res

res suscipiunt, consilio cum Episcopo prius non collato. Pontifex respondit, suasitque, adducto exemplo S. Gregorii, ne Leandrum turbet, atque ex Can. *alienum cauf.* 19 *q.* 2 proponit, Clericum absque permissu imo contradicente Episcopo posse Religionem ingredi. Idem probat ex Concilio Toletano IV, S. Thoma, S. Antonino, Sylvio &c. Addit tamen, posse tantam verti Ecclesiæ necessitatem, aliasque adesse circumstantias, quibus stantibus Clericus, Ecclesiæ alicui adscriptus, non possit Religionem ingredi.

Non tamen propterea novam edendam Constitutionem. Decens autem omnino esse, ut Clericus consilium suum prius cum Episcopo conferat, quamvis consensus non requiratur.

26. Arctatur magis clausura Monialium, exclusis etiam ancillis aliisque fœminis.

27. Tractatur de *Ordinatione Regularium:* an necesse sit ut ordinentur ab Episcopo, in cujus Diœcesi degunt, aut saltem ab eo habeant Dimissorias? Varia in hanc rem insinuantur Regularium quorundam accepta privilegia; variæ item Pontificum dispositiones, quibus illa limitantur, præsertim Clementis VIII, qui Decretum Tridentini innovavit.

Clementis autem ordinatio ab Innoc. XIII & Bened. XIII ita limitata est, ut non comprehendat illos Regulares, quibus post Tridentinum expressum privilegium & speciale esset concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possent, quamvis Privilegium illud Decreto Clementis VIII sit antiquius; dummodo tamen directe concessum fuerit, non vero in communicationem Privilegiorum, de uno in alium Ordinem derivatum asseratur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis litteris, a Bened. XIII confirmatis declaret.

180. An Regulares ordinari debeant ab Episcopo Diœcesano?

Denique Bened. XIV adhortatur monetque Regulares cum Concilio Lateranensi sub Leone X celebrato, ut Episcopos, ceu loco Apostolorum subrogatos, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, omni honore ac reverentia prosequantur: Episcopos vero, ut affectum benevolum erga Regulares gerant, tanquam cooperatores in agro Dominico, & laborum participes.

28. Quidam Romæ in vicum Hebræorum ingressus, tres *Judæi infantes baptizaverat.* Quæritur, quid de hoc baptismo sentiendum? Respondet Pontifex 1 secundum S. Thomam Judæorum infantes invitis parentibus non esse baptizandos; tum quod jure naturali sint sub cura parentum, tum quod periculum sit, ne redeant ad infidelitatem. Contrariam tamen esse doctrinam Scoti. Pontifex autem memorat

181. Judæorum infantes valide baptizantur. An etiam licite?

casus, quibus liberi Infidelium licite possint baptizari, 1 si adsit articulus mortis. 2. Si liberi ab Infidelibus sint abjecti, ac derelicti; cum patria potestas tunc amittatur, præterquam quod illa neque ad Jus Divinum positivum neque ad naturale aut Gentium pertineat, sed solius Juris humani sit creatura. 3. Si pater aut mater convertatur, velitque liberos baptizari, licite id fieri.

Cæterum, invitis licet parentibus, *valide* tamen baptizari infantes Infidelium; (quamvis Durandus contrarium senserit) adultos vero, qui ad rationis lumen jam pervenerunt, etiam licite, si petant baptizari.

Absolutio Generalis. 34. Datur Episcopis facultas in mortis articulo impertiendi benedictionem cum plenariis Indulgentiis, etiam per subdelegatos. Exhibetur formula & modus hanc benedictionem & Indulgentias impertiendi. Hunc modum impertiendi Indulgentias in his partibus *Absolutionem Generalem* appellant.

37. Publicam studiorum Universitatem, a Ferdinando Rege Hispaniæ in Collegio S. J. in Hispaniola erectam confirmat.

38. Quamvis Hebræus conversus, si solito more interpellet uxorem, an & ipsa converti aut cohabitare velit sine contumelia creatoris, illa autem renuat, libere possit matrimonium cum Christiana contrahere, non tamen potest uxori priori Judaico more libellum repudii dare.

40. Episcopo Spirensi adjudicatur Jurisdictio Episcopalis in Ecclesiam collegiatam B. V. M. in Bruchsal. Ubi plura de probatione exemptionis.

43. *Beatificatio Hieronymi Æmiliani* fundatoris Congregationis *Somaschæ*, sic dictæ ab exiguo agri Bergomensis oppido, in quo illius fundamentum jecit.

Levitates Bachantium. 45. Queritur de levitatibus & insolentiis, tempore *Bachanaliorum* exerceri solitis: duos autem maxime abusus reprehendit, & pro statu suo Ecclesiastico aboleri jubet. 1. Quod larvati usque in diem cinerum bachentur. 2. Quod diebus quoque festis larvati & circulatores insaniam suam continuent: quantumque Ecclesia levitates illas semper sit detestata, ostendit.

Articulus

Articulus III.

Anni 1748.

46. Tractat de scriptis venerabilis sororis Mariæ a Jesu *de Agreda*, sub titulo: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ omnipotentiæ.* Postulatum a Card. Aquaviva, nomine Regum Hispaniæ & utriusque Siciliæ fuit, ut suprema manus imponeretur examini prædicti operis, cujus prolatio impedimentum afferebat judicio de ancillæ Dei beatificatione, & canonizatione jam dudum instituto. 182. Agreda.

Bened. XIV in hujusmodi de canonizatione sanctorum negotiis 47 annos versatus, memorat, quid actum in hac causa ab Innoc. XI & XII, Clemente XII, pluribusque Congregationibus, atque illam S. Rituum Congr. demandavit, cum ante omnia de scriptis sit pronuntiandum; quam in rem adducit exemplum scriptorum Venerab. Servi Dei Roberti Bellarmini: atque comprimis examinandum, an ancilla Dei manifeste scripserit talem librum.

Ad hoc autem probandum non sufficere, quod liber præferat ipsius nomen, eique vulgo attribuatur, præsertim cum primum post mortem Venerab. sororis de Agreda sit editus: neque sufficere aliquot testes, qui de nota sibi manu deponant, cum nihil novi sit, alienam manum imitari: accedere igitur debere alia adminicula, uti peritos, qui comparatis pluribus scripturis, de identitate manus judicium ferant. An Mystica Civitas sit ejus opus?

At non sistere hic Inquisitiones, quas opus sit facere, ut ad normam Decreti Urb. VIII *constet*, quod *Mystica Civitas Dei* sit vere opus Venerab. Mariæ a Jesu. Novum quippe non esse, neque difficile intellectu, quod quis propria manu describat opus, quod vel ab alio ex integro sit compositum, vel cujus magna pars aliena constet inventione & doctrina. Per hoc tamen non pro certo contendi, quod ipsa non sit auctor libri; negari tamen non posse, quod usque ab initio aliqua de hoc excitata fuerit dubitatio; hanc tolli oportere, ut tuto pronuntiari possit, hoc revera esse opus ancillæ Dei.

Licet autem magna argumentorum vis sit allata, ad probandum, quod ipsa & non Confessarius sit auctor, cum tamen præter Mysticam Civitatem, tot alia opera eidem attribuentur, cur non adhibitæ fuerint opportunæ diligentiæ, quærit, ad comprobandam uniformitatem styli, cum ex artis criticæ regulis validissimum argumentum pro dignoscendis librorum auctoribus in comparatione styli, ejusque similitudine aut difformitate constituatur?

 Adhæc

Adhæc oportere ſcriptum primum Myſticæ Civitatis cum ſecundo comparare; nam Joſephus Ximenius in vita venerab. virginis narrat, quod, cum opus ſuum ſcripſiſſet, juſſa fuerit a confeſſario, illud comburere; quod cum feciſſet, juſſam ab alio confeſſario, magis perito, ut illud denuo recuderet, licet prioris exemplum apud Philippum IV Regem extaret. Eveniſſe autem non absque miraculo, ut ſecundum ſcriptum a priori non diſcreparet, niſi quod parva quædam additamenta, ac nonnullæ elucidationes acceſſerint. Scriptum utrumque exigit Pontifex, ut conferri poſſint.

Duplex ſcriptum.

Poſtquam autem conſtiterit, ven. ſororem vere eſſe auctorem libri, ſubeundum illi, juxta Urb. VIII alterum examen, *an contineat errores contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam vel peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ & conſuetudine alienam?* vocandam quoque in examen cenſuram Facultatis Sorbonicæ, qua primam partem Civitatis Dei, in linguam Gallicam verſam, perſtrinxiſſet.

Examen.

Neque ignotum eſſe opus de *Revelationibus & Viſionibus*, ab Euſebio *Amort*, Canonico Regulari Lateranenſi editum anno 1734, in quo diverſæ objectiones fiant contra eundem librum. Huic autem novo cenſori reſpondiſſe Didacum Gonzalez Mattheo, Franciſcanum Hiſpanum, qui ſuas reſponſiones anno 1747 edidit, ac ſummo Pontifici Bened. XIV dedicavit. Harum quoque objectionum & reſponſionum examen fieri debere.

Amort Objectiones.

Apologia.

Cum autem horum omnium disquiſitio longum tempus requirat, atque ea ratione, ſi ſecundum Statutum Urbani VIII procedendum, negotium Beatificationis nimium retardandum foret, Papa diſpenſando facit hanc gratiam, ut ſimultanee & de ſcriptis, & de virtutibus atque miraculis proceſſus fiant, ſic tamen, ut dubium ſuper virtutibus non abſolvatur, niſi prius edito a Papa Decreto, quo vel ſtatuatur, opus prædictum non eſſe ſervæ Dei, vel nihil in eo & aliis ejus operibus reperiri, quod ſit contra fidem, bonos mores, vel quod ſapiat doctrinam aliquam novam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ & conſuetudine alienam.

Proceſſus ſimultaneus.

Cæterum in hac cauſa nihil hactenus fuiſſe peractum, niſi quod poſt proceſſum ab Ordinario inſtructum, admiſſa ſit introductio ipſius cauſæ: approbata ſententia *ſuper non cultu*, & confectus proceſſus ad audiendas depoſitiones teſtium, quorum obitus imminere videbatur.

183. Impugnatio Profeſſionis.

47. Si quis *Nullitatem Profeſſionis Religioſæ* velit obtendere, juxta Tridentinum id facere debet intra quinquennium, & quidem coram ſuperiore ſuo Regulari, & Ordinario ſimul. Quinquennium autem hoc computandum eſt, a die Profeſſionis; poteſtque Proceſſus coram

Supe-

Superiore & Ordinario etiam ultra quinquennium continuari, si cœptus sit durante quinquennio. Per superiorem vero intelligitur localis: qui tamen hoc negotium alteri potest delegare, Juris Canonici perito. Si autem superior & Ordinarius dissentiant, causa ad Sedem Apost. devolvitur.

Si quis autem habitum antea sua sponte dimiserit, nullatenus ad ullam causam allegandam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur. Si autem retento habitu quis contra valorem suæ professionis agere velit, judicialis servandus est processus, positis articulis & interrogatoriis, atque examinatis testibus, citatisque interesse habentibus. Præsertim vero constituendus Defensor Professionis, aliaque agenda, quæ Tom. I Papa de matrimonio præscripsit.

Post lapsum quinquennium olim nemo amplius, professionem impugnans audiebatur; dein vero a Pontificibus aliquando concessum remedium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii.

49. Sancit, ut in Congregatione SS. Rituum semper sit unus e Societate Jesu inter Consultores. Cum autem P. *Ridolfi*, S. J. jam esset Consultor, adjunxit ei Emmanuelem de *Azevedo*, qui alias Pontifici in voluminibus ordinandis in unum corpus, utilem operam navaverat.

51. *Matrimonia cum hæreticis illicita* sunt. Nec solet Sedes Apost. dispensare, nisi adjecta conditione, *abjurata prius hæresi*, atque ut proles omnes educentur in Religione Catholica.

54. De augendo noviterque edendo *Martyrologio Romano* prolixe disserit. Prolixiora quædam elogia contrahenda. Inserendi posterioribus temporibus Beatorum aut sanctorum Catalogo inscripti, aut in Martyrologio omissi: quales sunt B. Greg. X. B. Zita. B Nicolaus Albergatus. B. Joannes de Prado. S. Eneco Abbas. B. Benedictus XI. S. Dominicus de Sylos Abbas Ord. S. Benedicti. 26 Martyres Japonenses. 19 Martyres Gorcomienses. B. Petrus de Arbues. B. Josaphat Polocensis. S. Wilhelmus Archiep. Bituricensis, jam ab Honorio III sanctis adscriptus. S. Wulstanus Episc. Vigorniensis. S. Jos. a Leonissa. S. Cath. de Riccis. S. Robertus Abbas Casæ Dei. S Gothardus Episc. Hildesiensis. S. Petrus Regalatus. S. Nicolaus Peregrinus. S. Wilhelmus Ep. Eboracensis. S. Franciscus Regis. S. Theobaldus Eremita. S. Camillus a Lellis. S. Franciscus Solanus. S. Stanislaus Koska. S. Bernard. Ep. Hildes. S. Virgilius Ep. Salisburg. S. Jacobus Picenus. S. Sturmius Abbas Fuldensis. S. Vincentius a Paulo. S. Fidelis a Sigmaringa.

184. Inserendi Martyrologio.

Dicit autem, Martyrologium antiquitus solos comprehendisse Martyres, unde & nomen sortitum. Accessisse deinceps Confessorum

aliorumque sanctorum nomina. Moris tamen non esse, ut solo *Beati* nomine decorati Martyrologio inserantur, Pontifices tamen quosdam inseruisse.

Prolixam deinde simulque eruditissimam Dissertationem subjungit de Clemente Alexandrino, Sulpitio Severo, & Siricio Papa, an isti in Martyrologio sint collocandi. Et primo quidem adducit veterum & recentiorum scriptorum de sanctitate *Clementis Alexandrini* suffragia. Sed hæc tanti non esse censet, ut Martyrologio sit inserendus; tum quia nulla de ejus cultu & sanctitate certa vestigia, tum quia ejus stromata aliaque opera, si non erronea, saltem suspecta sunt.

Clemens Alex.

Circa controversiam de *Sulpitio Severo* ex variis auctoribus probat, duos fuisse ejusdem nominis, alterum Episcopum virum sanctum, alterum Presbyterum S. Martini discipulum, qui ejus vitam scripsit, in Semipelagianorum & Millenariorum errores prolapsum, quamvis postea pœnitentem. Priorem fuisse expressum in Martyrologio hoc elogio: Bituricis sancti Sulpitii Severi Episcopi *ac Discipuli S. Martini.* Hæc autem ultima verba a correctoribus Martyrologii sub Urbano VIII fuisse deleta, ut S. Episcopus Bituricensis a Discipulo S. Martini secerneretur.

Sulpitius Severus.

Siricium Papam censet Martyrologio inserendum: propter famam sanctitatis vetustissimam, testimonio Valentiniani Imperatoris aliorumque confirmatam, litteras Apostolico Zelo plenas, defensum cœlibatum Clericorum adversus Jovinianum, defensam Ecclesiam adversus Manichæos & Priscillianistas.

Siricius inserendus.

Neque obesse Siricii sanctitati ea, quæ cum S. *Hieronymo* contigerunt, qui triennio Damaso Papæ ab epistolis fuerat, eo vero mortuo a Siricio successore dimissus, graves a Clero Romano, cujus vitia scriptis insectatus fuerat, persecutiones tulit, ut Roma in Palæstinam se conferre coactus fuerit, acerbe de Romanis questus; nam has Hieronymi persecutiones non esse attribuendas Siricio, sed quibusdam malis Clericis, quorum vitam redarguerat.

Neque obsunt quæ cum S. Hier. & Rufino contigerunt.

Sed neque Siricio obstare, quod *Rufino*, Roma Aquilejam patriam suam eunti, communicatorias litteras dederit; nam eo tempore necdum fuisse notam illius hæresin, ex Origene desumptam, utpote, quæ primum tempore Anastasii, qui Siricio successit, e latebris suis proruperit. Deceptos fuisse ab occultis hæreticis viros sanctissimos, Anicetum a Praxea, Julium a Marcello Ancyrano, Zosimum a Cœlestio, Damasum a Vitali Apollinarista &c.

Cal. sanctius.

58. Beatificatio Ven. Servi Dei *Josephi Calasanctii* a MatreDei, Fundatoris Congreg. Cleric. Reg. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

61. In.

61. Indultum celebrandi *tres Missas* in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum pro regnis & dominiis Hispaniarum & Portugalliæ, sic tamen, ut pro prima tantummodo Myssa accipiatur eleemosyna, reliquæ vero duæ applicentur pro defunctis in genere. Tres Missæ.

62. In Archigymnasio Romano seu Studio Generali, *Sapientia* nuncupato, erigit duas Cathedras, Mathematicæ videlicet & Chimiæ, attributis cuique 200 Scutis.

63. Prohibetur omnibus, ne in posterum libros, aut scripturas quascunque typis imprimant, aut aliter in lucem edant, in quibus de imminutione *Festorum de præcepto* sive pro sive contra agitur. Sibi autem reservat Pontifex ad instantiam Episcoporum &c. festa ad minorem numerum reducere, prout Constit. 65 ea reduxit in regno Neapol. citra Pharum, & in Diœcesibus Messanensi & Panormitana. Festa.

66. Continet erectionem Ecclesiæ Cathedralis Pinaroliensis, a Carolo Emmanuele Rege Sardiniæ petitam.

Adjungitur *Appendix* ad Tom II in qua continentur Orationes, a Bened. XIV occasione Canonizationis quinque sanctorum, Fidelis a Sigmaringa, Camilli a Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, & Catharinæ de Ricciis, tum in Consistoriis, tum Festo SS. Petri & Pauli publice habitæ.

CAPUT XXXII.

Excerpta

ex Tomo III. Constit. Epistol. &c. BENEDICTI XIV.

Articulus I.

Anno 1749.

1. Joanni V Portugalliæ & Algarbiorum Regi, ejusque successoribus in perpetuum tribuitur Titulus Regis *Fidelissimi*, propter insignia merita in Fidei Catholicæ propagatione. 185. Rex Fidelissimus.

2. Ma-

Invalidum matrimonium Judæi cum hæretica.

2. Matrimonium Judæi cum hæretica invalidum esse declarat, propter impedimentum *disparis cultus*, quod non quidem Canone, consuetudine tamen Ecclesiæ, quæ vim legis habet, est introductum. Hoc personam hæreticam directe ligari, quia per baptismum ingressa est Ecclesiam, ejusque jurisdictioni subjecta manet, licet per hæresin se ab illa separet, sicut alii rebelles. Infideles, seu eos, qui per baptismum nunquam ingressi sunt Ecclesiam, non ligari quidem per se & directe impedimentis matrimonii, quæ sunt juris mere Ecclesiastici, posse tamen ligari illis aliquando indirecte & ex obliquo; prout contingit in hoc casu, quo Judæus per accidens ita ligatur indirecte, & ex consequenti, hæretica vero per se & directe; adeoque matrimonium invalide inter illos fuisse initum, ac proin, si convertantur ad Fidem Catholicam, rursus coram Parocho ex forma Tridentini esse conjungendos.

Quamvis enim apud infideles & forte etiam apud hæreticos consuetudo non vigeat, cultus disparitatem pro impedimento habendi, consuetudinem particularem tamen cedere debere consuetudini universali Ecclesiæ, quæ vim legis obtinet. Neque paritatem esse cum matrimoniis in Hollandia absque Parochi præsentia initis, ad quæ in casu controverso se non extendere dispositionem Tridentini, doctissimi viri censuerint, prout alias declaratum.

Musica.

3. Multa erudite disserit de cultu & nitore Ecclesiarum, de paramentorum & sacræ supellectilis munditie, præsertim vero de cantu & musica, quam gravem, modestam, & ad devotionem excitantem desiderat, proscripto cantu & symphonia profana, molli, theatrali.

6. Engelberto de & in Sirgenstein, S. R. I. Principi, & *Abbati Campidunensi*, ejusque successoribus in perpetuum conceditur facultas ministrandi Sacramentum *Confirmationis*, jurisdictioni suæ spirituali subjectis.

186. Causa Virg. Anglicarum.

7. Occasione controversiæ, Episcopum inter Augustanum, & Virgines Anglicanas Mindelhemienses, quæ Superiorissæ suæ Generali, Monachii degenti, adhærebant, exortæ, Bened. XIV Decretum edidit; quo memorat, Institutum *Virginum Anglicanarum*, cujus regulas Clemens XI ad instantiam Maximiliani Emmanuelis, Electoris Bavariæ, approbavit, diversum esse ab Instituto *Jesuitissarum*, quæ fundatricem suam agnoscebant *Mariam de Warth* Nobilem Anglam, atque Audomari, aliisque Belgii locis, prout etiam Leodii, Treviris, Coloniæ, domicilium constituerant; sed ab Urb. VIII fuissent abrogatæ.

Nam.

Nam, cum prædicta Maria de Warth anno 1621 Romam fuisset profecta, novi sui Instituti confirmationem a Pontifice impetratura, Clerus Anglicanus se opposuit, eam vivendi rationem, quam mulieres illæ Anglicanæ introducerent, Missioni suæ periculum allaturam. Accessit querela Card. Clessélii Episcopi Viennensis, quod se inconsulto hujusmodi Domus in civitate sua fuisset constituta. Quare Urb. VIII earum Domos supprimi jussit, & earum fœminarum Institutum aboleri, anno 1631 de Wartha vero & Cambiana Romam ductæ, urbem pro carcere nactæ sunt. Anno 1637 prior valetudinis causa Leodium redeundi licentiam accepit. Mariæ de Warth. Jesuitissæ Institutæ.

Sub Pontificatu Innocentii XII plurium, tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium Germaniæ Principum preces ad Sedem Apost. delatas refert Benedictus, quibus petebatur confirmatio Instituti quarundam *Virginum Anglicanarum* nuncupatarum, quæ in variis per Angliam & Belgium locis constitutæ dicebantur. Hujus autem rei cognitionem demandatam fuisse Congregationi Concilii, ab hac vero exhibitarum Constitutionum revisionem Cardinali Colloredo: atque ab his, omnibus perpensis, approbatas fuisse prædictarum Virginum regulas, & a Clemente XI confirmatas anno 1703.

Verum ex eo, quod præfatæ Mariæ de Warth permissus fuerit regressus in Belgium, & Clemens XI confirmarit regulas Anglicanarum Virginum, duos Religiosos viros, Corbinianum Khamm *in Hierarch. Augustana*, & Franciscum Schmalzgrueber *Consil.* 56 *Tom.* 1 hanc deduxisse consequentiam, quod restitutum fuerit Jesuitissarum Institutum, Constitutio vero Urbani VIII abrogata. Hoc autem a veritate longissime abesse: aliter enim eas fœminas appellari in Constitutione Urbani, aliter in Clementina, multoque aliter describi, nec ullam in hac mentionem fieri de illa, prout tamen ex praxi Sedis Apost. fieri consuevit, si successor aliquid mutet, aut revocet.

Hinc statuit 1, Constitutioni Urb. VIII de suppressione Jesuitissarum non fuisse derogatum. 2. Institutum Virginum Anglicarum non esse Institutum Jesuitissarum. 3. Virgines Anglicanas, reprobatis cæteris aliis Constitutionibus, teneri ad observantiam earum tantummodo Constitutionum, quæ fuerunt confirmatæ a Clem. XI; posse tamen recurri ad Sedem Apost. si alias edendas censuerint. 4. Virgines Anglicanas non posse agnoscere tanquam suam fundatricem Mariam de Warth, multoque minus eam invocare, aut ei exhibere cultum publicum, vel alium quemcunque actum, quo videatur eidem adstrui sanctitas, nec Beatæ titulum ei deferre. 5. Anglicanas Virgines non esse vere Religiosas. 6. Promissiones earum ad summum Statuta Papæ de Virg. Anglicanis.

esse vota simplicia. 7. Eas esse subjectas Jurisdictioni Episcoporum, atque ad hos pertinere deputare Directores & Confessarios. 8. Circa Superiorissam Generalem nihil esse innovandum.

Cur non sint Religiosæ? Neque enim ad statum vere Religiosum constituendum sufficere, a Sede Apost. obtinuisse tantummodo approbationem regularum, licet vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittantur, nisi etiam approbetur status ut ordo vere Religiosus.

Denique Virgines Angelicanæ Mindelheimenses, occasione quarum hæc Constitutio est edita, restituuntur in integrum; Missæ in earum Ecclesia celebrentur, sicut prius, & SS. Eucharistiæ Sacramentum in ea asservetur, quam asservationem in templis, quæ non sunt Parochialia, concedere, per se ad solam Sedem Apost. spectat.

Articulus II.

Constit. de Jubilæo.

18. Jubilæum. Indulg. non suspensæ. Sequuntur plures Constitutiones de *Jubilæo*; atque imprimis *promulgat* annum sanctum, *suspenditque Indulgentias* extra urbem, exceptis iis, quæ concessæ sunt pro articulo mortis, aut iis, qui Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ recitant, de genu, vel juxta dierum ac temporum rationem stando: salvis item iis, quæ pro defunctis applicantur, & aliis quibusdam.

19. Jussit Deus in L. V. ut omnes Israelitæ ad templum Domini ter in anno, nempe in solennitate Azymorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum accederent. Unde exemplum Elcannæ & Annæ, atque Christi Domini, B. V. & S. Joseph. Jerosolymam ad templum ascendentium. Et quot postea sacræ peregrinationes in Palestinam, atque Romam ad limina Apostolorum! Memorantur SS. Patres, præsertim S. Chrysostomus, antiqui scriptores & recentiores, & inter hos Gretserus, Coccius, Hosius, Benzonius, Drexelius, illas commendantes, & adversus sectarios propugnantes. Invitantur Episcopi, Clerici, Regulares, laici, mulieres quoque, ut imitentur exemplum S. Helenæ, Eudoxiæ, Paulæ, S. Birgittæ. Proponitur splendor urbis, magnificentia templorum: præcipuus autem scopus itineris Indulgentia plenaria.

Exempla peregrinationum.

Tempus. His pro anno sancto a Bonifacio VIII definitus annus *centesimus*, a Clemente VI *quinquagesimus*, ab Urbano VI *trigesimus tertius*, a Paulo II *vigesimus quintus*. Additur prolixa instructio pro iis, qui ex fine

tam

tam sancto Romam peregrinantur. De Jubilæo *legendi* proponuntur ex Thomistis Soto & Sylvius, ex Scotistis Card. de Laurea, ex Societatis Jesu scriptoribus Svaresius, Raynaudus, Gabriel Antonius, Card. de Lugo. Scriptores de Jubil.

Proponuntur *visitandæ Ecclesiæ* quatuor, videlicet, S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, a Romanis trigesies, a peregrinis quindecies visitandæ, ita, ut quovis die omnes semel visitentur. Ecclesiæ visit.

20. A Cardinale, urbis & districtus Vicario in Spiritualibus Generali, deputandi *Confessarii*; qui possunt omnes fideles, etiam Regulares cujuscunque Instituti, ab omnibus peccatis & censuris, etiam in *Bulla Cœnæ* reservatis, *absolvere* pro foro conscientiæ, modo censuræ non sint publicæ; imo etiam ab his in ordine ad obtinendas Indulgentias Jubilæi. Omnia vota simplicia etiam jurata, exceptis votis castitatis, Religionis, iisque, quibus vertitur præjudicium tertii, *commutare* in alia pia opera; attamen semel tantum in anno Jubilæi. *Dispensare* præterea super irregularitate, ob violationem censurarum contracta, & occulta remanente: item in tertio gradu & quarto consanguinitatis in ordine ad remanendum in matrimonio contracto, modo impedimentum sit occultum: & in primo etiam affinitatis, ortæ ex copula illicita. Denique in impedimento criminis, neutra machinante, uti etiam in pluribus aliis. 188. Facultas Confessariorum.

21. Primum se esse asserit Benedictus Papa, qui ad lucrandas Jubilæi Indulgentias præter Confessionem *sacram* etiam *Communionem* requirat. Omnes Indulgentias, plenarias & non plenarias anno sancto suspensas declarat, excepto mortis articulo, iisque, quæ pro defunctis applicantur. An *Regulares* confiteri possint Pœnitentiariis in designatis Basilicis, magnam esse controversiam ait; eam autem se facultatem omnibus pro hac vice concedere. *Complicem* neque in anno Jubilæi posse absolvi. Eum etiam, qui non nisi peccata *venialia* habet, debere confiteri, si Indulgentias velit lucrari, cum confessio inter præscripta bona opera contineatur. Jam semel confessum, si intra tempus visitationis Ecclesiarum in mortale incidat, debere iterum confiteri, nec sufficere contritionem ut Indulgentias lucretur. Pueris, qui ad S. Communionem necdum apti sunt, posse hanc in aliud opus bonum a Confessario commutari. Communio. Regulares.

Quamvis autem unica in die Indulgentia obtineri possit, licet quis sæpius eo die opera præscripta peragat; aliud tamen esse de Indulgentiis Jubilæi, quæ toto anno sancto durant; has enim sæpius obtineri posse, si opera præscripta repetantur, exclusis tamen aliis favo- Una in die Indulg.

ribus circa absolutiones a censuris & reservatis, atque dispensationes, aut commutationes votorum, utpote, qui semel tantum obtineantur. Addit Decretum Congregationis Indulgentiarum, ab Innoc. XI expresse approbatum: ac 6 Martii 1678 solenniter promulgatum, *semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* De duarum hebdomadarum Jubilæo, inquit, hic non agi. Cæterum, licet detur facultas absolvendi ab omnibus peccatis, quantumvis enormibus, & censuris etiam in Bulla Cœnæ reservatis, id tamen non intelligi de *hæresi*, ad extrinsecum deducta; cum hujusmodi facultas in generali concessione non contineatur, sed semper expresse nominari debeat.

Durante anno sancto non solas Indulgentias pro vivis extra urbem suspendi, sed omnes etiam facultates & Indulta absolvendi a *Casibus reservatis* Papæ, nisi expressa detur exceptio, & privilegium, quale pro vertentis tunc anni Jubilæi tempore a Paulo III & Julio III accepit Societas Jesu. Hæc autem intelligenda de absolutione sæcularium; nam Prælatorum Regularium facultatem, suos Religiosos absolvendi a reservatis non esse suspensam.

24. Indulgentiæ Jubilæi extenduntur ad Moniales, carcere detentos, senes, ægrotos, alioque, *qui templa visitare non possunt*, modo aliis bonis operibus, sibi injunctis, defectum visitationis Ecclesiarum suppleant.

25. Regularibus *Apostatis* condonantur pœnæ, si citra montes intra 4 menses, & ultra montes intra 8 menses ad ordinem suum redeant.

Articulus III.

Anno 1750.

27. *Extenditur Jubilæum ad universum orbem Catholicum*, cum iisdem fere conditionibus, privilegiis & favoribus, quibus in urbe fuit celebratum. Specialiter exigit Pontifex, ut Indulgentias lucraturi & facultatibus usuri visitent templum *Cathedrale*, & tres alias ejusdem civitatis Ecclesias per 15 dies; quem tamen numerum Episcopus ad minorem ex justis causis possit reducere, & cum Regularibus, aliisque, qui Cathedrale accedere non possunt, dispensare.

Visit. Cathedrale.

28. Exhibetur Epistola Encyclica Pontificis ad omnes fideles de extensione Jubilæi per universum orbem Catholicum. Laudat ingentem Romam concursum ex omni gente, remotissimarum etiam regionum,

num, Armeniæ, Syriæ, Ægypti. Repetit breviter, quæ de Jubilæo anni sancti, de Romipetis &c. sanciverat, atque ea in extensione etiam Jubilæi locum habere declarat.

Anno 1751.

29. Tractatur de Immunitate Ecclesiarum locali, seu jure *Asyli.* Repetuntur priorum Pontificum, præsertim Benedicti XIII & Clem. XII Decreta, videlicet homicidium, animo præmeditato & deliberato, imo & in rixa commissum, si non sit casuale, aut ad propriam defensionem patratum, non gaudere Asylo. Si indicia adsint, quæ ad capturam sufficerent, reum a potestate Ecclesiastica posse extrahi, & in suos carceres duci; ut autem talis extractus curiæ sæculari possit tradi, requiri indicia, quæ ad torturam sufficiant. Extractionem autem fieri non posse sine consensu Episcopi, & interventu personæ Ecclesiasticæ, ab ipso deputandæ; nec extractum curiæ sæculari posse tradi, nisi ea lege, ut Ecclesiæ restituatur, si indicia purgarit. 189 Asylum. Quando & quomodo extrahendi.

Clemens XII ad *Clericos etiam homicidas* hanc dispositionem extendit: Bened. XIV insuper ad *Regulares*, mulieres, & milites, licet non armis ad occidendum consuetis, sed lapide e. g. aut baculo usi fuerint. Statuit porro, reum posse extrahi, licet percussus adhuc vivat, si Chirurgus de gravi vitæ periculo testetur.

30. Præfecto Missionum in Ægypto datur facultas extraordinaria, conferendi (Chrismate tamen ab Episcopo benedicto) *Sacramentum Confirmationis* illis, qui a Sacerdotibus Latinis baptismum acceperunt, & 7 ætatis annum attigerunt.

32. Tractatur de Mensa Nummularia, seu Bancho Depositorum, a Paulo V Romæ erecto.

33. *Canonicis Regularibus* Præmonstratensibus conceditur facultas assequendi & retinendi quascunque Parochiales & Vicarias, tam sæculares quam Regulares, absque dispensatione Apostolica.

38. Jejunium *Vigiliæ S. Mathiæ*, incidens in ultimam diem Bachanaliorum transfertur in præcedentem diem sabbati quinquagesimæ, ob periculum violationis, petentibus id propterea pluribus Episcopis.

41. Tertio Ordini S. Francisci novæ conceduntur Indulgentiæ: aliæ vero abrogantur.

42. *Rosam Auream*, Dominica *Lætare* benedici a Papa solitam, Ecclesiæ Bononiensi transmittit, addita erudita de illa dissertatione.

43. Presbyteris Latini Ritus in Russia, Podolia, Uckrania permittitur, ut in Ruthenorum unitorum Ecclesiis, deficiente altari lapideo, & calice aureo vel argenteo, Missam celebrare possint super eorum Antemensiis, & *calice stanneo;* eo quod frequentes in iis sint Ruthenorum unitæ Ecclesiæ, rarissimæ vero Ritus Latini.

44. Monachos Ord. S. Basilii Græci Ritus, ad hujus observantiam, & linguæ Græcæ studium hortatur.

46. Spicarum collectionem pauperibus post messem relinquendam pro ditione sua decernit.

190. Conventicula Muratoriorum vetantur.

47. Confirmat Constitutionem Clementis XII, qua damnavit Conventicula Muratoriorum (*de' liberi Muratori* seu *des Francs Macons*) eaque iterum damnat ac prohibet sub excommunicatione, invocato etiam Brachio sæculari. Causas affert, 1 quod cujuscunque Religionis ac sectæ homines congregentur, non sine perversionis periculo. 2. Arctum secreti fœdus, quo occultantur, quæ in Conventiculis fiunt. 3. Juramentum, quo se ad secretum obligant, & hoc ipso suspectos faciunt, & legitimis potestatibus præjudicant, quibus respondere tenentur & fateri, quæcunque exquirunt, ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis aut Reipublicæ statum, & leges. 4. Quod hujusmodi Societates non minus civilibus quam Canonicis sanctionibus adversentur; quum Jure Civili omnia Collegia & Sodalitia, præter publicam auctoritatem consociata, prohibeantur, ut videre est *ff. lib.* 47. *Tit.* 22. *de Collegiis & Corp. illicitis.* 5. Quod jam in pluribus regionibus hæ Societates & aggregationes legibus secularium Principum proscriptæ fuerint. 6. Quod eædem apud prudentes & probos male audiant.

Et cur.

191. Oratoria privata.

48. Exhibet Decretum, quo Clemens XI prohibuit Episcopis & superioribus Prælatis, extra domum propriæ habitationis *in domibus laicis*, sive in propria sive aliena Diœcesi, *erigere altare*, ibique Missam celebrare, aut celebrari facere. Regularibus vero quibuscunque interdixit, ne in *Oratoriis privatis*, quæ per sanctam sedem concessa fuerint, etiamsi essent Episcopi, celebrent diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi, aliisque solennioribus. Reliquis vero diebus, in Indulto non exceptis, unam tantum Missam ibidem legi concedit ante meridiem, altera omnibus Sacerdotibus, etiam Episcopis, interdicta, ita, ut præcepto Ecclesiæ non satisfaciat, qui illas posteriores audit. Privilegia vero altaris Portatilis a Trid. omnino fuisse sublata, & revocata.

Bene-

Benedictus XIV epistola ad Poloniæ Episcopos data, nihil a Trid. aut Clem. XI derogatum esse ait *Capellis* Episcoporum, neque prohibitum, ut in domo *propria habitationis*, sive in sua sive aliena Diœcesi versentur, utantur pro se vel alio *altari portatili*, non tamen in *privatis laicorum domibus*, hanc enim potestatem Sedi Apost. fuisse reservatam. *Oratorium* autem parietibus ab omnibus aliis domesticis usibus segregatum esse debere, ab Episcopo prius, vel ejus delegato visitandum; ut Episcopus sit, qui Missam ibidem legendi licentiam impertiatur; nec plures in die, sed unica tantum Missa celebretur, a Sacerdote sæculari vel Regulari, non tamen Festo Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & aliis solennioribus, inter quæ sunt Epiphaniæ, Ascensionis, Annuntiationis, Assumptionis B. V. omnium sanctorum, Petri & Pauli, Patroni Titularis Ecclesiæ loci. Altare portatile.

Porro *unam saltem personam* ex iis, quibus privilegium concessum est, præsentem esse oportere, ut consanguinei, affines & familiares præcepto audiendi Missam satisfaciant. Si quis speciale privilegium acceperit, curandi, ut festis etiam exceptis Missa una in Oratorio privato legatur, in Nativitate Domini tres Missas posse celebrari.

In privatis ædibus *baptismum* non debere ministrari, nisi necessitas exigat, aut Regum vel Principum filii essent baptizandi; nec confessiones in iis audire, nisi subsit rationabilis causa, & locus sit decens & patens. Communionem Paschalem in Parochia peragendam, vel in alia cum Episcopi aut Parochi consensu Dominica Paschatis extra Parochiam nemini Communionem præberi posse, etiamsi præcepto Communionis Paschalis jam satisfecerit. Neminem in privato Oratorio posse Communionem sumere, nisi de Sedis Apost. licentia, licet ibi Missa legatur.

Post Trid. equidem datum quibusdam privilegium altaris portatilis, sed illud ad *casus necessitatis* fuisse restrictum, puta, si in loco nulla sit Ecclesia, aut propter hæreticorum potentiam Fideles in illa convenire non possint.

49. Cum Judæi in Polonia in immensum augerentur, commercia ad se traherent, & Christianos usuris opprimerent, Papa ea propter data Epistola Polonos hortatur, ut eam gentem non omnino exscindant, in officio tamen contineant.

50. Diuturna erat controversia inter Domum Austriacam & Rempublicam Venetam de Patriarchatu Aquilejensi. Hæc anno isto fuit composita per Uhlefeldium, & Tronum Venetorum in Aula Cæsarea Oratorem, his articulis. 192. Patriarchatus Aquilejæ extinguitur.

1. Optio

1. Optio relinquitur Pontifici, an suppresso Patriarchatu Aquilejensi duo Archiepiscopatus erigantur, *Goritiensis* alter pro terris Austriacis, alter *Utinensis* pro Dominio Venetiarum, perfecta tamen æqualitate.

2. Sub abolitione Patriarchatus intelliguntur etiam omnes dignitates, Canonicatus & Beneficia; sed qui ex parte Imperii sunt, *Goritienses*, & qui ex parte Reipublicæ sunt, *Utinenses* appellentur.

3. Cardinalis *Delphinus* ad dies vitæ titulum Patriarchæ & honores retinebit, absque ullo tamen præjudicio.

4. Post ejus autem mortem omnino hic titulus cessabit.

Conditiones. 5. Hæ concordiæ leges sint perpetuæ; neque a Pontifice mutatio petatur.

6. Reditus Ecclesiæ Aquilejensis ita dividuntur, ut, qui ex terris Austriacis proveniunt, Goritiensi Archiepiscopo & Canonicis obveniant, qui vero ex Venetorum terris, Utinensibus.

7. Si quæ durante controversia ablata fuerint, bona fide restituantur.

8. Ex parte utraque apud sanctitatem suam instabitur, ut huic conventioni, & erectioni duorum Episcopatuum loco Patriarchatus Aquilejensis velit benigne annuere, prout alias jam propensam se declaravit.

Causæ. Summus Pontifex hanc conventionem approbavit, considerans etiam Patriarchatus Aquilejensis exordia (*a schismate trium Capitulorum Sæculo VI enata*) gravissimas perturbationes, quibus Ecclesia Dei propterea fuit vexata, dissensiones & bella, occasione hujus Patriarchatus enata, pericula in futurum, si subsisteret, Aquilejæ præsentem conditionem tam miseram, ut a multo jam tempore nullus in ea Patriarcharum resederit, spirituales necessitates tot millium animarum in amplissima Diœcesi, ultra modum extensæ ad remota etiam loca.

Ejus loco eriguntur duo Archiepiscopatus. Quas aliasque ob causas Patriarchatum Aquilejensem in perpetuum suppressit, duosque Archiepiscopatus, æqualibus omnino juribus erexit, relicto Cardinali Delphino, dum vixerit, Patriarchæ titulo. Et Utinensi quidem Archiepiscopo subjecit totum illum regionis tractum, qui in Dominio Veneto hactenus Patriarchæ Aquilejensi fuerat subjectus, & in suffraganeos omnes Episcopos, qui ex eodem Dominio eidem paruerant: Goritiensi vero alteram Patriarchatus Aquilejensis partem, quæ Austriaco subest Dominio, quæque novissimis temporibus per Vicarium Apostolicum, Episcopali charactere præditum, a Sede Apost. ibidem constitutum, gubernata fuit, attribuit, ita, ut statim, ac novus Archiepiscopus ibidem præficietur, Vicarii Offi-

cium

cium cesset. Archiepiscopo autem Goritiensi subjicit tanquam *suffraganeos* omnes Episcopos, quorum Ecclesiæ Cathedrales in temporali ditione Austriaca consistunt, & hactenus Aquilejensi Patriarchæ fuerant subjecti. Goritiensis.

Jus nominandi ad Archiepiscopatum Goritiensem tribuit Mariæ Theresiæ, Reginæ & in Imperatricem electæ, ejusque successoribus in perpetuum, ad *Utinensem* vero Reipublicæ Venetæ, post obitum aut renuntiationem Card. Delphini, cujus successores non alio ac *Archiepiscoporum Utinensium* titulo utentur. Cathedralis autem Ecclesia, quæ hactenus Aquilejæ fuit una ex duabus Parochiis, ita extinguitur, ut nequidem jure Parochiali deinceps gaudeat, sed tota animarum cura ad alteram Parochiam, quæ est S. Joannis, transferatur. Et cum Aquileja sita sit in ditione Austriaca, Goritiensis plenam in eandem jurisdictionem Ecclesiasticam exercebit. Ecclesia vero, quæ fuit Patriarchalis, Cathedrali & Parochiali jure exuta, immediate deinceps erit subjecta Sedi Apost. substituto in ea Delegato Apostolico, ex subditis Domus Austriacæ eligendo. Et Utinensis.

Subscripserunt Bened. XIV Papa: *Cardinales Episcopi*: Rufus Decanus & Ep. Ostiensis: Annibal Albani Ep. Portuensis: Carafa Ep. Albanensis: Gentili Ep. Prænestinus; de Ilcio Ep. Sabinensis: Guadagni Ep. Tusculanus. Item *Cardinales Presbyteri*, Lercari, Burghesius, Riviera, Aldrovandus, Spinellus, Rezzonicus, Passioneus, Valenti, Sacripantes, Portocarrero, Paulutius, Cavalchinus, Oddi, Riccius, Rufus, de Montibus, Tamburinus, Besutius Major Pœnitentiarius, Mesmerus, Mellinus, Henricus Dux Eboracensis: *Cardinales Diaconi*, Alex. Albanus, Corsinus, Hier. Columna, Prosper Columna de Sciarra, Tanarius, Bardi, Ursinus. Card. subscript.

51. In Indiis Occidentalibus, Regi Hispaniarum subjectis, solos hactenus Regulares, ex privilegiis Apostolicis curam animarum exercuisse commemorat, Clero seculari excluso, quamvis frequenti, moribus & doctrina conspicuo. Querelas propterea ab Episcopis Americanis delatas ad Regem Catholicum, ad cujus instantiam *Clerum etiam secularem* in partem laboris admittendum censeat. Admittuntur etiam Clerici seculares ad Parochias in Indiis.

Olim Monachos & alios Regulares Parochiarum fuisse capaces, quibus ex recentiori disciplina Canonica ipsis sit interdictum, nisi dispensatione Apost. muniantur ad instantiam Episcopi pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate. Pium V equidem Regulares Parochiarum in Indiis reddidisse capaces, sed addita ratione: *propter presbyterorum defectum*. Jam vero, cum ex testimonio Episcoporum multi ex Clero seculari sint idonei, eos quoque esse admittendos, per prævium exa-

mea probatos, Regularibus tamen non exclusis, modo in iis, quæ ad curam animarum spectant, Episcopis sint subjecti.

52. Beatificatio Joannæ Franciscæ *Fremiot de Chantal*, Ordinis Monialium *a Visitatione* S. Mariæ Fundatricis, quæ primum conjugata, dein vidua singulari vitæ sanctimonia, Directore S. Francisco Salesio, inclaruit: quatuor miraculis approbatis Romæ in numerum Beatorum relata.

Articulus IV.

Anno 1752.

193. De bonis Ecclesiæ emptis a Turcis aut conductis, vel usurpatis.

57. Cum Turcæ *Albaniam* occupassent, magnam bonorum, ad Ecclesias pertinentium, partem diripuerunt; quorum aliqua dein Christianis vendita, alia ad colendum fuerunt locata. Alii autem eversarum Ecclesiarum areas & terras, domibus aut fundis suis vicinas, usurparunt. Quærit jam Archiepiscopus *Antibarensis*, quomodo in his se gerere debeat, an, & quodnam remedium adhibendum?

Respondit Congregatio de Propaganda, injungendum esse Missionariis, Parochis & Confessariis, ut pœnitentibus demonstrent, non posse eos ejusmodi bona, sive a Turcis emerint, sive tanquam derelicta sibi usurpaverint, retinere; ideoque necessarium esse, ut legitimum aliquem titulum habeant, quo se in possessione confovere possint, uti *novos ineundo contractus*, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam Canonibus impositis.

Capta in bello justo.

A nemine in dubium vocari posse, ait Pontifex, quidquid in *bello justo* capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire, mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus illa occupaverit, immobilia vero in dominium supremi Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut majores ad se defendendum vires sumat, ac se a futuris eventibus tueatur. Contra vero in bello *injusto* totum id, quod capitur, absque dubio restituendum esse: cum tunc occupatio nihil aliud sit quam *rapina* formalis.

In injusto.

Quum igitur bellum, quo Turcæ Christianis Antibarum eripuerunt, haud dubie fuerit injustum, rapinam ab illis fuisse commissam, ac proin ex justitia ad restitutionem omnium usurpatorum eos obligari. Adhæc, sicut peregrinos & hospites, qui sunt in urbe hostili, spoliare non licet, nisi constet de eorum culpa, quia non sunt pars Reipublicæ hostilis, sic neque Ecclesias, Monasteria vel Ecclesiasticos, etiamsi

Ecclesiæ non sunt pars populi hostilis.

etiamsi ex causa rationabili data sit civitas prædæ militum; quia neque ipsi vere sint *pars populi hostilis*, ac nocentis; idque a Laymanno etiam extendi ad mercatores & agricolas, quibus sit parcendum propter publicas necessitates. Licet autem Canonicæ leges in praxi negligantur, earum tamen rationem necessario habendam ad conscientias tuto dirigendas.

Contra vero a Theologis de Propaganda anno 1630 duo prodiisse Decreta: quorum 1 responsum: *Bona Christianorum, a pyratis rapta, posse Fideles absque noxa mortali & onere restitutionis, emptione aut alio legitimo titulo, sibi accipere, & in usus proprios convertere, non obstante, quod sint in bello injusto rapta.* 2. *Fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per pyratas Christianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamsi pyratæ bona illa subripiant spe lucri, alias non furaturi.* Hæc autem responsa etiam a Consultoribus S. Officii fuisse approbata; addidisse tamen quosdam, *requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si dominus occurrerit.* Eandem esse sententiam Molinæ; *licitum esse Christianis, eas merces emere a Mahometanis pyratis vili etiam pretio, eo animo, ut, si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio, sin minus, emptor eas retineat; quoniam verisimile est eam esse præsumptam dominorum voluntatem, & quoniam essent quodammodo irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent.* Atque ita respondisse Molinam Christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit.

Empta a pyratis.

Molinæ sententia.

Allegat dein Papa Hugonem Grotium, qui asserit, *rem alienam, bona fide emptam, esse restituendam, nec posse erogatum pretium repeti*: posse tamen deduci, quantum dominus, ut rem recuperaret, libenter esset expensurus, uti etiam, si emptor quid sumptus aut operæ impendit. Si autem possessor bonæ fidei rem consumpserit, eum non teneri, nisi in quantum factus est locupletior. (*Quia utilis negotiorum gestor debet manere indemnis.*)

Jure Civili cautum esse, ut, qui *alienum servum*, ab hostibus captum, emit, illius dominium adquirat, ea tamen lege, ut eum restituere teneatur antiquo Domino, si hic pretium rependat. Et hoc, si scivit emptor, esse alienum; si autem nescivit, triennium tantum domino ad redimendum concedi. *L. in bello §. si quis ff. de capt. & postlim. reversis. L. ab hostibus c. eod.*

Emptio servi alieni.

Hæc autem de rebus *Mobilibus* intelligenda esse, inquit Papa, prout etiam Decreta Congregationum, de quibus supra, anno 1630 emanata. Differentiam autem esse inter bona mobilia & immobilia. Fundamen-

Disparitas inter Mobilia & Immobilia.

damentum, quo nititur sententia, quod Fideles tuta conscientia retinere possint bona mobilia, quæ a Turcis emerunt, ab his autem bello injusto Christianis erepta fuerunt, in *præsumpta dominorum voluntate* positum esse, qui libentius, aut certe minus moleste ferre debeant, quod illa in Christianorum potestatem deveniant, quam apud Turcas remaneant, a quibus facilius disperderentur; ut recte Molina ponderat.

Fundata in præsumpta dominorum voluntate.

Hanc autem rationem, a præsumpta dominorum voluntate desumptam, ad bona *Immobilia*, quæ Christiani emunt, extendi non posse, tum quia domini fructus amittunt, tum quia non est periculum, ne bona ista disperdantur. Hinc majori in bellis privilegio gaudere bona immobilia, quam mobilia; hæc enim, postquam in militum manus devenerunt, licet dein pax conficiatur, non amplius restitui, illa vero pristinis dominis reddi.

Lessii sent.

Lessium, qui anno 1623 ante Responsa Congregationum obierat, ad quæstionem, an Catholicis liceat ab hæreticis emere bona Ecclesiastica, respondisse negative, nisi id fiat cum animo ea restituendi legitimis dominis, cum omnibus emolumentis & fructibus; quia bona illa sunt aliena, prout etiam fructus. Unde & hæreticos obligari ad eorundem restitutionem. Consilium autem emptoribus hujusmodi dari a Lessio, ut cum bonorum dominis novos contractus ineant, quorum præsidio possessionem juste retinere possint.

Pontifex autem respondet, secundum Decreta anni 1630 faciendo iterum cum Molina discrimen inter mobilia & immobilia: & illorum quidem dominium, sed revocabile, in emptorem transire, qui deinde illa domino, pretium offerenti, restituere tenetur. Aliud esse de emptore immobilium, quorum dominium semper maneat apud legitimum dominum, nec transferri in alterum sine ejus voluntate; quæ circa mobilia præsumi possit, non autem circa immobilia.

Igitur ista cum omnibus fructibus perceptis ab emptore restituenda esse domino, sine ulla pretii restitutione, sicut rei furtivæ emptor malæ fidei juxta S. Thomam non potest repetere pretium a domino; cum talis repetitio nullum justum titulum habeat. Imo etiam bonæ fidei emptorem rei furtivæ non posse a domino pretium repetere. Id ipsum deduci ex regula, quam sequantur majora Tribunalia, bona immobilia Ecclesiarum, ab hæreticis occupata, ipso jure redire ad Ecclesiam, ad quam pertinebant.

Non sunt derelicta.

Neque præscribi ea posse ob defectum bonæ fidei, neque occupari aut retineri titulo *Derelicti*; non enim inter bona derelicta censeri posse, quæ dominus ob impotentiam non recuperat, sed quæ sponte deserit, ita, ut in numero rerum suarum esse nolit. Hinc nequaquam

quam esse derelicta, quæ quis ad vitandum naufragium in mare projicit.

Atque ex his facile patere, quid de casu Antibarensi sentire oporteat; emptores nempe bonorum immobilium, ad Ecclesias olim pertinentium, & multo magis direptores, obligari ad illa cum fructibus perceptis restituenda, sine refusione pretii; si tamen inde vel a Turcis vel aliunde gravia essent timenda persecutionum pericula, se, pro supremo suo bonorum Ecclesiasticorum Administratoris Officio, parato esse animo, possessoribus perceptos fructus condonandi, atque ad possessionem fundorum idoneos reddendi, ne forte Christianæ Religionis eversionem intueri in illis regionibus, aut Episcoporum ejectiones, vel persecutiones audire cogamur. Qua auctoritate Prædecessores Pontifices similibus in casibus uti non dubitarint. Papa potest ea donare.

Quum tempore *Mariæ Angliæ Reginæ* Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset provincia, Angliam cum Romana Ecclesia conciliandi, Julium III 1554 facultatem eidem concessisse, cum his, qui bonorum Ecclesiasticorum possessionem injuste occupaverant, quique ad Ecclesiam redirent, concordandi & transigendi super fructibus male perceptis, & super mobilibus consumptis, restitutis immobilibus, per eos indebite detentis. Alio dein Brevi multo ampliorem eidem Cardinali potestatem esse factam, etiam super retentione immobilium cum possessoribus transigendi & dispensandi, cum plena absolutione a censuris. Exemplum Angliæ.

Patrem *Schmalzgrueber Consil.* 15 *Tom.* 2 perpendere casum haeretici Principis, qui ab A. C. transit ad Religionem Catholicam, quomodo se gerere debeat quoad bona Ecclesiastica, quæ vi Pacis West. ab Ecclesia reprobatæ, possidet, atque resolvere, *quod vel restituere illa teneatur, vel ad ea retinenda dispensationem Sedis Apost. sollicitare:* exemplo Ducis Neoburgici Wolfgangi Wilh. & ejus filii Philippi Wilh. Electoris Palatini. Palatinatus.

Clementem XI ad Augustum II Poloniæ Regem anno 1712 scripsisse, quod neque ab ipso, neque ab alio, qui ad Ecclesiam redit, restitutionem bonorum, quæ per Saxoniam antiquitus ad Ecclesiam pertinebant, sit postulaturus: quin imo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si hæresi ejurata ad Catholicam fidem redeant, se illis præfata bona omnia in perpetuum condonare, ita, ut neque a successoribus in Sede Apost. in posterum quidquam adversus hæc postulari queat. Saxoniæ.

Denique casus istos non per omnia similes esse nostro Antibarino, subjungit Bened. XIV; ibi enim actum de illis, qui ad Ecclesiam redire cupiebant, hic autem de iis, qui sunt Catholici; idem tamen esse rationis fundamentum, ut scilicet suprema Sedis Apost. auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis ac urgentibus casibus, quibus per ordinariæ auctoritatis usum provideri non possit. Non autem multum differre, recessum a fide avertere, atque, accessum ad illam promovere.

58. Martinus de *Prades* Sacerdos Moltalbanensis folium proposuit, continens Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit, sub titulo: *Hierusalem cœlestis. Quæstio Theologica: quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitæ?* Hoc folium Papa damnat tanquam continens propositiones, respective falsas, piarum aurium offensivas, male sonantes, temerarias, erroneas, blasphemas, impias, hæresi proximas, hæreticas, ac faventes Deistarum & Materialistarum erroribus.

59. Basilicæ Vaticanæ S. Petri, & illius Archipresbyteri, Capituli, Cleri, jura, privilegia, prærogativas confirmat, augetque.

60. Congregationi piorum operariorum (ex Sacerdotibus sæcularibus constanti) providet, & rigorem regularum temperat.

61. Oppidum Pergulæ in civitatem erigit.

62. De Ecclesiasticorum jure interveniendi & sententiam dicendi in consiliis &c.

Additur Tomo III iterum *Appendix*, qua continentur variæ allocutiones, & orationes a Bened. XIV in Consistorio secreto, Basilica S. Mariæ Majoris &c. habitæ. Concessum Warmiensi Episcopo jus Pallii. *Matrimonium* sponsorum Catholicorum in locis, ubi Tridentinum est promulgatum, tam in ratione Contractus quam Sacramenti nullum declaratur, si tantum coram Magistratu sæculari, aut hæretico Ministello contrahatur. Quare, si consuetudo regionis aut mandatum Magistratus id habeat, ut matrimonia sic de facto inire cogantur, non omittant dein coram Parocho alterutrius & testibus vere contrahere. Nec paritatem esse cum casu deciso, quo persona Catholica cum hæretica in Fœderato Belgio, aut urbibus, in quibus Batavi sua habent præsidia, conjungitur. Denique instante Joanne Lusitaniæ Rege S. Franciscus *Xaverius* Indiarum Orientalium Patronus & Protector principalior declaratur, mandaturque, ut in India ejus festum sub ritu duplici primæ classis cum octava celebretur.

Matrim. cland. neque in ratione Contract. valet.

S. Xav. Ind. Patronus princip.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Excerpta ex Constitutionum BENEDICTI XIV.

TOMO IV.

Articulus I.

Anno 1752.

1. Ecclesiam Archiepiscopalem *Goritiensem* erexit, de justa causa anti- 194.
quas supprimendi, novasque constituendi, urgenti videlicet necessitate avertendi dissidia praefatus. Repetit dein Constitutionem 50 de extinctione Patriarchatus Aquilejensis, & erectione duorum Archiepiscopatuum, Utinensis & Goritiensis, refertque amplitudinem Goritiae, Religiosas familias, eam incolentes &c. Ecclesiam S. Crucis in Archiepiscopalem erigit, atque Goritium in Metropolitanam, Sedem Episcopi & provinciae caput; Praesul vero Pallii & Crucis usum aliorum Archiepiscoporum more habeat, aliasque praerogativas & praeeminentias.

Novus Archiep. Goritiensis.

Episcopos vero suffraganeos eidem subjicit, *Tridentinum*, *Tergestinum*, *Petinensem*, *Comensem*, Patriarchae antea Aquilejensis suffraganeos, cum plena auctoritate, illos consecrandi, ad Concilia Provincialia evocandi, appellationes admittendi, aliaque, quae de jure vel consuetudine ad Archiepiscopos pertinent, exercendi. Constituitur Capitulum, Praeposito, Decano, Primicerio, & 5 Canonicis constans, additis sex Presbyteris & duobus Cappellanis. Quibus reditus annui assignantur, Archiepiscopo 6600 floreni, Praeposito 1000, Decano 800, Primicerio 600, singulis Canonicis 450, singulis Mansionariis seu Presbyteris 200, singulis ex duobus Cappellanis 150, monetae currentis in ditionibus Austriacis. Qui proventus potissimum ex iis, quae ad Patriarchatum pertinuerant, ex legatis, & ex Monasteriis Ord. S. Benedicti, in commendam concessis, atque ex Beneficiis Ecclesiasticis desumuntur. Jus vero nominandi ad omnes istas dignitates, Canonicatus, Praebendas attribuitur Reginae & ejus successoribus.

Ejus suffraganei. **Reditus.**

3. Cum *Abbatiam* inter *Fuldensem*, potestate quasi-Episcopali ornatam, *nulliusque Dioecesis*, Provinciae Moguntinae, atque inter *Episcopum Herbipolensem* variae super Jurisdictione Ecclesiastica in quibus-dam

Compositio inter Herbip. & Fuld.

dam locis, ortæ fuissent lites, plures ab illis transactiones fuerunt initæ, præsertim anno 1722, quibus Abbati separatum territorium cum amplissimo jure in Clerum & populum asseritur, tam in civilibus & matrimonialibus laicorum, quam in beneficialibus & criminalibus Clericorum, aliisque Ecclesiasticis causis, & ordinationibus quibuscunque, ita, ut in Beneficiis curatis & non curatis Clericos instituere, aut destituere, visitare, synodum congregare, & alia omnia facere, quæ a potestate quasi - Episcopali dependent, ipsi semper liberum & integrum sit, sine ullo ad Episcopum Herbipolensem appellandi jure, atque tam Regulares, quam sæculares sui territorii ad suscipiendos sacros Ordines, ad quemcunque Episcopum, communionem cum sacra sede habentem, mittere, aut talem accersere, ad Sacramentum Confirmationis conferendum, consecrandas Ecclesias, altaria &c.

Abbas vero Princeps Fuldensis concedit, ut, si Ecclesia Fuldensis contra Fundatorum mentem in laicales Catholicorum aut Acatholicorum manus incideret, Ecclesia Herbipolensis prætensum jus suum Episcopale hoc casu libere exerceat,& tamdiu retineat, donec Ecclesia Fuldensis in statum pristinum fuerit restituta. Tam tristes autem eventus ne contingant, Herbipolensis imploratus omnem opem & assistentiam suam præstabit.

Hanc transactionem Bened. XIV approbavit hac constitutione.

195. Episcopatus Fuld. erigitur.

4. Sequenti vero eandem *Abbatiam* omnino in *Episcopatum* erigit, cum omnibus juribus & prærogativis, retento tamen statu Regulari. Ubi recenset insignes prærogativas Principalis hujus Abbatiæ: insigne hoc Monasterium Ord. S. Benedicti, a S. Bonifacio in Buconia fundatum, Sedi Apost. immediate subjectum, quod suam Civitatem cum Seminario Alumnorum, & Academia studii Generalis, ac territorium separatum, novem Præposituras, oppida multa cum non nullis sæcularibus Collegiatis Ecclesiis, ac non exiguo Parochialium Ecclesiarum numero sub se habet, & in quo abundantissimus Monachorum sub Regulari observantia alitur numerus, ex quibus 30 ad minimum quotidiana Officia Divina, tam in Choro quam Ecclesia peragunt; cujus Monasterii proventus ad 320 florenos in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, cujusque Abbas S. R. I. Princeps, ac Romanorum Imperatricis existit Archicancellarius, atque Germaniæ & Galliæ Primas, quique Jurisdictionem quasi-Episcopalem tam in Civitate Fuldensi, quam toto territorio, non tamen ea, quæ sunt ordinis, exercet.

Celebritas Abbatiæ.

Cujus

Cujus electio ad 14 expresse Professos Monachos Capitulares tantum, videlicet Decanum in Monte Novo Præpositum, & octo Præpositos, in aliis octo Monasteriis seu Præposituris ejusdem Ordinis, a Fuldensi dependentibus, degentes, & in consortio sociorum Regularium præter Spiritualia Officia Jurisdictionem nomine Abbatis exercentes, nec non 5 alios Capitulares. 14 Capitulares, inter quos 9 Præpositi, eligunt Episcopum, ut ante.

His attentis Papa Ecclesiam Abbatialem in Cathedralem & Episcopalem, motu proprio & Apost. potestatis plenitudine, erigit, firma tamen constanter manente Regulari disciplina; sic tamen, ut immediate subjecta maneat Sedi Apost. & ejus Præsul *Episcopus & Abbas Fuldensis* denominetur, cum omnibus insignibus, privilegiis, honoribus, & prærogativis, Episcopis debitis & concessis, ac Jurisdictionibus in Clerum, secularem & regularem, ac populum tam Civitatis præfatæ, quam totius territorii, & ditionis Fuldensis, omnibusque juribus, realibus, personalibus & mixtis, quibus aliæ Episcopales Ecclesiæ (non tamen particulari privilegio indultis) potiatur, eadem permanente electionis forma, per 14 Capitulares Monachos perficienda, ita, ut eodem actu & Episcopus & Abbas Fuldensis eligatur; confirmatio vero, ut antea, a Sede Apost. petatur: firma permanente transactione, cum Episcopo Herbipolensi inita, ejusque, ceu antiquioris, præcedentia; prout etiam 320 florenis, Cameræ Apost. ceu annata, solvendis.

Sedes Episcopi maneat Fuldæ, Ecclesia Monasterii fit Cathedralis, & Capitulum prioribus 14 Capitularibus constet, quorum electio ad Episcopum Abbatem spectet, excepto Decano (qui solus in hac Ecclesia dignitatem habeat) ab Episcopo & Capitulo eligendo. Etiam Capitulares habitum Regularem, ut ante, gestent; & sede vacante Jurisdictionem exerceant. Monachi, sicut prius, suscipiantur, qui quotidie Chori servitiis aliisque pro arbitrio Episcopi Abbatis sacris Officiis fungantur; atque ex iis unus Pœnitentiarii, alter Theologi munere fungatur. Statu Regulari manente.

Decano & octo *Præpositis* conceditur usus *Mytræ & annuli*, quando Episcopo Abbati, Pontificalia exercenti, assistunt, cum privilegio, crucis aureæ ex collo gestandæ, quod jam a Clem. XII Capitularibus omnibus fuit indultum. Præpositis usus Mytræ.

5. Episcopo *Herbipolensi* propter initam, Ecclesiæ Fuldensi favorabilem transactionem, concedit Jus Pallii & Crucis prægestandæ honorem.

196. Duella prohibita a Trid. 6. Damnans Pontifex 5 Propositiones, *Duellorum* abusui faventes, asserit, ea a multis Pontificibus sub gravissima pœna fuisse prohibita: a Concilio *Trid.* latam in Duellantes excommunicationem, etiam in Imperatores, Reges, cæterosque temporales dominos fuisse extensam, si locum ad monomachiam in terris suis concesserint, duellantes vero & eorum patrinos excommunicationis, proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam incurrere, &, si in ipso conflictu decesserint, Eccles. sepultura privatos decrevisse.

Greg. XIII. Cum autem solennia duntaxat duella sic damnata putarentur, a Greg. XIII has pœnas ad omnes fuisse extensas, qui etiam privatim ex condicto, statuto tempore & loco, monomachiam committerent, etiamsi nulli patrini sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæque provocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint.

Clem. VIII. Denique a Clem. VIII omnes præcedentes leges & pœnas confirmatas & extensas fuisse etiam ad omnes, quomodolibet cooperantes, imo etiam ad spectatores. Nonnullos tamen earum legum Interpretes pravis cupiditatibus plus æquo faventes, eas ad corrupta hominum judicia inflectentes docuisse:

Proposit. damnatæ. 1. *Licere viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

2. *Fas esse, defensione occisiva vel ipsis Clericis ac Religiosis tueri honorem, si alia declinandæ calumniæ via non suppetat.*

3. *Propulsare damna, quæ ex iniqua Judicis sententia certo immineant.*

4. *Defendere non solum ea, quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus incboatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus.* Quas Propositiones Sedes Apost. censura perstrinxisset.

Alios nihilominus, quam proxime recentiores, duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, tametsi fateantur illicita, aliis tamen in circumstantiis & casibus, vel amittendi officii & sustentationis, vel denegatæ sibi a Magistratu justitiæ, defensionis innoxiæ titulo ea licere pronuntiasse. Laxas & periculi plenas opiniones hujusmodi censura & proscriptione dignas fuisse existimatas, his 5 Propositionibus comprehensas.

5 Aliæ Proposit. damnatæ. 1. *Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. Ex-

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit Ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux vel officialis militiæ acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ & officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

Hæ Propositiones damnantur tanquam falsæ, scandalosæ & perniciosæ, prohibenturque doceri, defendi, edi, aut tractari (nisi forsan impugnando) sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ; & in virtute S. Obedientiæ vetatur, ne quis illas in praxin deducat.

Statuit denique Bened. Papa, ut in duello vulneratus, sive in loco conflictus, sive in alio ex vulnere decesserit, sacra sepultura careat, quamvis ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis & censuris absolutus fuerit: occidens vero privandus sit Asylo. Hortaturque Principes, ut severas in Duellantes pœnas & ipsi decernant, easque efficaciter exequantur.

7. Damnatur liber, duobus tomis constans, Gallico idiomate, absque auctoris nomine, & impressionis loco, editus anno 1752, in quo auctor probare intendit 1, injuste negari Sacramenta & sepulturam iis, qui se non submittunt Constitutioni *Unigenitus*. 2. Competentiam judicum laicorum ad se opponendum omnibus actibus schismatis. Damnatur autem tanquam continens assertiones falsas, temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, in Romanos Pontifices, Sedem Apost. & Episcopos injuriosas, Ecclesiasticæ Jurisdictioni derogantes, obedientiæ, Constitutioni *Unigenitus* ab omnibus sincere debitæ, eversivas, schismati faventes, schismaticas, in errorem inducentes, ac erroneas.

Liber contra Jurisd. Eccles.

Articulus II.

Anno 1753.

8. Prohibentur varia arma, ad mortem, clam & dolose inferendam, apta.

197. Ecclesia Utinensis in Archiepiscopalem erigitur.

9. In *Utinensi* Civitate Ecclesia Collegiata S. Mariæ Majoris *in Archiepiscopalem* Ecclesiam, cum omnibus juribus, præeminentiis, ac privilegiis erigitur. Laudantur prærogativæ hujus Venetæ urbis, quæ 5 milliaria Italica in ambitu complectens, duplici muro, ædificiis, Nobilitate, Gubernatore provinciæ, novem Parochialibus Ecclesiis, decem virorum, & duodecim Monialium cœnobiis, viginti millium incolarum frequentia, tribunali S. Inquisitionis, multisque aliis ornamentis esset conspicua.

Ejus suffraganei.

Eidem autem Ecclesiæ Utinensi, in Archiepiscopalem erectæ, Pontifex suffraganeos subjicit, *Paduanum*, *Vicentinum*, *Veronensem*, *Tarvisinum*, *Cenetensem*, *Bellunensem*, *Feltrensem*, *Concordiensem*, *Justinopolitanum*, *Æmoniensem*, *Porentinum*, *Polensem*, Aquilejensis ante Patriarchatus suffraganeos. Erigitur Capitulum, in quo primum locum habeat Præpositus, secundum Decanus, tertium Primicerius, cum 24 Canonicis, 12 Presbyteris, 8 Capellanis &c.

Reditus.

Assignantur reditus annui, videlicet Archiepiscopo 8316 Ducati Veneti, licet proventus Patriarchæ Aquilejensis tantum 7597 Ducatis constitissent, Republica reditus augente: Præposito 760, Decano 650, Primicerio 570, singulis Canonicis 355, singulis Mansionariis 187, singulis Cappellanis 88. Jus nominandi Archiepiscopum, Præpositum, Decanum, Primicerium, & 12 Canonicos tribuitur Reipublicæ, undecim liberæ collationi Sedis Apost. relictis, & uno liberæ electioni Capituli, prout etiam Mansionariis & Cappellanis &c.

11. Cardinales Episcopos Suburbicarios non posse in propria Cappella sui Palatii, Romæ existentis, suis subditis Ordines conferre, sine consensu Cardinalis urbis Vicarii.

12. Beatificatio Josephi a *Cupertino* Sacerdotis Professi Ord. Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci.

13. Amplissima confirmatio omnum jurium, privilegiorum Militaris & Hospitalis Ordinis Exempti S. Joannis Jerosolymitani, cum extensione & declaratione.

14. Seminario Wilnensi, a Greg. XIII pro Russis & Moscis fundato, providetur.

15. Monachi S. Basilii Nationis Ruthenicæ solvuntur voto, non acceptandi Episcopatum aut Archimandriam absque consensu superiorum. Atque hæc res reducitur ad terminos juris communis.

4 Vicarii in Anglia.

16. De *Anglicanis Missionibus* tractatur, quibus præsunt 4 Vicarii Apostolici, qui Episcopi *in partibus* Infidelium existunt, definitis cuivis suis limitibus; Vicariis, quoad curam animarum, etiam Regulares sint subjecti. Quoniam vero versantur in Anglia ex Familiabus Regula-

gularibus Societatis Jesu, S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarum, ne ob immodicum eorum numerum perturbationes & incommoda oriantur, eos tantum superiores in Angliam mittant, qui vel Sacellis Regiis præsint, aut apud aliquem Nobilem versentur, aut in locis, quæ pro Regularibus sunt fundata: nec alios, nisi eos, qui propriæ nationis cœnobia in Catholicis regionibus habent. Nec Hiberni adhibeantur, nisi a Vicariis in subsidium vocentur; quia in propria patria satis laborum eis suppetit. Leges.

Magna cura educentur, qui in Seminariis, Olyssipone, Parisiis, Vallisoleti, Hispali, Duaci, Audomari, Leodii, Romæ pro Anglis erectis, degunt. Multa adduntur de Jurisdictione & potestate Vicariorum in Missionarios Anglicanos.

17. Confirmantur litteræ de sæcularibus etiam Sacerdotibus in India Occidentali admittendis ad Parochias & curam animarum, sublato asserto Regularium jure privativo.

18. Venetis conceditur jus nominandi ad Ecclesias, Torcellanam, Caprulorum, & Clodiensem. Jus vero nominandi ad Ecclesiam Patriarchalem Venetiarum eisdem confirmatur.

19. Tractatur de *proscriptione librorum*. Duas ad hoc negotium erectas esse Congregationes, S. Inquisitionis, & Indicis, a Pio V institutas. Constat autem Congregatio S. Inquisitionis ex pluribus Cardinalibus, uno Assessore, uno Commissario ex Ord. Prædicatorum, certus Consultorum numerus ex Clero sæculari & regulari, aliique viri docti, qui *qualificatores* appellantur, & de libris censuram ferunt. Agitur in hac Congreg. de causis fidei, & personis, violatæ religionis reis, de censurandis libris, nisi eos ad Congreg. Indicis remittat. 198. Observanda circa proscript. librorum a Congr. S. Officii.

Statuit autem Bened. 1, ut Congregatio librum tradat uni ex Qualificatoribus aut Consultoribus, diligenter legendus & expendendus: 2. Censuram suam scripto consignet, locis indicatis & paginis, in quibus notati errores continentur. 3. Liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione, pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus S. Officii de libro & censura sententiam dicant. 4. Ipsa censura cum libro & Consultorum suffragiis ad Cardinales transmittatur, ut hi in Congregatione, feria IV in Fratrum Prædicatorum Cœnobio B. V. supra Minervam haberi solita, de tota re definitive pronuntient. 5. Ab Assessore acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvatur.

Cum de Auctoris Catholici libro agitur, is alteri etiam Revisori legendus tradatur. Et, si res gravior versetur, coram ipso Pontifice negotium absolvatur.

Congreg. Indicis.

Altera quoque nempe *Indicis Congregatio* pluribus constat Cardinalibus. Unus eorum est Præfectus, Assistens vero Magister sacri palatii, Secretarius pariter ex Ord. Prædicatorum, Consultores ex utroque Clero, uti & Relatores.

Si Author sit celebris.

Si Auctor sit integræ famæ & clari nominis ob alios editos libros, præ oculis habeatur usus librum prohibendi adjecta clausula: *donec corrigatur*, aut: *donec expurgetur*: moneaturque Auctor, quid sit corrigendum; si nemo compareat, aut corrigere detrectet Auctor, Decretum prohibitionis edatur. Si vero jussa fecerit, hoc est, novam editionem emendatam procuraverit, supprimatur prohibitionis Decretum, nisi multa jam exemplaria fuissent distracta, tunc enim ita concipiendum Decretum, ut omnes intelligant, primam editionem esse interdictam, non autem secundam jam emendatam. Potest etiam Auctoris defensio audiri, quamvis non necessario.

Censorum Officium.

Censores porro viros esse debere integerrimos, omni odio, præjudicio, partium studio vacuos. Librum totum legendum; alias non posse æquum de sensu ex mente Auctoris ferri judicium; neque ex una vel altera propositione, a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in libro continentur, considerata, de eo pronuntiandum; sæpe enim accidere, ut quod ab Auctore in uno operis loco perfunctorie & subobscure traditum est, id in alio loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ pravi sensus penitus dispellantur. Si quædam ambigua exciderint Auctori, ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipienda.

Modestia S. Thomæ.

Non tamen ferenda asserit eorum scripta, qui erronea aut prava dogmata recensent, nec ea refutant, aut jurgia miscent vel convitia in Adversarios spargunt. Proponit modestiam in scribendo S. Thomæ, additque hæc verba: *qui tam eximio uti solent ac gloriari Magistro, ii sibi ad æmulandam proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum Adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque se componere studeant, qui ab ejus schola doctrinaque recedunt.*

Præmonstrat. Ordo exemptus.

22. Alexander V & Martinus V totum Ordinem *Præmonstratensem* ab omni superioritate, Jurisdictione, Visitatione quorumcunque Ordinariorum exemptum reddiderant. Horum litteras Bened. XIV confirmat.

Anno 1754.

31. Academia *pictorum* & *sculptorum* in ædibus capitolinis erigitur, ad artes istas excolendas.

32. Basilica *Assisiensis* S. Francisci in *Patriarchalem* & Capellam Papalem erigitur, aliæque gratiæ, Privilegia, & Indulta, a prioribus Pontificibus concessa, confirmantur, cum Indulgentiis plenariis *quotidianis*.

34. *Lucensi* Reipublicæ conceditur facultas *nominandi tres* viros Ecclesiasticos, eosque Romano Pontifici præsentandi, ut ex iis unum in Archiepiscopum Lucanum eligere possit.

36. Prohibetur omnis Capitulatio & Pactio sede vacante, etiam Monasteriis.

37. Prohibetur, ne Fideles, sub Turcarum ditione versantes, ad occultandam Christianæ Religionis professionem, *Mahometanorum nomina* assumant, iisque se compellari patiantur. Quia hic abusus mendacium in re gravissima, & virtualem fidei negationem continet.

38. Ecclesiasticis *Ritus Slavo-Latini* in Illyrico præcipiuntur, ut in Missis & Divinis Officiis *Slavum litterale idioma*, cum characteribus Hieronymianis retineant, & Missalibus, Breviariis &c. utantur, typis Congregationis Propagandæ Fidei editis, prout ipsis concessum a Joanne VIII, Urb. VIII & Innoc. X, illi vero ab hoc usu desciverant, & recentiori vulgari lingua Slavica, immixtis etiam novis orationibus, uti cœperant.

39. Quinque-Ecclesiensis in Hungaria Episcopus usu Pallii, & Crucis præferendæ jure honoratur.

40. S. *Leoni I* Papæ Missa & Officium decernitur sub Ritu sanctorum Ecclesiæ Doctorum, ita, ut in utrisque Vesperis ad *Magnificat* ponatur Antiphona: *o Doctor optime:* in Missa Introitus: *in medio Ecclesiæ*; lectio libri Sap. *justus cor suum tradet* &c. cum Graduali, ut in Comm. DD. post Evang. *Credo*. Reliqua, ut in Missa propia S. Leonis. Missa de S. Leone.

41. Oppidum *Centum* erigitur in Civitatem.

Articulus III.

Anno 1755.

43. Episcopus Brixinensis & Abbas Wiltinensis pitierant a Pontifice facultatem, *B. Andream Rinnensem*, tertio ætatis anno a Judæis in odium fidei anno 1462 crudeliter occisum, in Diœcesi Brixinensi pecu- 199. Petitur Missa de B Andrea Rinnensi,

peculiari Missa, & Officio, peculiares lectiones habente, honorandi. Rescripsit Papa 1751, ut prius ab ordinario conficeretur *Processus* de Martyrii & Miraculorum fama, deque cultu immemorali.

Responsum, ad talem processum diuturnum tempus, laborem & sine Processu. sumptus requiri: ab ipsa sua sanctitate in Opere de *Canonizatione sanctorum l. 4 p. 2 c. 5* plura recenseri exempla, quibus Officia & Missæ propriæ in alicujus Beati honorem concessa constet, ex iis tantummodo, quæ de eo litteris consignarunt auctores graves, quæque de publico ejus cultu erant pervulgata, quin ullus antecesserit processus, ab ordinario confectus, super virtutum, seu martyrii, aut miraculorum, vel cultus antiqui fama, propterea, quod hujusmodi processus tunc tantum sit necessarius, quando ad formalem Canonizationem proceditur, non autem, quando petitur Indultum peculiaris Missæ & Officii.

His motus Pontifex petitis annuit, non incognitum sibi asserens Papa annuit. B. Andreæ Martyrium, cum legerit, quidquid de ipso scripserunt celebres *Bollandistæ* ad 12 Julii. Lectam etiam a se Martyrii Historiam, ab Hippolyto *Guarinonio* Germano idiomate compositam, Latine vero redditam a P. *Norberto Abbate Wiltinensi:* inspecta Acta Martyrii, publicique cultus monumenta, multo labore ac eruditione collecta, typisque tradita sub annum 1745 a P. Hadriano *Kembtero*, nec non disceptationem Apologeticam de Martyrio B. Simonis Tridentini, Tridenti impressam 1747. Hunc eadem ac Andream ætate pariter interemerunt Judæi 1485, iis penitus tandem convictis, Sixtus V 1588 Missam & Officium proprium pro tota Diœcesi Tridentina concessit, illato jam ante a Greg. XIII ejus nomine in Martyrologium Romanum, quod Bened. XIV facere noluit quoad B. Andream Rinnensem, propter posteriora Decreta, ut ii tantummodo inserantur, qui sunt canonizati, omissis iis, qui Beatorum numero adscripti sunt, vel solenni vel æquipollente Beatificatione.

Obtenta Missa & Officio *formalem Canonizationem* fuisse petitam. Obtenta Missa petitur formalis Canonizatio. Sed ad hanc plus requiri, quam ad privatum veluti cultum in aliqua Diœcesi: majores videlicet probationes Martyrii, causæ Martyrii, & 4 Miraculorum, quæ post indultum Missæ & Officii contigerint; cum enim B. Andreæ Martyrium & causa Martyrii probationibus directis Sed ad hanc plus requiri. fulciri non possint, testibus nempe *de visu*, sed auxiliaribus veluti, & subsidiariis, nimirum *de audita*, duo miracula non sufficere, sed requiri quatuor.

Difficul-

Difficultatem in eo esse, quod, postquam Sedes Apost. Canonizationem sanctorum sibi reservavit, hoc *primum esset exemplum* formalis Canonizationis pueri, in odium fidei occisi, ad impetrandum publicum præceptumque in tota Ecclesia cultum. Primo igitur inquirendum, an hæc causa sit suscipienda. Præsertim quia novum esset exemplum.

Atque imprimis nullatenus negandum, sicut *pueros Bethlemiticos*, sic etiam alios in odium Christi vel Christianæ Fidei occisos esse Martyres, seu Martyrii gloriam consequi ex Christi meritis. Hinc Martyrologio Romano insertos cerni, Celsum & Barulam pueros Antiochiæ passos; Modestum & Ammonium Alexandriæ, & 10 alios Infantes: Quiricum in Cilicia: Nazarium & Celsum puerulum Mediolani: Carthagine Maximum puerum: Cisellum & Camerinum pueros in Sardinia: Crescentium puerum Romæ: Flocellum Infantem Augustoduni: Paulillum puerum in persecutione Vandalica: Majoricum adolescentulum in Africa in odium Fidei Christianæ Martyrio affectum. Martyres pueri.

Multorum insuper puerorum & infantium, Martyrum titulo inscriptorum, reliquias esse repertas, quas Boldettus collegisset, uti Dorothei, Anastasii, Bonifaciæ, Serenillæ &c. pluribus aliis plenos esse annales Ecclesiasticos Baronii, Bollandistarum, aliorumque, nominatim ab Hebræis occisorum, quorum ceu Martyrum cultus apud diversas gentes vigeat.

Ex S. Bernardo *Serm. de Innocent.* Martyres alios esse *voluntate & opere*, uti S. Stephanum: alios *sola voluntate*, uti S. Joannem Evang. alios *solo opere*, sicut Beatos Innocentes. Horum aliquos jam a sæculis remotioribus obtinuisse cultum, primum in aliqua Diœcesi, dein in pluribus, denique in tota Ecclesia, accedente auctoritate Episcoporum ac Romani Pontificis, pro ratione Canonizationis illa ætate; prout factum cum innocentibus Bethlemiticis, quibus jam a primis æræ Christianæ sæculis cultus fuerit delatus. Martyres alii opere, alii voluntate, alii utroque.

In altera classe constitui Infantes, in odium Christianæ Fidei interfectos, qui a tempore, hominum memoriam antevertente, publicum sibi in aliqua Civitate aut Diœcesi vindicant cultum, scientibus & ferentibus Ordinariis, quin etiam quandoque approbantibus. Huic classi posse accenseri per plures, quorum in Ecclesiæ annalibus & monumentis fit mentio, aut etiam quosdam, quorum in Martyrologio fit mentio. Hos tamen dici non posse a Sede Apost. Beatificatos, minus Canonizatos; Urbanum tamen VIII noluisse illis cultum detrahere, qui ante centum annos a suo Decreto iisdem vel aliis fuisset delatus.

In tertia classe esse pueros, quorum reliquiæ in sacris catacumbis cum notis Martyrii repertæ sunt; uti cum ampulla sanguine plena, vel saltem tincta. Horum reliquias publico cultui veteri novoque more exponi. Non tamen propterea eos formaliter esse canonizatos, seu Romani Pontificis sententia in universali Ecclesia per præceptum colendos.

In quarta classe constitui illos, quorum cultus per Beatificationem aut Canonizationem expetitur. Post Alex. III autem ad solum Pontificem Romanum hoc negotium pertinere. In hac classe esse duos infantes, Simonem Tridentinum & Andream Rinnensem, qui, si non formalem, æquipollentem saltem Beatificationem a Sede Apost. sint consecuti, dum Missa & Officium in quibusdam locis fuit concessum, non tamen propterea esse Canonizatos.

Formal's Canonization's exemplum non haberi, nisi in pueris Bethleemiticis.

An autem causa Canonizationis sit suscipienda, in utramque partem consideranda argumenta: ex una quidem, quod nullum fortasse veræ ac propriæ Canonizationis infantium, exemplum præter unum illud Bethleemiticum, possit ostendi; quandoquidem cætera commode ad Beatificationem referri possint. Dein non esse latam Canonizationibus aperiendam viam, ne frequentia vilescant. Adhæc, licet tales infantes & pueri sint Martyres, non tamen gaudere *Laureola Martyrii*, consistente in speciali gaudio, quod ad ultroneam generosam victoriam consequitur. Ex altera parte præ oculis haberi exemplum infantium Bethleemiticorum, qui ab Ecclesia propter Martyrium sint Canonizati. Verum non esse hic quæstionem, an possint Canonizari, sed an expediat, & deceat, ad causam Canonizationis B. Andreæ progredi, an vero conducibilius sit, ut eum servet statum, quem nunc habet, quique idem plane est, in quo causa B. Simonis conquiescit.

44. Condemnatur liber de *potestate Ecclesiastica & temporali*, auctore P. *Borde* oratorii Sacerdote Gallice editus, tanquam fœtus execrandus, quo Ecclesiasticum Ministerium ita sæculari dominationi subjiciat, ut ad hanc spectare pronuntiet de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare.

45. Congregationi Olivetanæ Ord. S. Benedicti, nominatim Monasterio S. Justinæ Paduano, omnia privilegia confirmantur.

200. Proprius ritus Græcis servandus, etiam in Latinis Ecclesiis.

47. *Syris & Armenis* præcipitur, ut etiam in Latinorum Ecclesiis proprium approbatum ritum servent; cumque mos sit Græcorum, tempore jejunii abstinere a piscibus, Missionarios non posse dispensare, & pisces concedere. Dogma Processionis Spiritus S. a Patre & Filio ab omnibus recipiendum, licitamque additionem *Filioque* admittendam; panem *azymum* non minus ac fermentatum aptam esse materiam Euchari-

chariſtiæ: Dogma *Purgatorii*, *viſionis Beatificæ*, ac *Primatus Romani Pontificis*, amplectendum.

Quid ſit credendum.

Michaelem Cerularium Latinas in Oriente Eccleſias juſſiſſe obſerari, memorat, non tamen S. Leonem IX par pari in Occidente retuliſſe. Cum Latini Cpolin in ſuam poteſtatem redegiſſent, decretum quidem ab Innoc. III ut Patriarcha Latinus ibidem conſtitueretur, cui etiam Græci obtemperarent, ſalvis tamen Ritibus Græcis, quos Pontifices, Concilium item Lugdunenſe & Florentinum illis permiſere, ejuratis tamen erroribus Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis, Dioſcori, Monothelitarum, reſtitutisque Miſſalibus, Liturgiis, Breviariis, Euchologiis ſeu Ritualibus, prout ante exortum ſchiſma fuerant.

Latinos porro non poſſe tranſire ad Ritum Græcum, neque Græcos ad Latinum absque diſpenſatione Sedis Apoſt. neque alterutrum Ritum eſſe ab alterutra gente culpandum. Ab ipſo Ritu Græco fuiſſe quædam in Latinum tranſlata, ut Symbolum in Miſſa recitandum, adorationem Crucis in Paraſceve, Triſagium *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, Cpoli a puero in aera ſublimato cani ab Angelis auditum.

Non licet tranſire ad alium ritum.

Aliqua adoptata.

Contra vero Ritus quosdam Græcorum a Sede Apoſt. fuiſſe prohibitos, uti additionem; *qui Crucifixus eſt pro nobis*, a Petro Fullo ſeu Gnaphæo, Theopaſchitarum fautore factam: abuſum, quo mulieres Sacerdoti ad aram miniſtrabant: aut quo panis feria V Majoris Hebdomadæ conſecratus pro totum annum pro infirmis aſſervabatur.

48. Cum longiſſimum eſſet Monachorum S. Baſilii Breviarii Officium, ipſaque Miſſa, ad inſtantiam eorum a Sede Apoſt. fuerunt abbreviata.

49. Cum Romæ ortum eſſet incendium, Sacerdos quidam ſacram *Pyxidem* cum SS. Sacramento, ex tabernaculo extractam ad incendii locum deportavit, eaque ſuper populum & flammas *benedictionem dedit*. Hoc Pontifex, allatis rationibus multisque documentis Eccleſiaſticis, improbavit, &, ne porro fieret, vetuit.

Euchariſtia delata ad locum incendii.

Fatetur quidem, exſtare in Hiſtoria hujus facti exempla, quæ tamen ritum non poſſint inducere, & admiranda magis eſſe, quam imitanda: imo ne quidem ad januam Eccleſiæ Euchariſtiam ad benedicendum eſſe deferendam, minus ad energumenos exorcizandos, aut pellendas tempeſtates. Cauſa præcipua refertur ad reverentiam, tanto Sacramento debitam. Aperiri tamen in talibus circumſtantiis poſſe tabernaculum, ut Deus Euchariſticus a populo adoretur, & imploretur.

50. Matrimonium quoddam a S. Congreg. Concilii validum fuerat pronuntiatum; dein, vero alia ſpecie facti propoſita invalidum.

Duplex gradus.

 Nempe

Nempe dispensatum fuerat in tertio & quarto gradu consanguinitatis; compertum dein, quod duplici impedimento, ex duplici consanguinitatis gradu, teneantur; hinc non suffecisse dispensationem in gradu simplici: prout dein ipse Pontifex decidit.

Græcis non licet, ritus latinos sequi.

53. Celebrationem trium Missarum Natalitio Christi die, solius Ecclesiæ Latinæ ritum esse, ideoque ab Orientalibus, præsertim vero ab Armenis in Portu Liburno commorantibus non usurpandum; quum apud Orientalem Ecclesiam nullum extet ejus vestigium; ne verbum quidem de eo in Liturgiis Græco-Arabicis Melchitarum, Syriacis, Chaldæisque, neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Græcorum, atque Ruthenorum, qui Græcos sibi ritus asciverunt. Armenos in Liburno Portu recusasse Calendarium Gregorianum recipere, cur ergo alios ritus Latinos deposcerent?

Articulus IV.

Anno 1756.

Correctio Euchologii Græci.

54. Prolixe differit de Ritibus Græcorum, deque novo *Euchologio* correcto; atque ut Orientales eo utantur, hortatur. *Euchologium* autem aliud non esse, quam collectionem Ecclesiasticarum precum, benedictionum &c. ideoque appellari posse Ecclesiæ Græcæ Rituale, Manuale, Sacerdotale, aut Pontificale.

Hujus correctionem jam ab Urb. VIII cœptam, continuatam deinceps, sed non absolutam; licet varia antiqua Euchologia fuerint inter se collata, multique viri eruditi operam contulerint. Tandem Bened. XIV manum admovet, præmittitque aliquot monita.

Commemoratio Pontificis.

1. Ut in sacra Liturgia seu Missæ Canone primo loco faciant *commemorationem Romani Pontificis*, dein proprii Episcopi & Patriarchæ, si sint Catholici. Habertus originem hujus ritus, quo fit commemoratio Romani Pontificis ab Orientalibus, refert ad Sæculum IX; verum antiquiorem multo esse epocham, præter scriptorum testimonia, demonstrat facinus Acacii, Patriarchæ Cpolitani, qui, cum propter persuasum Zenoni Imperatori Henoticon, a Felice III Pontifice Romano communione privatus, nomen ejusdem Pontificis anno 484 sacris e Diptychis erasit; quod postea damnato Acacio sub Hormisda Papa fuit restitutum. Quandocunque deinde tentata est unio, inter conditiones ponebatur hæc commemoratio: Græcique Catholici in

Regum.

Conciliis morem firmarunt. Differitur etiam de more, de Regibus faciendi commemorationem, quem servant Græci, pro orthodoxis Principibus se orare asserentes; quamvis non appareat, cur non etiam pro Infidelibus possent orare, cum non sint excommunicati.

2. Quando

2. Quandò Diaconus aut Sacerdos patenam cum pane supra caput sustinet, dextra autem calicem ad pectus a minori Altari seu mensa ad majus Altare defert, nimis magnam ac profundam a populo fieri inclinationem, acsi Christus ipse ante consecrationem jam esset præsens. Hunc tamen ritum tolerandum; non enim quamlibet inclinationem aut genuflexionem esse adorationem latrevticam, cum hæc a mente & intentione præcipue dependeat. Græci Ritus in Missa.

3. Græci oleo & balsamo varia *aromata* miscent. Hæc tolerantur, modo credant, hæc aromata non esse necessariam Chrismatis materiam. Nullam autem in Sacramento Confirmationis adhibent *manuum impositionem*, verum tamen Sacramentum conficiunt. Formam vero hanc adhibent: *Signaculum Doni Sancti Spiritus.* Confirmatione.

4. Græci adhuc abstinent *sanguine & suffocato*, non quidem, quatenus sint cibi immundi, lege Mosaica prohibiti, sed quatenus præcepto Apostolico sint vetiti. Apud Latinos pluribus in locis ad seculum usque decimum hæc Disciplina tenuit. Circa *puerperas purificandas* pariter observant Græci, quæ lege Mosaica sunt præscripta. Hæc retineri posse a Græcis, asserit Benedictus; posse enim in nova lege servari aliquem ex ceremonialibus Ritibus antiquæ legis, dummodo id non fiat in vim ipsius legis antiquæ, quæ evacuata est, sed morem gerendo aut legitimæ consuetudini, aut novo præcepto, ab eo edito, cui legislativa simul & coercitiva potestas competere dignoscatur. Sed neque Græcos eadem ratione, qua olim Hebræi, puerperii ritum adimplere; cum Sacerdoti nullam Judaico more oblationem afferant, sed mulierem duntaxat ab ingressu Ecclesiæ aliquanto tempore arceant; ita, ut apud Græcos sit præcepti, quod est apud Latinos consilii. De sanguine & suffocato. Purificatione.

55. Jacobo III Magnæ Britanniæ Regi tribuitur facultas, ut S. Eucharistiam possit suscipere, de spiritualis sui Directoris consilio, etsi post præcedentem mediam noctem jentaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumpserit. 201. Dispensationes in jejunio naturali cum Rege Angliæ.

Hac occasione Benedictus pro more excurrens materiam istam erudite pertractat, aitque, præscriptum ab Ecclesia jejunium naturale a media nocte, non admittere parvitatem materiæ, solumque Pontificem, extra casum viatici, & necessitatis, dispensare in hoc jejunio posse, & quidem non nisi ex justa causa.

Morem in Africa Feria 6 Majoris Hebd. post comestionem, aut infantibus statim post Baptismum Eucharistiam præbendi dudum fuisse sublatum. Historias plures esse apocryphas. A Pio IV equidem ad instantiam Sebastiani Lusitaniæ Regis Sacerdotibus in India, qui vel propter ægritudinem vel cœli inclementiam post mediam noctem ali- India.

quid cibi sumunt, datam facultatem Missam celebrandi, & ab Innoc. XIII Romanorum Reginæ Elisabethæ Christinæ sumendi Eucharistiam post degustatum cibum, quo die in Bohemiæ Reginam ungi solenniter coronarique debebat, ita exposcente imbecilli valetudine. Simile Indultum Regi Christianissimo regnanti ab eodem Pontifice datum pro die consecrationis. Romæ quot annis ante mediam noctem Nativitatis Domini in Sacello Pontificio celebrari Missam, nec semper ab eo, qui tota præcedenti die ab omni cibo abstinuerit.

Imperatrice.

Rege Christianissimo

Verum hæc exempla non omnimodam habere paritatem cum præsenti casu, quo Rex Angliæ non ex necessitate sacram synaxin sumere debeat, sed ex devotione cupiat. Extare tamen simillimum in *Carolo V*, qui, postquam Germanicas provincias in Ferdinandum fratrem, reliquas vero in Philippum filium transtulit, in Monasterium S. Justi se abdidit, solique animæ saluti intentus, vitam duxit eremiticam, cumque Eucharistiam sumere jejunus nequiret, suadente Medico, a Julio III dispensationem petiit, obtinuitque.

Carolo V.

Eandem facultatem se Jacobo Regi impertiri Bened. XIV asserit, attenta imbecilla ipsius valetudine, & jam 68 annorum senio, simulque ejusdem vitæ integritate, pietate & religione, quibus universæ civitati sit exemplo.

58. Ecclesia S. Petri Bononiæ, olim consecrata, sed tractu temporum ita diruta per partes, & reparata, ut novum omnino esset ædificium; quare Pontifex eam rursus jussit consecrari & dedicari.

202. Dissensiones in Gallia.

62. *Constitutioni Unigenitus refractariis an & quando sacrum viaticum sit denegandum?* memorat Pontifex dolorem, curam, & sollicitudinem, conceptam ex perturbata Regni Christianissimi tranquillitate. Se datis sæpe ad Christianissimum Regem litteris illius opem & brachium ad pacis Ecclesiasticæ tutelam & præsidium imploraſſe. Laudat firmitatem & constantiam Cleri Gallicani, in Comitiis congregati. Nullam inter eos esse dissensionem quoad Canonicas regulas & principia, sed tantum in deligendis mediis, ut principia in usum deducantur. Magna autem se consolatione erectum singulari pietate & religione Regis Christianissimi, in litteris ad se frequentius datis enitente.

Pietas Regis.

Tantam esse in Ecclesia Dei Constitutionis *Unigenitus* auctoritatem, ut nemo Fidelium sine salutis æternæ discrimine possit eidem sinceram subjectionem venerationemque subtrahere, aut ullo modo refragari; hinc quoties eidem quispiam *publice ac notorie* fuerit *refractarius*, denegandum illi esse sacrum Viaticum; ex generali nempe regula,

Publice refractariis Bullæ negandum Viaticum.

gula, quæ vetat publicum ac notorium peccatorem ad Eucharistiæ Communionem admitti, sive privatim eam sive publice petat.

Publicos autem & notorios refractarios esse, qui per sententiam Judicis sunt declarati rei, quod debitam Constitutioni obedientiam contumaciter denegaverint, aut hujus contumaciæ se reos in judicio confessi fuerint, ac insuper, qui tunc, quando S. Viaticum sumpturi sunt, propriam adversus Constitutionem contumaciam profitentur sponte, vel antea aliquid evidenter commisisse noscantur, manifeste oppositum obsequio & obedientiæ debitæ, atque in eo facto moraliter perseverent, quod ita vulgo cognitum sit, ut scandalum inde ortum necdum cessaverit. Quinam sint tales?

Eam vero certitudinem non adesse, quando crimen nititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque vocibus, a malevolis, aut dicacibus hominibus oriri solitis. Si quis, paschali præsertim tempore, a Parocho suo S. Communionem accepit, argumento id fore, illum a labe purum, aut saltem non fuisse publicum peccatorem; consequenter ei, in exitu vitæ S. Viaticum petenti publice, id negari non posse, nisi post ultimam communionem notorius evasisset peccator.

Si autem adversus ægrotum præsumptiones & indicia gravia & urgentia militent, ob quæ obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeat Minister Sacramenti, ægrotum, remotis arbitris, oportet alloqui, eique cum omni lenitate & mansuetudine, non tanquam disputando, aut eum convincere volendo, ostendere, quæ & qualia sint indicia, quæ eum suspectum reddant, rogando, ut resipiscat, in eo saltem articulo, a quo salus ejus æterna pendet; demonstrando præterea, quod, quamvis ipse paratus sit S. ei ministrare Viaticum, judicium sibi manducaret & biberet, si non pœniteat, & Ecclesiæ obediat. Quid, si adsint gravia indicia.

63. Postquam Ecclesia Fuldensis in Episcopalem fuit evecta, orta est controversia de Jure Metropolitico Moguntino; quare Papa declaravit, se per hoc, quod Ecclesiam illam in Episcopalem erexerit, & concordiam cum Herbipolensi initam confirmaverit, Juri Metropolitano nihil voluisse detractum, salva tamen ex altera parte atque illæsa manente exemptione Monachorum & Monasterii Fuldensis, atque Ecclesia Cathedrali, aliisque, pleno jure eidem incorporatis, ita tamen, ut populus & Clerus secularis propter hoc a jure Metropolitico non censeatur exemptus. Moguntini jus in Episc. Fuld.

64. Papa

203. An ordinatus a Papa subd. possit ab alio ordinari?

64. Papa ordinavit Presbyterum; hic postea electus est in Episcopum, quæritur, *an ab alio, quam a Papa consecrari possit?* Respondet, ab universa Canonistarum schola doceri, ordinatum a Papa non posse ad altiores Ordines promoveri præterquam a Papa, vel ab alio, cui id muneris Papa delegarit. Inniti eos *Cap. cum in distribuendis de temp. Ord.* quo Innoc. III Mutinensi Episcopo rescribit, cum commendatus ab ipso Clericus Subdiaconatum Romæ suscepisset, indulgere se Bononiensi Episcopo facultatem ipsum ordinandi Diaconum; P. Christianum Lupum autem existimare, quod ex hoc textu nihil probetur, quia Clericus ille fuerit Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, cui non fuerit licitum ab alieno Episcopo Ordines recipere sine Pontificis ceu Episcopi Romani licentia.

Adducit igitur Benedictus Papa alia hujus rei exempla, uti ex Clericis Mediolanensibus, a Pontifice ordinatis, quos ad altiores ordines promovendi Episcopo loci dat facultatem; quamvis autem hic casus non sit expressus in collectione Decretalium, non tamen propterea vim legis amittere; non enim Jurisprudentiam Canonicam circumscribi illa compilatione.

Altare Episcopi.

Ad quod *Altare celebravit Episcopus*, eodem die celebrare simplici Sacerdoti non licere, sine ejus licentia. *Can. ult. de Consecrat. dist.* 2. potiori jure abjudicandam Episcopo potestatem sacram peragendi ordinationem supra Altare vivum, in quo Romanus Pontifex Ordinis Sacramentum contulit. Et hinc neque Romæ super Altare Pontificium in Patriarchalibus Basilicis posse quenquam celebrare Missam, nisi habeat Indultum Apost. imo & extra urbem quædam hoc privilegio esse ornata Altaria.

An Diaconus consecrari possit Episcopus?

Digreditur dein ad quæstionem, *an* unquam *Diaconus, non suscepto prius Presbyteratu, fuerit consecratus Episcopus?* pro affirmativa citatur Æneas Parisiensis Episcopus, Mabillonius, Pagi, Sandini: pro negativa Morinus, Jueninus, Catalanus; & in hanc sententiam inclinat Bened. XIV, tametsi enim primis octo Ecclesiæ sæculis plures simplices Diaconi fuerint in summos Pontifices electi, aut in Episcopos, nunquam tamen probari posse, eis ante consecrationem Episcopalem non fuisse collatum Ordinem Presbyteratus; nec esse audiendum Photium schismaticum, qui eum saltum Ecclesiæ Latinæ exprobrat.

Consecratio Episcoporum pertinet ad Papam.

Verum prætermissis quæstionibus scholasticis, an Episcopatus sit ordo a Presbyteratu distinctus, an character sit diversus, an Episcopatus Diacono immediate sit collatus &c. Benedictus ex alio principio ad quæstionem principalem respondet, videlicet, tametsi olim consecratio Episcoporum Comprovincialium ad Metropolitanum pertinuerit,

tinuerit, hodie tamen ſummo Pontifici eſſe reſervatam, qui ſoleat electo facultatem dare, ut conſecrationem recipiat a quocunque, quem maluiſſet, Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſt. habente. Benedictum XIII quidem voluiſſe jus Metropolitanorum reſtituere, ſed tot ortas eſſe querelas & difficultates, ſi ſuffraganeo adeundus fuiſſet Metropolita, ut priſtina electio conſecratoris rurſus fuerit reſtituta.

Ad ſummum igitur Pontificem pertinere, conſecrationem Epiſcopalem peragere, vel aliis Epiſcopis illam delegare, ideoque omnino extraneam fieri quæſtionem, an Sacerdos a Pontifice ordinatus, ab eodem ſit conſecrandus Epiſcopus, cum etiam hunc, ſicut alios, vel per ſe vel per alium conſecrare debeat; ſicut, ſi quem conſecret Epiſcopum, is non ab alio ſuſpendi aut deponi poteſt, uti reliqui Epiſcopi, non a Papa conſecrati; cum cauſæ criminales omnium Epiſcoporum ad Papam pertineant.

65. Confirmantur pœnæ ſtatutæ in tondentes monetas, alterantes cedulas Montis pietatis, & Menſæ Nummariæ S. Spiritus &c.

Articulus V.

Anno 1757.

67. Reſolvuntur aliquot dubia circa facultates diſpenſandi, maxime in impedimentis matrimonii, Miſſionariis Societatis Jeſu in utraque India conceſſis.

68. *Pantheon*, a Vipſanio Agrippa in Campo Martio extra urbem extructum, prolatis dein ab Aureliano Imperatore mœnibus, urbi inclusum, Bonifacius IV a Phoca Imperatore ſibi conceſſum, atque ab omni Gentilium ſuperſtitione expurgatum, *vero Deo* ſub invocatione B. M. V. Martyrum Reginæ dicavit, ingenti vi ſacrarum Reliquiarum e variis Martyrum cœmeteriis ſolenni pompa 28 curribus eo advecta. Unde *Eccleſia S. Mariæ ad Martyres* eſt appellata. Gregorius IV poſtea Sæculo IX Feſtum a Martio ad 1 Novembris tranſtulit, *Feſtum omnium ſanctorum* nuncupatum, atque a tota Eccleſia ſolenni ritu celebrandum.

Pantheon purgatum & omnibus ſanctis dicatum, in tutelam Papæ recipitur.

Hanc Eccleſiam Benedictus Papa ſub peculiari Pontificum tutela recipit, ejusque fabricam Apoſtolicarum ædium Præfecto committit, Palatii Apoſtolici ſumptibus conſervandam.

69. Inita Conventione inter Herbipolenſem & Fuldenſem, erecta Fuldenſi in Epiſcopalem, & declaratione a Pontifice facta, ſe per hanc erectionem Juri Metropolitico Moguntini nihil velle detra-ctum,

Conventio inter Mog. & Fuld.

ctum, etiam inter *Moguntinum & Fuldensem transactum est.* Renovata nempe concordia, anno 1662 inita, exceptis iis, quæ de exercitio Pontificalium & conferendis sacris Ordinibus interea, cum Fuldensis Ecclesia in Episcopalem fuit erecta, sunt mutata.

Agnoscit Fuldensis Jus Metropoliticum Moguntini in Diœcesin Fuldensem, seque ejus suffraganeum (salva tamen manente exemptione passiva, atque immediata subjectione Sedi Apost. quoad personas, in Brevi Pontificio expressas). Quare Fuldenses subditos nullatenus impediendos ab appellationibus ad Metropoliticum Moguntinum Judicium, juxta ordinem ab Ecclesia Catholica præscriptum, interponendis.

Moguntinus pariter se obligat ad servandam concordiam anni 1662, exemptionem etiam Fuldensem passivam, in Brevi Apost. contentam: Abbatem Fuldensem Episcopum agnoscit, suumque suffraganeum, atque ut ubique in Imperio agnoscatur, Officiis suis non deerit. Conventionem illam Papa imploratus confirmavit.

70. & 71. Tractatur de pœnis, in eos statutis, qui, licet Presbyteratus Ordine non sint initiati, attentant Missas celebrare, aut confessiones audire.

72. Damnatur epistola, ad Cardinales & Theologos Romanos ab incognito auctore scripta, utpote referta assertionibus respective falsis, temerariis, scandalosis, multimode injuriosis, contumeliosis, impudentibus, captiosis, seditiosis, & schismati faventibus; cum auctori propositum sit suggillare & traducere Romanam curiam, ipsumque adeo summum Pontificem.

CAPUT XXXIV.

Appendix I ad Tomum IV.

204. De Canonizatione. 1. Decernitur, in causa *Beatificationum & Canonizationum* cum testibus de visu conjungi posse testes de auditu immediato, seu de audito a videntibus, non autem de testibus de auditu mediato, seu de auditu auditus, nisi aliis adminiculis sint suffulti. Nec ad Beatificationis Decretum procedi posse, nisi tria miracula præcesserint, quæ fuerint approbata, neque demum ad Canonizationem, nisi duo alia post Beatificationem miracula superveniant, quæ pariter fuerint approbata, sive agatur per viam ordinariam *de non cultu*, sive per viam extraordinariam de casu excepto.

De potestate Delegati. 2. Abbati Campidonensi dat facultatem consecrandi Ecclesiam; quod alias est muneris Episcopalis, ita, ut Episcopus illud non pos-

sit

sit delegare simplici Sacerdoti, sicut neque potestatem conferendi Sacramentum Confirmationis, aut Ordines, vel reconciliandi Ecclesias pollutas, si sint consecratæ: Ecclesias vero benedictas tantum modo quilibet Sacerdos, citra delegationem, potest reconciliare, aspersa aqua lustrali. Plura de consecratione Ecclesiarum easque dedicandi ritu & antiquitate addit altera epistola, ad eundem Campidonensem data

3. *Si in Conventu non degant 12 Religiosi*, ex Decreto Innoc. X visitationi, correctioni, & omnimodæ Jurisdictioni Ordinarii subjectum esse Confessarios autem Religiosos, qui non sunt Parochi, invitari quidem ad conferentias casuum posse, sed non compelli.

4. In Congregatione Rituum anno 1749 proposita fuit causa Beatificationis Ven. Servi Dei *Andreæ Bobolæ* Sacerdotis Professi S. J. mota que quæstio, *an constet de Martyrio & causa Martyrii?* responsum, non constare per probationes directas, seu per testes de visu. Concessum tamen Postulatoribus, ut in alia Congregatione dubium iterum possint proponere, & causam prosequi per viam subsidiariæ probationis super Martyrio & ejus causa. Causa Beatif. Bobolæ.

Resumpto igitur post fusas preces negotio, habitaque potissimum ratione 300 fere testium, qui de Martyrio & causa Martyrii, atque de perseverantia finali deponentes, moralem constituunt certitudinem, Pontifex Decretum edidit, quo declarat, Martyrium & causas Martyrii ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem & approbationem 4 miraculorum. *Datum Romæ* 9. Febr. 1755.

5. Agitur de Beatificatione Cardinalis *Pauli de Aretio* Theatini, proposito dubio, *an constet de virtutibus Theologicis, fide, spe, & charitate, & Cardinalibus, prudentia, justitia, fortitudine, & temperantia, earumque annexis, in gradu heroico &c.?* Respondit Pontifex, audito sacro, perceptaque S. Communione (cum præ impedimento podagræ Missam celebrare non potuerit) de prædictis virtutibus ita constare, ut tuto procedi possit ad ulteriora, ad discussionem videlicet 4 miraculorum; quæ nunc requirantur, cum olim sufficerent duo. Et Pauli de Aretio.

Appendix II ad Tom. IV.

In qua continentur Constitutiones, Epistolæ &c. Bened. XIV usque ad ejus obitum.

1. Quæstio, an dispensari conveniat, ut Episcopus aut Pontifex *sedendo Missam celebret*, prolixa dissertatione tractatur. Refert in ea Bened. XIV se in æstate anni 1756 gravi morbo correptum bis S. Vi- 205. Bened. XIV valetudo.

 tice

tico munitum, bis extremum inunctum, & bis, juxta Pontificum morem, fidem professum, ita tandem convaluisse, ut muneribus suis Apostolicis rite fungi potuerit, atque etiam Camucium Antistitem Justinopolitanum consecrare, pedibus tamen postea non amplius insistere, omissaque celebratione Missæ, Eucharistiam sedendo se percepisse.

An Missam sedendo celebrare conveniat?

Hinc autem, adductis in utramque partem argumentis, prudentum consilium a se requisitum, an pergendum sibi esset in sumptione Communionis Eucharisticæ, more laicorum, an vero consultius foret, *sedendo Missam* celebrare?

Argumenta pro negativa.

Proponit autem primo argumenta pro communione, omissa celebratione Missæ. Atque imprimis commendat observantiam rituum, quos Ecclesia præscripsit, ut omnes decore & uniformiter Missam peragant: a ritibus autem sessionem, quæ tota Missa perduret, prohiberi: sub Canone saltem standum esse.

Plura jure positivo sunt vetita, & tamen non dispensatur.

Objici quidem posse, stationem illam solo Jure positivo humano præceptam esse, in quo Pontifex facile possit dispensare; plura siquidem jure solummodo humano esse præcepta aut prohibita, in quibus tamen vel omnino nunquam, vel non nisi rarissime & difficillime dispensetur. Secundum doctrinam S. Thomæ, Gonzalez, Pontii, Parisii, & Aversæ, matrimonium inter fratrem & sororem solo jure positivo esse prohibitum, neque tamen ullo probabili testimonio evinci, ab ullo unquam Pontifice fuisse dispensatum; falsa enim esse exempla, quæ ab hostibus S. Sedis proferantur. Institisse quidem apud Clem. VII Henricum VIII Angliæ Regem, ut spurio ipsius filio Duci Richemondensi ducere liceret Mariam, legitimam ejus filiam, repulsam tamen passum. Falsum esse, quod Calixtus III concesserit, ut Dux Armeniacensis sorori suæ nuberet.

Uti in 1 gradu consang. collat.

Et Imped. criminis.

Matrimonium in primo affinitatis gradu, etiam lineæ rectæ, jure tantum positivo interdici, nunquam tamen in eo dispensatum, ut vitricus privignam duceret. Impedimentum criminis, etiam secuta occisione conjugis, a jure positivo esse statutum; neminem enim matrimonium Davidis cum Bethsabea irritum credere, quanquam adulterium præcesserit & interfectio Uriæ. Neque tamen exemplo ullo constare, dispensasse Pontificem in hoc genere impedimenti, si fuerit publicum. Si vero sit occultum, posse quidem dispensari a Majore Pœnitentiario, raro tamen, & pro foro interno tantum, nec nisi sine gravi necessitate; si nempe impedimentum oriatur ex adulterio & utroque, vel alterutra machinante.

Ad hanc classem reducendam videri *Missam sedentariam*, si ne quidem canon & consecratio stando peragi possit, nec sufficere desiderium cele-

celebrandi. Licet enim ægrotus ardenter desideret S. Viaticum; si tamen nequidem una habeatur candela, aut vestes sacræ desint, aut nullus adsit Sacerdos, carendum potius ægroto S. Viatico, quam irreverentiam Sacramento inferendam: similiter Missæ celebrationem non esse licitam absque luminibus aut sacris indumentis.

Affert deinde Pontifex *Argumenta pro sententia contraria*, quæ asserit, bene concedi Sacerdoti licentiam, ut, si stare non possit, sedendo Missam, ipsumque adeo Canonem possit absolvere; neque enim sessionem inter Divinas preces indecentem esse: a Spiritu Sancto impletam totam domum, *ubi erant sedentes*. Auctoritate DD. adstruit, cum spectabilioribus e clero, multoque magis cum Episcopis dispensandum. Concedi Sacerdoti, si non omnino *cæcus* sit, ob visus debilitatem, facultatem, in Missis Duplicibus Missam votivam de B. V. M. diebus autem ferialibus Missam Defunctorum celebrandi. Nec deesse exempla concessæ Episcopis *cæcis* licentiæ, utpote quam Joannes VIII dedisset Hincmaro Laudunensi, Hincmari Rhemensis nepote cæco. Testari Sotum, visum a se in Concilio Tridentino Episcopum cæcum, ex dispensatione Pontificis quotidie celebrantem. Eandem facultatem anno 1727 impertitam Parocho Florentino, omnino cæco, sed magnorum meritorum, sub assistentia tamen alterius Sacerdotis. Neque recentiora deesse exempla similium concessionum.

Argumenta pro affirmativa.

Disp. cum cæcis.

Prohibitum esse SS. Canonibus celebrare operto capite, aut cum baculo introire; dari tamen licentiam *tecto capite* Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici, ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. A Paulo V quibusdam Orientis Ecclesiis datam licentiam, totam Missam una cum Canone legendi tecto capite; cum in illis regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. A Navarro, Salmerone, Arriaga, Raymundo & Henao admitti, quod capite honesto pileolo tecto Missa & Canon dici possit, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus præsertim frigidis; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus. Quamvis Sacerdotibus vetitum sit deferre *capillitia fictitia*, maximeque ea prohibitio se extendat ad celebrationem Missæ, attamen per speciem aliquam tolerantiæ Clericis concedi Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona, seu tonsura Clericalis aperta semper maneat.

Tecto capite.

Capillis fictitiis.

Celebratam olim *Missam in mari*, quæ *sicca* dicebatur, quæque prohibita est; nunc autem facultatem concedi Missæ veræ celebrandæ, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, &, præter Sacerdotem celebrantem, adsit Presbyter aut Diaconus alius, qui exurgente forte motu calicis effusionem prævertat. Cur ergo Episcopis &

Missa in mari.

& aliis Presbyteris, in dignitate Ecclesiastica constitutis non concedatur licentia, Missam sedendo celebrandi, quando pedibus insistere non possunt, cum præcipuum Episcoporum Officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo, curæ suæ concredito, & pro se ipso. *Ad Hebr.* 5.

Exempla mira. S. Lucianum Martyrem, ut Fidelium, eodem secum carcere detentorum, desiderio satisfaceret, in terram extensum, & *pectore tanquam ara usum*, sacris esse operatum, testibus Bollandistis *Tom.* 1 *Jan.* Theodoretum, Cyri Episcopum, allatis in tugurium eremicolæ sacris vasis, *manibus Diaconorum* usum pro altari sacram Eucharistiam confecisse. S. Tarasium Patriarcham Cpolitanum, senio & morbo debilitatum, pectore & ventre *innixum mensæ ligneæ*, quæ ponebatur ante Altare, partemque corporis reliquam pedibus sustentando, celebrasse: S. Ivonem vero Parochum Britanniæ Armoricensis per aliquos Assistentes sustentatum.

Paulum III Pampelonensi Episcopo podagra laboranti dedisse facultatem sacris operandi in sella, eo confecta artificio, *ut illi insidens stare videretur;* modo absit irreverentia & scandalum. Similem gratiam Pium V Cardinali Ferrerio ob podagræ molestias fecisse, ut scilicet in privata capella sedens sacram Liturgiam perageret. Cur ergo non etiam summus Pontifex ob eandem causam eadem uti possit œconomia?

Honorium IV chiragra & podagra graviter afflictum, cum celebraret, posuisse Corpus Domini inter ipsos pollices, & quodam instrumento ligneo, cui insedisset, volutum fuisse ad populum. Pium II & III cum stare non possent, sedentes celebrasse. *Arg. a consecratione Papæ.* Scapulis electi Pontificis, dum in Episcopum consecratur, a Cardinale consecrante imponi librum Evangeliorum, & capiti manus, manusque sacro Chrismate inungi, Pontifice interea semper sedente.

Similiter, si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopum Cardinalem Subdiaconatus Ordinem ei conferre sedenti, porrigendo calicem vacuum cum patena, & urceolos cum vino & aqua, librumque Epistolarum. In collatione Diaconatus Cardinalem ordinantem stantem Pontificis sedentis capiti manum imponere, dicendo: *accipe Spiritum S.* & librum Evangeliorum porrigere. Tandem in collatione Sacerdotii Pontificem sedentem manuum impositionem, olei sancti, quod catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino & aqua, atque patenam cum hostia recipere. Quæ omnia luculenter ostendant, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, præsertim si pedibus insistere non valeat.

Atque hæc esse, quæ exponenda sint visa, sit Pontifex, atque in-

de expectari consilium, priusquam, quid agendum sit, decernat. Data fuit hæc Epistola ad primum ceremoniarum Magistrum 11 Oct. 1757.

2. Prohibetur *Historia de populo Dei*, a nativitate Messiæ usque ad finem synagogæ, pars secunda, Gallice primum scripta, ac dein in Italicam aliasque linguas versa, cum hujus defensione, auctore P. Josepho Berruyer, continens Propositiones, respective falsas, temerarias, scandalosas, faventes hæresi, & hæresi proximas, communique & unanimi SS. Patrum & Ecclesiæ consensui, Divinarum Scripturarum interpretationi minime congruentes. *Datum* 17 *Febr.* 1758. Hist. de populo Dei proscripta.

3. Quidam ex Diœcesi Goana Sundam locum vicinum, in quo Tridentinum non fuit promulgatum nec receptum, ut matrimonium ibi coram Missionario possint contrahere, discesserunt, sub prætextu ibi figendi domicilium. At post nuptias in Goanam provinciam redierunt. Quærit jam Archiepiscopus Goanus, an talia matrimonia, sine præsentia proprii Parochi contracta, sint valida? 206. Si sponsi exeant in locum, in quo Trid. non est promulgatum.

Respondet Pontifex, juxta Thomam Sanchez validum esse matrimonium, initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum, quamvis contrahens domicilium habeat in loco, ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates effugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset; neque eum agere in fraudem legis, cum exeundo utatur suo jure; & etiamsi fraus intercederet, illicitum quidem, non tamen invalidum fore matrimonium. Pontium, qui alias non tam facile Sanchesii opinionibus adhæreat, in hac tamen eidem consentire, prout etiam Dianam, Bonacinam, Castropalaum, Filliucium, Rosignolum.

Contrariæ Opinionis esse Gobat, Laurea, Clericatum, Schmalzgrueber, Pichler, Böckn, Elbel, Pontas &c.

Sub Urbano VIII tria hæc dubia ab Archiepiscopo Coloniensi fuisse proposita coram Congregatione Concilii. 1. *An incolæ loci, in quo Trid. est promulgatum & acceptatum, transeuntes per locum, in quo non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium contrahere sine Parocho & testibus?* Dubia a Coloniensi proposita.

2. *Quid, si prædicti incolæ se transferant, solo animo, sine Parocho & testibus contrahendi, habitationem non mutantes?*

3. *Quid, si eo transferant habitationem solo animo, ut sine Parocho & testibus contrahant?*

Respondit S. Congregatio ad 1 & 2, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes & transeuntes cum fraude. Resp. Congr. matrim. non esse validum, nisi domicilium aut quasi, transferatur.

Ad 3, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum. Atque hæc Responsa Urbanus VIII dato ad Coloniensem *Brevi* confirmavit. Hoc Resp. Urb. VIII confirmavit.

Ex his igitur patescere (pergit Bened. XIV) in primis duobus casibus matrimonium esse invalidum, quia fraus intercessit; validum autem censeri in tertio, in quo, licet fraus intercesserit, nihilominus, antequam contraheretur matrimonium, in termino *ad quem* transeuntes domicilium vel quasi-domicilium adepti essent. Novum siquidem non est, ut quis domicilium habeat in uno loco, & quasi domicilium adipiscatur in altero: tunc autem liberum esse contrahere in alterutro coram Parocho. Non valere autem matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium contrahendi. Atque ita frequenter pronuntiatum a S. Congregatione & Rota.

Habitatio unius saltem mensis.

Ad hoc autem, ut quis censeatur quasi-domicilium contraxisse, requiri, ut, antequam ineatur matrimonium, *unius saltem mensis spatio* habitaverit in eo loco, in quo matrimonium contrahitur. Ut autem licite contrahatur, requiri, ut prius denuntiationes (quarum origo ad Sæculum XIII refertur) factæ jam fuerint in loco prioris domicilii, ut constet, nullum impedimentum obsistere, secus Parochum non debere assistere; si non vi Tridentini, saltem vi Lateranensis IV, quo denuntiationes toti Ecclesiæ sunt præceptæ.

Matrimonio hæreticorum sunt valida.

Cæterum potuisse Tridentinum conditionem quandam præscribere, quæ prius non aderat, sine qua contractus matrimonialis in pasterum non esset legitimus, neque valida traditio & acceptatio corporum. Ne autem hæreticos exasperaret hæc dispositio Tridentini, quorum matrimonia hoc pacto essent invalida, consequenter proles illegitimæ, statutum esse, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia obtineat suum robur post 30 dies, a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos. Si autem dubitetur, an promulgatio sit facta, ad eam probandam sufficere diuturnam observantiam Decreti. Denique cum Archiepiscopus Goanus petiisset, indulgeri sibi licentiam in decennium, concedendi oratoria privata, Pontifex annuit, eo modo, quo Prædecessor illam obtinuerat.

Saldanha Visitator.

4. Cardinalis Diaconus de *Saldanha* constituitur Visitator & Reformator Clericorum Regularium S. J. in Regnis Portugalliæ & Algarbiorum, & in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, Regi Fidelissimo subjectis.

5. 2. Maji 1758, quo Benedictus XIV S. Viaticum susceperat, ultimum suum opus perfecit ante mortem, dum raro exemplo omnium consultorum suffragiis convenientibus pronuntiavit, constare de heroicis virtutibus Venerab. Servi Dei *Francisci de Hieronymo*, Sacerdotis Professi S. J.

FINIS PARTIS XI.